# POETAE SCENICI
# LATINORUM.

17

# POETAE SCENICI LATINORUM.

COLLATIS CODD. BEROLINENSIBUS, FLORENTINO, FRIBURGENSI, GOTHANO, GUELFERBYTANIS, HELMSTADIENSIBUS, MONACENSI, PALATINO, PARISIO, ULTRAJECTINO, ALIISQUE SPECTATAE FIDEI LIBRIS,

RECENSUIT

*FRIDERICUS HENRICUS BOTHE.*

VOLUMEN QUARTUM. TERENTIUS.

HALBERSTADII.
APUD HENR. VOGLERUM.
1822.

IMPRESSUM TYPIS ORPHANOTROPHEI BRUNSVICENSIS.

SATYRE

# P. TERENTII AFRI
# COMOEDIAE.

RECENSUIT

FRIDERICUS HENRICUS BOTHE.

*Bentlejus amicus, magis amica veritas.*

HALBERSTADII.

APUD HENR. VOGLERUM.

1822.

# P. TERENTII
## AFRI CARTHAGINIENSIS
# VITA,
### SCRIPTORE AELIO DONATO.

---

Publius Terentius Afer, Carthagine natus, servivit Romae Terentio Lucano senatori, a quo ob ingenium et formam non institutus modo liberaliter, sed et mature manumissus est. Quidam captum esse existimant; quod fieri nullo modo potuisse, Fenestella docet, cum inter finem secundi belli Punici et initium tertii natus sit et mortuus, nec si a Numidis aut Gaetulis captus sit, ad ducem Romanum pervenire potuisset, nullo commercio inter Italicos et Afros nisi post deletam Carthaginem coepto. Hic cum multis nobilibus familiariter vixit, sed maxime cum Scipione Africano et C. Laelio, quibus etiam corporis gratia conciliatus existi-

— ducem. Gronovius, probante Oudendorpio, legendum conjicit dominum, quod postulare videtur verbum commercio. Ceterum natus est Terentius, secundum Koeleri rationem, anno ante Christum natum 194, ab U. C. 556; mortuusque ante Christum natum 159, ab U. C. 589, ita ut vix annum vitae 35. excesserit. Paulo aliter hic scriptor.

matur; quod et ipsum Fenestella arguit, contendens, utroque majorem natu fuisse; quamvis et Cornelius Nepos aequales omnes fuisse tradat, et Porcius suspicionem de consuetudine per haec faciat:

*Dum lasciviam nobilium et laudes fucosas petit;*
*Dum Africani vocem divinam inhiat avidis auribus;*
*Dum se ad Furium coenare et Laelium pulchrum putat;*
*Dum, se crebro in Albanum rapi ob florem aetatis suae:*
*Laetis rebus ad summam ipsus inopiam redactus est.*
*Itaque e conspectu omnium abiit Graeciam in terram ultimo;*
*Mortuus est in Stymphalo Arcadiae oppido. Nil Publius*
*Scipio profuit, nil ei Laelius, nil Furius,*
*Tres per idem tempus qui agitabant nobiles facillume.*
*Eorum ille opera ne domum quidem habuit conductitiam,*
*Saltem ut esset, quo referret obitum domini servolus.*

Fenestella, historicus Augusti aevo, subinde laudatus a Plinio in hist. natur. 15 autem annos major natu Terentius fuit Scipione, quem Laelius paulum aetate anteibat. Vid. Schott. ad Nepotem.

Corn. Nepos. In libris Chronicorum, maxima ex parte deperditis.

Porcius Licinius, vetus poëta non ignobilis, de quo vid. Gell. N. A. 17, 21; 19, 9. Ejus in versibus troch. tetram. cat., quorum 4. et 5. ἄμετροι jacent in libris, sic legitur: 3. coenitare, Dum se amari ab hisce credit, crebro in Alb. rapi ob f. aet. s: Ipsus sublatis rebus ad s. in. red. est. — abiit in Graeciam in terram ult. — nihil Publ. — nihil ei L., nihil Fur., quarum lectionum aliae putidae sunt, vel pro glossematis habendae, in quibus ista Dum se amari ab hisce credit; aliae in numeros peccant; denique verba sublatis rebus eo sensu, quem iis affingere videntur interpretes, ut accipiantur pro eo, quod est re sublata, in

Scripsit comoedias sex, ex quibus primam Andriam cum Aedilibus daret, jussus ante Caecilio recitare, ad coenantem cum venisset, dictus est initium quidem fabulae, quod erat contemtiore vestitu, subsellio juxta lectulum residens legisse; post paucos vero versus invitatus, ut accumberet, coenasse una, deinde cetera percurrisse, non sine magna Caecilii admiratione. Et hanc autem et quinque reliquas aequaliter populo probavit; quamvis Volcatius de enumeratione omnium ita scribat:

*Sumetur ex his Hecyra sexta fabula.*

Eunuchus quidem bis die acta est, meruitque pretium, quantum nulla antea cujusquam comoedia, id est, octo millia nummum; propterea summa quoque titulo adscribitur. Nam Adelphorum principium Varro etiam praefert principio Menandri. Non obscura fama est, adjutum Terentium in scriptis a Laelio et Scipione, quibuscum familiariter vixit. Eandem ipse auxit: nunquam enim, nisi leviter, se tutari conatur; ut in prologo Adelphorum:

*Nam quod isti dicunt malevoli, homines nobiles*
*Hunc adjutare, adsidueque una scribere,*
*Quod illi maledictum vehemens esse existimant,*
*Eam laudem hic ducit maxumam, cum illis placet,*

amissa, ne latina quidem sunt. Quod Tan. Faber et Westerhov. delent verba ipsus subl. rebus, fugit eos ratio.

Volcatius Sedigitus, de quo Gell. N. A. 15, 24. Versus prelatus, ut videtur, ex ejus libro de poëtis, iambicis senariis conscriptos; qui versus hiat in vulgatis libris, ubi sic legitur: Sum. Hec. sexta ex his fab.

*Qui vobis universis et populo placent;*
*Quorum opera in bello, in otio, in negocio*
*Suo quisque tempore usust sine superbia.*

Videtur autem se levius defendisse, quia sciebat, Laelio et Scipioni non ingratam esse hanc opinionem; quae tamen magis et usque ad posteriora tempora valuit.

Q. Memmius in oratione pro se ait: P. Africanus, qui, a Terentio personam mutuatus, quae domi luserat ipse, nomine illius in scenam detulit. Nepos auctore certo se comperisse ait, C. Laelium quondam in Puteolano Kal. Martiis admonitum ab uxore, temporius ut discumberet, petiisse ab ea, ne interpellaretur; serius tandem ingressum triclinium dixisse, non saepe in scribendo magis successisse sibi; deinde rogatum, ut scripta illa proferret, pronuntiasse versus, qui sunt in Heautontimorumeno:

*Satis pol proterve me Syri promissa huc induxerunt.*

Santra Terentium existimat, si modo in scribendo adjutoribus indiguerit, non tam Scipione et Laelio uti potuisse, qui tunc adolescentuli fuere, quam Sulpicio Gallo, homine docto, et qui Consualibus ludis initium fecerit fabularum dandarum; vel M. Fabio Labeone et Q. Popilio, consulari utro-

Kal. Martiis. Quia hoc die regnum matronarum erat, ut monet Tan. Faber.

Consualibus pro vulgato consularibus legendum vidit Muretus. Faber malebat Cerealibus.

que, ac poëta. Ideo ipsum non juvenes designasse, qui se adjuvisse dicerentur, sed viros, quorum operam et in bello et in otio et in negotio populus sit expertus. Post editas comoedias, nondum quintum atque trigesimum egressus annum, causa evitandae opinionis, qua videbatur aliena pro suis edere, seu percipiendi Graecorum instituta moresque, quos proinde exprimeret in scriptis, egressus urbem est, neque amplius rediit. De morte ejus Volcatius tradit:

*Sed Afer sex populo ut dedit comoedias,*
*Iter hinc in Asiam fecit. Navim cum semel*
*Conscendit, visus nunquam est. Sic vita vacat.*

Q. Cosconius redeuntem e Graecia periisse in mari dicit cum centum et octo fabulis, conversis a Menandro. Ceteri mortuum esse in Arcadia Stymphali, sive Leucadiae, tradunt, Cn. Corn. Dolabella, Marco Fulvio Nobiliore COSS., morbo implicitum acri ex dolore ac taedio amissarum sarcinarum, quas in navi praemiserat, ac simul fabularum, quas novas fecerat.

qua videbatur. Vulgo: quia vid.

Q. Cosconius. Ita Lindenbrog., secundum MSS. Vulgo Q. Consentius. Cosconii mentio fit apud Varronem de Lingua lat. lib. 5.

in Arcadia Stymphali. Sic quidam libri. Vulgo: in Arcadiae Stymphalo, sive Leucadia, quae lectio vix caret soloecismo.

ex dolore. Vulgo: — acri, dolore etc., quae est arena sine calce.

Fuisse dicitur mediocri statura, gracili corpore, colore fusco. Reliquit filiam, quae post equiti Romano nupsit; item hortulos XX jugerum in via Appia ad Martis villam [: quo magis miror Porcium scribere:

*— — nil Publius*
*Scipio profuit, nil eji Laelius, nil Furius,*
*Tres per idem tempus qui agitabant nobiles facillume.*
*Eorum ille opera ne domum quidem habuit conductitiam,*
*Saltem ut esset, quo referret obitum domini servolus*]:

Hunc Afranius quidem omnibus Comicis praefert, scribens in Compitalibus:

*Terentio non similem dices quempiam.*

Volcatius autem non solum Naevio et Plauto et Caecilio, sed Licinio quoque postponit. Cicero in Limone hactenus laudat:

*Tu quoque, qui solus lecto sermone, Terenti,*
*Conversum expressumque latina voce Menandrum*
*In medium nobis sedatis vocibus effers,*
*Quidquid come loquens atque omnia dulcia dicens.*

Item C. Caesar:

*Tu quoque, tu in summis, o dimidiate Menander,*
*Poneris, et merito, puri sermonis amator.*

quo magis — domini servolus. Haec Donato indigna sunt et adscripta haud dubio ab inepto nescio quo interprete. Habuit illos hortos poëta, sed sua, non Laelii aut Scipionis, opera acquisitos.

in Limone. Libro perdito.

In medium nobis. Ita MS. Dan. apud Lindenb. Minus recte legitur In medio populi.

*Lenibus atque utinam scriptis adjuncta foret vis:*
*Comica ut aequato virtus polleret honore*
*Cum Graecis, neque in hac despectus parte jaceres!*
*Unum hoc maceror et doleo tibi deesse, Terenti.*

Haec Suetonius Tranquillus. Nam duos Terentios poëtas fuisse scribit Metius, quorum alter Fregellanus fuerit, Terentius Libo, alter libertinus, Terentius Afer patria, de quo nunc loquimur. Scipionis fabulas edidisse Terentium Valgius in Actaeone ait:

*Hae quae vocantur fabulae? cujae sunt?*
*Non has, qui jura populis endo hibus dabat,*
*Honore summo affectus fecit fabulas?*

Duae ab Apollodoro translatae esse dicuntur Comico, Phormio et Hecyra; quatuor reliquae a Menandro; ex quibus magno successu et pretio stetit Eunuchus fabula, Hecyra saepe exclusa, vix acta est.

Male edd.: vis Comica, ut etc. Correxit vir illustris, F. A. Wolfius.

Vulgo legitur: Hae quae vocantur fabulae, cujae sunt? sententia quidem parum perspicua, metro autem nullo. Valgius hic non intelligendus est grammaticus cognominis, quem laudant Plinius major atque Gellius, sed comoediarum scriptor satis obscurus.

# ALIA EJUSDEM VITA,

**EX AMBROSIANAE BIBLIOTHECAE, QUAE MEDIOLANI EST, CODICIBUS MSS. D. 79, F. 92. PART. SUP. ET C. 109. PART. SUP., UNA CUM PLAUTI ET TERENTII FRAGMENTIS EDITA AB ANGELO MAJO, VIRO DOCTISSIMO, Mediolani, 1815.**

Terentius Afer, genere Carthaginensis, puer captus et a quodam Terentio Lucano emtus, litteris graecis latinisque instructus, cum librarius esset, mox propter elegantiam studiorum morumque in amicitiam perductus est Scipionis et Laelii sapientis et Rupilii *), quorum fabulas in scena dare inimici diffamabant. Maxime Turtullius **) Lavinius, qui ejus aemulus erat, hanc opinionem divulgabat. Sed cum criminarentur quidam, Terentium non vere Graecorum mores exprimere, pleraque in latina fore ***) consuetudine, ut instituta moresque Graecorum cognosceret, Athenas profectus est. Ibi aliquamdiu commoratus Menandrum in latinum sermonem transtulisse dicitur. Et cum Romam

---

*) Donatus pro Rupilio habet Popilium. *A. Majus.*

**) Nomen inauditum. Legendum puto: Maxime tamen Luscius Lavinius etc. *Editor.*

***) Fortasse scribendum est fere. *Idem.*

petiturus esset, sarcinas fabulasque, quas ibi conscripserat, in navem imposuit, quae Malean circuitura erat. Ipse terrestri itinere Patras profectus est, ubi et navem expectare constituerat. Auditoque naufragio, aegre ferens amissas fabulas, Stymphali decessit in Arcadia, publiceque ibi sepultus est C. Dolabella, Fulvio Flacco *) consulibus. Fabulae ejus extant quatuor e Menandro translatae, Andria, Eunuchus, Adelphoe et Heautontimorumenos; duae ex Apollodoro Caricio **), Hecyra et Phormio. Eunuchum vendidisse dicitur octo millibus numorum, quod pretium ante eum nemo acceperat.

*) Vid. Vita Donat. *Idem.*

**) Legendum Carystio: nam Carysto, oppido Euboeae insulae, oriundus fuit unus ex tribus illis Apollodoris, qui arte comica inclaruere, aequales, ut videtur, omnes aemulique insignes Menandri circa annum ante Christum natum 340. ad 300, sive ab olympiade 109. usque ad 122. Duorum reliquorum alter, Atheniensis, comoedias scripsit 47, alter Gelous ex Sicilia 18; Carystius autem 14. composuisse dicitur, quarum in numero fuisse necesse est Phormionem, quam Terentius latinam fecit, siquidem in Atheniensis atque Geloï fabulis non recensetur. Vidd. Suidas v. Ἀπολλόδωρος, Fabric. Biblioth. graec. lib. 2. c. 22, G. G. S. Koepke in prolegomenis Phormionis germanice ab ipso versae. *Idem.*

corinth… ley. Tet… ca in V…

# PUBLI TERENTI

# A N D R I A.

ACTA LUDIS MEGALENSIBUS, M. FULVIO ET M'. GLABRIONE AEDILIBU SCURULIBUS. EGERUNT L. AMBIVIUS TURPIO, ET L. ATTILIUS PRAENESTINUS. MODOS FECIT FLACCUS CLAUDI F. TIBIIS PARIBUS DEXTRIS ET SINISTRIS. ET EST TOTA GRAECA. EDITA M. MARCELLO ET CN. SULPICIO COSS.

2

## PERSONAE.

SIMO, senex.
SOSIA, libertus.
DAVUS, servus.
MYSIS, ancilla.
PAMPHILUS, adolescens.
CHARINUS, adolescens.
BYRRHIA, servus.
LESBIA, obstetrix.
GLYCERIUM, al. PASIBULA, Chremetis filia.
CHREMES, senex.
CRITO, hospes.
DROMO, servus lorarius.

# C. SULPITII APOLLINARIS

## PERIOCHA IN ANDRIAM.

Sororem falso creditam meretriculae, i. s.
Genere Andriae, Glycerium, vitiat Pamphilus;
Gravidaque facta dat fidem, uxorem sibi
Fore hanc: nam pater ei aliam desponsaverat,
Gnatam Chremetis, atque, ut amorem comperit,
Simulat futuras nuptias, cupiens, suus
Quid habeat animi filius, cognoscere.
Davi suasu non repugnat Pamphilus;
Sed e Glycerio natum ut vidit puerulum
Chremes, recusat nuptias, generum abdicat;
Mox filiam Glycerium insperato agnitam
Hanc Pamphilo, aliam dat Charino coniugem.

Vers. 4. vulgo legitur: nam aliam pat. ei desponderat. MS. Helmstad.: pater al.; idem et Berol. B: desponsaverat. 7. Vulgo: haberet. Berol. A: Q. habeat animo. 12. V.: Dat P. hanc, al. Ch. c. Sed libri vett.: Hanc P. dat.

## M. ANTONII MURETI

# ARGUMENTUM.

Chremes et Phania fratres, Athenienses fuerunt; eorum Chremes profecturus in Asiam Pasibulam filiolam, quam tum unicam habebat, fratris fidei credidit. Profecto eo contigit, ut in Graecia magni bellorum motus excitarentur; quos fugiens Phania quum, imposita secum in navim puella, ad fratrem iter coepisset, vi tempestatis fracta navi, apud Andrum insulam ejectus est. Ibi applicat se ad Andrium quendam, hominem haud magna in re, a quo tamen benigne humaniterque exceptus non ita multo post moritur. Hospes Andrius relictae apud se puellae commutat nomen et pro Pasibula Glycerium nominat; eumque per aliquot annos eam cum filia Chryside, pari utramque studio, educasset, decedit ipse quoque de vita. Chrysis quum se et orbam et inopem videret, abrepto secum Glycerio, Athenas navigat; ubi cum aliquamdiu vitam lana telaque tolerasset, ad postremum, adolescentum blanditiis et pollicitationibus victa, quaestum corpore facere incepit. Ventitabat ad eam inter ceteros Pamphilus, Simonis filius, probus et liberali praeditus ingenio adolescens; qui, non Chrysidis ille quidem, sed ipsius Glycerii mirifico quodam amore percussus, primus solusque cum ea rem habuit, fidemque jam gravidae dedit, eam sibi uxorem fore. Susceperat et postea Chremes aliam filiam, Philumenam nomine, eamque (jam enim nubilis erat) Pamphilo, bona adolescentis impulsus fama, collocare cupiebat. Quid multa? ultro ad Simonem venit, cum eo negotium conficit. Inscio Pamphilo, de communi senum sententia, faciundis nuptiis constituitur dies. Adhuc haec erant, quum Chrysis moritur. Ibi primum Simo de filii amore cognovit. Nam cum ambo una in funus prodiissent: accidit, ut, posita in ignem Chryside, Gly-

*cerium se prae doloris impatientia eodem conjectura videretur. Accurrit Pamphilus, eamque mediam amplexus ita consolari coepit, ut plurimas minimeque dubias totius rei significationes daret. Itaque venit ad Simonem postridie Chremes, conditionem renuntiat: comperisse se, Pamphilum peregrinam illam habere in uxoris loco; nescius, ex se natam esse eam, quam ita contumeliae causa peregrinam nominaret. Gaudere ea re intellecta Pamphilus; dolere contra ac ringi Simo. Advenit interea dies, qui nuptiis initio fuerat praestitutus. Simo veteratoria quadam calliditate simulandas sibi, ad pertentandum filii animum, nuptias statuit: hoc cogitans, si abnueret filius, veram sibi objurgandi illius causam fore, quae ad eum diem nulla satis justa fuerat; sin annueret, facile se, quod vellet, a Chremete impetraturum; atque ita veras nuptias, diis adjuvantibus, factum iri. Praeteriens igitur apud forum, securo jam et nihil tale metuenti filio, Pamphile, inquit, abi domum, ac deos comprecare: uxor tibi ducenda hodie est. Hoc dicto, velut improviso quodam jaculo, sauciatus adolescens, quid ageret, aut quid consilii caperet, nesciebat: quum ad eum Davus, vafro admodum ac versuto ingenio servus, animadversa senis astutia, accurrit. Erat tum una cum Pamphilo Charinus, qui adolescens miro quodam amore Philumenae incensus, frustra saepe tentatis illius nuptiis, ad postremum audito, eam eo die nupturam Pamphilo, in summam desperationem adductus, eum orabat, si se salvum vellet, ut vel eam ne duceret, vel saltem nuptiis dies aliquot produceret. Pamphilus eum sua quidem causa bono esse animo atque omnia ad impediendas nuptias moliri jubebat; se, quantum in se esset, effecturum, ea ut ne daretur sibi. Adveniens, ut dixi, Davus Charinum, jam spei plenum, abire ad ambiendos senis amicos jubet; deinde seorsum Pamphilo conjecturas suas aperit, persuadetque, ut patri dicat, se paratum esse, uxorem ducere: nam eo pacto, inquit, et patri omnem jurgandi occasionem praecideris, et non erit tamen verendum, ne nuptiae fiant: nunquam enim Chremes tibi, semel repudiato, filiam suam iterum commissurus est. Haec ita de servi consilio acta longe aliter cecidere, ac putabantur: exorat enim Chremetem Simo; ita res in verum nuptiarum discrimen adducitur. Forte eo ipso die Glycerium, exactis temporibus, puerum peperit; eum puerum Davus, quum aliter nuptias disturbare non posset,*

*prae foribus aedium Simonis ab ancilla collocandum curat. In eum cum incidisset Chremes, et e Pamphilo natum esse cognosset, rursum abducit animum a nuptiis. Turbae maximae concitantur; donec advenit Crito Andrius, qui, quod Chrysidi genere proximus fuisset, ad cernendam illius hereditatem Athenas venerat. Ejus interventu Chremes filiam agnoscit. Ita, summa omnium laetitia, Charino Philumena, Glycerium Pamphilo nubit.*

PUBLII TERENTII AFRI

# ANDRIA

## PROLOGUS.

Poëta quum primum animum ad scribendum appulit,
Id sibi negoti credidit solum dari,
Populo ut placerent, quas fecisset fabulas.
Verum aliter evenire multo intelligit.
Nam in prologis scribundis operam abutitur,
Non qui argumentum narret, sed qui malevoli
Veteris poëtae maledictis respondeat.
Nunc, quam rem vitio dent, quaeso animum adtendite.
Menander fecit Andriam et Perinthiam.
Qui utramvis recte norit, ambas noverit.
Ita non sunt dissimili argumento; sed tamen
Dissimili oratione sunt factae ac stilo.
Quae convenere, in Andriam ex Perinthia
Fatetur transtulisse atque usum pro suis.
Id vituperant factum isti atque in eo disputant,
Contaminari non decere fabulas.
Faciuntne intelligendo, ut nihil intelligant?
Qui quum hunc accusant, Naevium, Plautum, Ennium
Accusant, quos hic noster auctores habet,
Quorum aemulari exoptat negligentiam

Vers. 7. Fortasse legendum est maledicis, prologis Luscii, poëtae Comici, maledicis. Maledictis versui minus convenit. 11. Libri: Non ita diss. sunt arg. Donatus: Ordo: Ita non sunt. Recte, et sic Bentlejus. 17. Ita vett. et Bentl. Vulgo: Faciunt nae int., ut n. intelligant.

Potius quam istorum obscuram diligentiam.
Dehinc ut quiescant porro, moneo, et desinant
Maledicere, malefacta ne noscant sua.
Favete, adeste aequo animo et rem cognoscite,
Ut pernoscatis, ecquid spe sit reliquum,
Posthac quas faciet de integro comoedias,
Spectandae an exigendae sint vobis prius.

# ACTUS I.

## SCENA I.

### SIMO, SOSIA.

Si. Vos istaec intro auferte: abite! Sosia, I, 1.
Adesdum: paucis te volo. So. Dictum puta:
Nempe ut curentur recte haec. Si. Imo aliud. So. Quid est,
Quod tibi mea ars hoc possit efficere amplius?
Si. Nihil istac opus est arte ad hanc rem, quam paro;
Sed his, quas semper in te intellexi sitas,
Fide et taciturnitate. So. Expecto, quid velis.
Si. Ego postquam te emi, a parvulo ut semper tibi
Apud me justa et clemens fuerit servitus,
Scis. Feci, e servo ut esses libertus mihi,
Propterea quod servibas liberaliter;
Quod habui summum pretium, persolvi tibi.
So. In memoria habeo. Si. Haud muto. So. Factum gaudeo,
Si tibi quid feci aut facio, quod placeat, Simo, et
Id gratum fuisse advorsum te, habeo gratiam;
Sed hoc mihi molestum est; nam istaec commemoratio
Quasi exprobratio est immemoris beneficii.
Quin tu uno verbo dic, quid est, quod me velis.
Si. Ita faciam. Hoc primum in hac re praedico tibi,
Quas credis esse has, non sunt verae nuptiae.

24. spe Guyetus in Commentariis Terentianis, et similiter aliis locis re, die etc. more veterum. V. spei legitur per συναίρεσιν, quod minus placet.

A. I. SC. I, 6. his, quae dicturus sum, Helmstad. Friburg. Donat. Vulgo: iis. 8. Frib.: emi te, ut legi voluit Guyetus. Verum id quidem κακόμετρον. Elegans foret postq. emo te. 11. Ita Guyet. Bentl. Vulgo: serviebas. 13. Ita haec distincta reperit Palmerius (Spicil. Lamp. Gruter. 4. p. 865.) in vetusto exemplari bibliothecae ad XII. Apostolos Coloniensis, quod ibi in vinculis fuisse dicit. Quem recte sequitur Bentl. Vulgo: Si. Haud muto factum. So. Gaudeo etc. 14. Sic 2 Berolinenses, Helmstad. Frib. Bad. Donat. V.: placet. 16. Ita plerique scripti, Friburg., Bentl. V.: S. mihi hoc m. e.

So. Cur simulas igitur? Si. Rem omnem a principio audies:
Eo pacto et gnati vitam et consilium meum
Cognosces, et quid facere in hac re te velim.
Nam is postquam excessit ex ephebis, Sosia, ac
Liberius vivendi est potestas: (nam antea
Qui scire posses aut ingenium noscere,
Dum aetas, metus, magister prohibebant? So. Ita est).
Si. Quod plerique omnes faciunt adolescentuli,
Ut animum ad aliquod studium adjungant, aut equos
Alere, aut canes ad venandum, aut ad philosophos,
Horum ille nihil egregie praeter cetera
Studebat; et tamen omnia haec mediocriter.
Gaudebam. So. Non injuria: nam id arbitror
Adprime in vita esse utile, ut ne quid nimis.
Si. Sic vita erat: facile omnis perferri ac pati;
Cum quibus erat cunque una, iis sese dedere,
Eorum obsequi studiis, advorsus nemini,
Numquam praeponens se aliis. Ita facillume
Sine invidia invenias laudem et amicos pares.
So. Sapienter vitam instituit: namque hoc tempore
Obsequium amicos, veritas odium parit.
Si. Interea mulier quaedam abhinc triennium
Ex Andro commigravit huc viciniae,
Inopia et cognatorum neglegentia
Coacta, egregia forma atque aetate integra.
So. Hei vereor, ne quid Andria adportet mali!
Si. Primum haec pudice vitam parce ac duriter
Agebat, lana ac tela victum quaeritans;
Sed postquam amans accessit, pretium pollicens,
Unus et idem alter: ita ut ingenium est omnium
Hominum a labore proclive ad lubidinem,
Accepit conditionem, dein quaestum occipit.
Qui tum illam amabant, forte, ita ut fit, filium
Perduxere illuc, secum ut una esset, meum.
Egomet continuo mecum: Certe captus est!
Habet! Observabam mane illorum servulos
Venientis, aut abeuntis; rogitabam: Heus puer,
Dic sodes, quis heri Chrysidem habuit? nam Andriae
Illi id erat nomen. So. Teneo. Si. Phaedrum, aut Cliniam, aut

24. Frib.: Nam hic p. Ac adiiciendum esse intellexerunt Guyet. et Bentl. 25. Libri versu ὑπερμέτρῳ: L. v. fuit pot. Bentl.: Libera viv. fuit p. 36. his Helmstad. Frib. Bad. 38. Sic Berol. B, Helmstad., Frib., Heinsiana. Vulgo illis, frequente lapsu. Cf. Eun. 4, 1, 6. 52. Helmstad, Frib.: dehinc. 57. Frib.: Venientes: aut redeuntes. 59. Fort.: Illud erat. Codex C Berol.: Illi hoc e. n. Frib.: id illi e. n.

Niceratum dicebant: nam hi tres tum simul
Amabant. Eho, quid Pamphilus? „Quid? Symbolam
Dedit, coenavit.“ Gaudebam. Item alio die
Quaerebam; comperiebam nihil ad Pamphilum
Quidquam attinere. Enimvero spectatum satis
Putabam et magnum exemplum continentiae:
Nam qui cum ingeniis conflictatur ejusmodi,
Neque commovetur animus in ea re, scias
Posse habere jam ipsum suae vitae modum.
Cum id mihi placebat, tum uno ore omnes omnia
Bona dicere et laudare fortunas meas,
Qui gnatum haberem tali ingenio praeditum.
Quid verbis opus est? hac fama impulsus Chremes
Ultro ad me venit, unicam gnatam suam
Cum dote summa filio uxorem ut daret.
Placuit; despondi; hic nuptiis dictust dies.
So. Quid obstat, cur non vere fiant? Si. Audies.
Fere in diebus paucis, quibus haec acta sunt,
Chrysis vicina haec moritur. So. O factum bene!
Beasti: ei metui a Chryside. Si. Ibi tum filius
Meus cum illis, qui amabant, una aderat frequens;
Curabat una funus; tristis interim;
Nonnunquam conlacrumabat. Placuit tum id mihi.
Sic cogitabam: hic parvae consuetudinis
Causa hujus mortem tam fert familiariter:
Quid, si ipse amasset? quid mihi hic faciet patri?
Haec ego putabam esse omnia humani ingeni
Mansuetique animi officia. Quid multis moror?
Egomet quoque ejus causa in funus prodeo,
Nil suspicans etiam mali. So. Hem, quid id est? Si. Scies.
Effertur; imus. Interea inter mulieres,
Quae ibi aderant, forte unam adspicio adolescentulam
Forma bona . . . . So. Fortasse. Si. Et voltu, Sosia,
Adeo modesto, adeo venusto, ut nil supra.
Quae cum mihi lamentari praeter ceteras
Visa est, et quia erat forma praeter ceteras

60. Ita Bentl. Libri: Clin. Dic., aut Nic. 67. Sic plane liber vetus Goveani, teste Franc. Fabricio. Cf. Guyeti in Terentium commentarios pag. 8. Frib. non tamen, sed tum. Bad.: re, scias Tum posse hab. 76. Ita Friburg. Vulgo: verae. 79. ei praeter alios libros etiam Frib. V. deest. 80. V.: I. t. fil. Cum illis, q. a. Chrysidem, u. a. fr. Helmstad. et Frib.: filius meus. Chrys. est glossema. 84. Sic fere libri. V.: mortem hujus. 89. Sic 3 Bentleji, B et C Beroll. Guelf. V.: quid est? 94. Vett., in his Frib.: Q. tum. V.: Quia tum. Correxit Bentl. 95. Fort.: et, quâ erat, formâ: accedo ad ped., deletis mediis. Cf. Eun. 4, 4, 15.

Honesta et liberali: accedo ad pedisequas;
Quae sit, rogo. Sororem esse ajunt Chrysidis.
Percussit illico animum. Atat, hoc illud est!
Hinc illae lacrumae! haec illa est misericordia!
So. Quam timeo, quorsum evadas! Si. Funus interim
Procedit; sequimur; ad sepulcrum venimus;
In ignem imposita est; fletur. Interea haec soror,
Quam dixi, ad flammam accessit imprudentius,
Satis cum periclo. Ibi tum exanimatus Pamphilus
Bene dissimulatum amorem et celatum indicat:
Accurrit; mediam mulierem complectitur:
Mea Glycerium, inquit, quid agis? cur te is perditum?
Tum illa, ut consuetum amorem facile cerneres,
Rejecit se in eum flens quam familiariter.
So. Quid ais! Si. Redeo inde iratus atque aegre ferens;
Nec satis ad objurgandum causae: diceret
„Quid feci? quid commerui aut peccavi, pater?
Quae sese in ignem injicere voluit, prohibui,
Servavi.“ Honesta oratio est. So. Recte putas:
Nam si illum objurges, vitae qui auxilium tulit,
Quid facias illi, qui dedit damnum aut malum?
Si. Venit Chremes postridie ad me, clamitans
Indignum facinus: comperisse, Pamphilum
Pro uxore habere hanc peregrinam. Id ego sedulo
Negare factum. Ille instat factum. Denique
Ita tum discedo ab illo, ut qui se filiam
Neget daturum. So. Non tu ibi gnatum? Si. Ne haec quidem
Satis vehemens causa ad objurgandum. So. Qui, cedo?
Si. „Tute hisce rebus finem praescripsti, pater;
Prope adest, quum alieno more vivendum est mihi:
Sine, nunc meo me vivere interea modo.
So. Qui igitur relictus est objurgandi locus?
Si. Si propter amorem uxorem nolet ducere,
Ea primum ab illo animadvertenda injuria est.
Et nunc id operam do, ut per falsas nuptias
Vera objurgandi causa sit, si deneget.

99. Bentl.: Haec illae lacrimae, quod concinnius. 108. Ita Frib., vocabulo amorem in potiore sede versus collocato. Vulgo: facile amorem. 112, 3. Frib.: Q. f.? quid merui? aut quid pecc. p.? Q. s. in i. proiicere v.: pr. 116. Libri invenustis numeris: dederit. Dedit, ut tulit praegresso versu. 119. Helmstad. et Frib.: ego id sed. Vulgo: ego illud sed. Recte Guyet.: id ego sed. 124. V.: Tute ipse his rebus. Helmstad. Frib. Donat. Tute his rebus. Tute est Tu ipse. 127. Ita Guyet. et Bentl. ex libris. V.: Quis. 128. Sic itidem Bentl.

Simul, sceleratus Davos si quid consili
Habet, ut consumat nunc, cum nihil obsint doli;
Quem credo manibus pedibusque obnixe omnia
Facturum; magis id adeo, mihi ut incommodet,
Quam ut obsequatur gnato. So. Quapropter? Si. Rogas?
Mala mens, malus animus. Quem quidem ego si sensero...
Sed quid opust verbis? Sin eveniet, quod volo,
In Pamphilo ut nil sit morae: restat Chremes,
Qui mi exorandus est; et spero confore.
Nunc tuum est officium, has bene ut adsimules nuptias,
Perterrefacias Davom, observes filium,
Quid agat, quid cum illo consili captet. So. Sat est:
Curabo. Eamus nunc iam intro. Si. I prae; sequar.

## ACTUS I. SCENA II.

### SIMO, DAVUS.

Si. Non dubium est, quin uxorem nolit filius: i. s.
Ita Davom modo timere sensi, ubi nuptias
Futuras esse audivit. Sed ipse exit foras.
D. Mirabar, hoc si sic abiret, et heri semper lenitas,
Verebar, quorsum evaderet. i. d.
Qui postquam audierat non datum iri filio uxorem suo, i. t.
Nunquam cuiquam nostrûm verbum fecit, neque id aegre tulit. t. t. c.
Si. At nunc faciet; neque, ut opinor, sine tuo magno malo.
D. Id voluit, nos sic nec opinantes duci falso gaudio, i. t.
Sperantes jam amoto metu; interea oscitantes opprimi,
Neque esse spatium cogitandi ad disturbandas nuptias.
Astute! Si. Carnufex quae loquitur? (D. Herus est, neque provideram.)
Si. Dave! D. Hem, quid est? Si. Ehodum, ad me! (D. Quid hic volt?) Si. Quid ais? D. Qua de re? Si. Rogas?
Meum gnatum rumor est amare. D. Id populus curat scilicet!
Si. Hoccine agis, an non? D. Ego vero istuc. Si. Sed nunc ea me exquirere
Iniqui patris est. Nam, quod antehac fecit, nihil ad me attinet:

134. Ita Helmstad, Frib. V.: Quem ego credo. 138. Ita Guyet. secundum Eugraphium. V.: eveniat.

A. I. SC. II, 3. sed ipse pronuntiandum est ut s'd ipse, et sic passim breves vocales liquescunt apud Comicos. Cf. 1, 5, 1, 2 etc. Sensit Guyetus. 11. Vulgo: Ne esset. Sed B Berol.: Nec esset.

Dum tempus ad eam rem tulit, sivi, animum ut expleret suum;
Nunc hic dies aliam vitam adfert, alios mores postulat.
Dehinc postulo, sive aequom est, te oro, Dave, ut redeat jam in viam.
(D. Hoc quid sit?) Sr. Omnes, qui amant, graviter sibi dari uxorem ferunt.
D. Ita ajunt. Sr. Tum si quis magistrum cepit ad eam rem improbum:
Ipsum animum aegrotum ad deteriorem partem plerumque applicat.
D. Non hercle intellego. Sr. Non? hem! D. Non: Davos sum, non Oedipus.
Sr. Nempe ergo aperte vis, quae restant, me loqui? D. Sane quidem.
Sr. Si sensero hodie, quidquam in his te nuptiis i. s.
Fallaciae conari, quo fiant minus:
Aut velle in ea re ostendi, quam sis callidus:
Verberibus caesum te in pistrinum, Dave, dedam usque ad necem i. t.
Ea lege atque omine, ut, si te inde exemerim, ego pro te molam.
Quid? hoc intellextin', an nondum etiam ne hoc quidem? D. Imo callide:
Ita aperte ipsam rem modo locutus, nihil circuitione usus es.
Sr. Ubivis facilius passus sim, quam in hac re, me deludier.
D. Bona verba quaeso! Sr. Irrides. Nil me fallis. Edico tibi,

19. Bentl. secundum Cic. Epist. ad Fam. 12, 25: aliam vitam defert. Guelf. quoque 1. a manu 1: defert. Scripsisset saltem vir magnus vitam aliam defert: nam dies cur in μονοσύλλαβον sine necessitate constipetur, cum satius sit plene exaudiri vocem gravem? Sic autem scribendo (vitam aliam defert, alios mores postulat) concinnitas membrorum perit, qua et vulgata gaudet lectio aliam vitam affert, alios mores postulat, et graecum proverbium, unde illa derivata, hoc ἄλλος βίος, ἄλλη δίαιτα. Nempe metri regulis non adstrictus, et in epistola familiari, in qua verba minus curiose expendi solent, ex memoria versum laudasse videtur Tullius, inspecto Terentii exemplari nullo. Cujus (Ciceronem dico) scripturam αὐτοσχεδιαστικὴν cur lectioni ipsorum codicum Terentii tantum non omnium anteferamus, non intelligo: nam quod metrum causatur Bentlejus, fallitur, siquidem neque contrahendum est, ut dixi, vocabulum dies, et non modo vitium, sed venustas metrica est, tertiam versus regionem, quae praecipua est omnium, totam occupare verbum gravissimum aliam. Cf. 1, 1, 37; 2, 3, 26; 3, 3, 8; 4, 1, 17, 56; Eun. 3, 1, 1 etc. 34. Ita Bentl. secundum Donatum ad 3, 2, 15. V.: fallis. sed dico tibi, quod tepidum in re gravi.

Ne temere facias; neque tu haec dicas tibi non praedictum. Cave!

## ACTUS I. SCENA III.

### DAVUS.

Enimvero, Dave, nihil loci est segnitiae neque socordiae, i. t.
Quantum intellexi modo senis sententiam de nuptiis.
Quae si non astu providentur, me aut herum pessumdabunt.
Nec quid agam certum est, Pamphilumne adjutem, an auscultem seni.
Si illum relinquo, ejus vitae timeo; sin opitulor, hujus minas,
Cui verba dare difficile est. Primum jam de amore hoc comperit;
Me infensus servat, ne quam faciam in nuptiis fallaciam.
Si senserit, perii; aut, si lubitum fuerit, causam ceperit,
Quo jure, qua me injuria praecipitem in pistrinum dabit.
Ad haec mala hoc mi accedit etiam: haec Andria, i. s.
Si ista uxor sive amica est, gravida e Pamphilo est;
Audireque eorum est operae pretium audaciam:
Nam inceptio est amentium, haud amantium.
Quidquid peperisset, decreverunt tollere;
Et fingunt quandam inter se nunc fallaciam,
Civem Atticam esse hanc. „Quidam fuit olim senex
Mercator; navem is fregit apud Andrum insulam;
Is obiit mortem:“ ibi tum hanc ejectam Chrysidis
Patrem recepisse, orbam, parvam. Fabulae!
Mihi hercle non fit verisimile atque ipsis commentum placet. i. t.
Sed Mysis ab ea egreditur; at ego hinc me ad forum, ut i. s.
Conveniam Pamphilum, ne de hac re pater imprudentem opprimat. i. t.

A. I. SC. III, 7. Ita Bentl. ex scriptis nonnullis et olim cusis. Vulgo in non legitur. 9. Sic idem secundum Guyetum et Palmerium Spicil. Lamp. Gruter. 4. p. 835. Vulgo: Quo jure quaque iniuria praec. me in pistr. d. 11. Libri κακομέτρως: Sive ista uxor. Itidem correxit Bentl. 16. Non probiore metro legitur: Fuit olim quidam senex. Bentl. ne posterior syllaba verbi olim acuenda esset regione pari iambici senarii, quod vitiosum, hinc post olim inseruit, h. e. Athenis. Verum id intelligendum videtur potius quam perscribendum. 20. Sic codex A Berol., qui est antiquissimus. Vulgo: Mihi quidem hercle etc. Atque, sicut.

## ACTUS I. SCENA IV.

### MYSIS.

Audivi, Archylis: jamdudum Lesbiam adduci jubes.
Sane pol illa temulenta est mulier et temeraria,
Nec satis digna, cui committas primo partu mulierem.
Tamen adducam — Inportunitatem spectate aniculae,
Quia compotrix ejus est! Di, date facultatem, obsecro,
Huic pariundi, atque illi in aliis potius peccandi locum!
Sed, quidnam Pamphilum exanimatum video? Vereor, quid siet.
Opperiar, ut sciam, num quidnam haec turba tristitiae adferat.

## ACTUS I. SCENA V.

### PAMPHILUS, MYSIS.

P. Hoccine est humanum factu, aut inceptu? hoccine est officium patris? i. t.
(M. Quid id est?) P. Proh deum fidem, quid est, si non hoc contumelia est?
Uxorem decrerat dare sese mi hodie: nonne oportuit
Praescisse me ante? nonne prius communicatum oportuit?
(M. Miseram me! quod verbum audio? i. d.)
Quid Chremes? qui denegarat se commissurum mihi t. t. c.
Gnatam suam uxorem, id mutavit, quia me immutatum videt.
Itane obstinate operam dat, ut me a Glycerio miserum abstrahat? i. t.

A. I. SC. IV, 1. Sic interpungendum. Jamdudum ad sequentia pertinet. V.: A., Archillis, jamd. Lesb. a. j. Recte Bentl.: Archylis: v. not. ad 3, 2, 1. 4. Sic Frib. V.: Tamen eam add. Quidam libri: add. eam, ut vagari solent glossemata. Nam eliditur add. propter interpunctionem, frustra quidem repugnante Bentl. ad Ph. 5, 9, 70. Vid. not. ad 2, 2, 8. 8. Bentl.: turbae tristitia.

A. I. SC. V, 1. Hoccine utrobique pronuntiandum est ut Hocc'ne. Vid. not. ad 2, 3. 2. Ita Bentl. secundum cod. primae notae, nisi quod servat vulgatum Quid illud est? quod κακόμετρον, et scribit si hoc non cont. est? Haud raro miscentur haec pronomina in libris. V.: Pr. d. atque hominum fidem. Cf. Hec. 2, 1, 1. Legitur quoque si non haec cont. est; sed in Frib.: si hoc non cont. est? Habent item hoc Donat. et liber Collegii Corporis Christi, quem librum adhibuit Bentl. 7. quia etiam Frib. Pars magna librorum: quoniam, quod in metrum peccat.

Quod si fit: pereo funditus! i. d.
Adeon' hominem esse invenustum aut infelicem quenquam, ut ego sum? t. t.
Proh deum atque hominum fidem! t. d. c.
Nullon' ego Chremetis pacto adfinitatem effugere potero, t. t.
Quot modis contemtus, spretus? Facta, transacta, omnia. t. t. c.
Hem, repudiatus repetor! Quamobrem, nisi si id est, quod suspicor: i. t.
Aliquid monstri alunt; ea quoniam nemini obtrudi potest, t. t. c.
Itur ad me. (M. Oratio haec me miseram exanimavit metu.)
P. Nam quid ego dicam de patre? Ah, t. d. c.
Tantamne rem tam neglegenter agere? Praeteriens modo i. t.
Mihi apud forum, Uxor tibi ducenda est, Pamphile, hodie, inquit; para;
Abi domum. Id mihi visust dicere Abi cito ac suspende te!
Obstipui. Censen' ullum me verbum potuisse proloqui,
Aut ullam causam, ineptam saltem, falsam, iniquam? Obmutui.
Quod si ego rescissem id prius, quid facerem? Si quis me roget:
Aliquid facerem, ut hoc ne facerem. Sed nunc quid primum exequar? t. t. c.
Tot me impediunt curae, quae meum animum divorse trahunt:
Amor hujus, misericordia, nuptiarum sollicitatio, i. t.
Tum patris pudor, qui me tam leni passus est animo usque adhuc,
Quae meo cunque animo lubitum est, facere. Eine ego ut advorser? Hei mihi!
Incertum est, quid agam. (M. Misera timeo, incertum hoc quorsum accidat.
Sed nunc peropust, aut hunc cum ipsa, aut me aliquid de ipsa adversum hunc, loqui. as. t. d. i. d.

13. Liber Colon. et Brunii (nisi quod is quidem pacta habuit a m. 1.) apud Palmer. Lamp. Grut. 4. p. 737: acta, transacta, quae iuris formula solennis praefertur a Palmerio. 17. Sic aliquot codd., in his Helmstad., et Eugraph. V.: N. q. e. nunc dic. de p.? 20. Ita Guyeti codd. antiquissimi. Cf. Plaut. Poen. 1, 2, 96. 23. Si sub ictu positum non liquescit. 25. Frib.: diuersum, non male, nisi quod minus placet ὁμοιοτέλευτον. Bentl.: divorsae. 29. Posterius incertum non elidendum est, ut plene exaudiatur. 30. Guelferb. 1: de ipsa; h. e. de hera. V.: de illa. De metro vid. not. ad 2, 1, 2.

Dum in dubio est animus, paulo momento huc, illuc, impellitur.) i. t.
P. Qui hic loquitur? Mysis, salve. M. O salve, Pamphile.
P. Quid agitur? M. Rogas?
Laborat e dolore, atque ex hoc misera sollicita est, diem
Quia olim in hunc sunt constitutae nuptiae; tum autem hoc timet,
Ne deseras se. P. Hem, egon' istuc conari queam? i. s.
Egon' propter me illam decipi miseram sinam,
Quae mihi suum animum atque omnem vitam credidit,
Quam ego animo egregie caram pro uxore habuerim?
Bene et pudice ejus doctum atque eductum sinam
Coactum egestate ingenium inmutarier?
Non faciam. M. Haud verear, si in te sit solo situm;
Sed vim ut queas ferre. P. Adeon' me ignavom putas?
Adeon' porro ingratum, aut inhumanum, aut ferum,
Ut neque me consuetudo, neque amor, neque pudor
Commoveat, neque commoneat, ut servem fidem?
M. Unum hoc scio, esse meritam, ut sis memor sui.
P. Memor sim? O Mysis, Mysis, etiam nunc mihi
Scripta illa sunt in animo dicta Chrysidis
De Glycerio. Jam ferme moriens me vocat.
Accessi; vos semotae; nos soli; incipit:
„Mi Pamphile, hujus formam atque aetatem vides;
Nec clam te est, quam illi utraeque nunc inutiles
Et ad pudicitiam et rem tutandam sient.
Quod ego per hanc te dextram oro et Genium tuum,
Per tuam fidem perque hujus solitudinem
Te obtestor, ne abs te hanc segreges, neu deseras.
Si te in germani fratris dilexi loco,
Sive haec te solum semper fecit maxumi,
Seu tibi morigera fuit in rebus omnibus:
Te isti virum do, amicum, tutorem, patrem.
Bona nostra haec tibi permitto et tuae mando fide."

31. Sic libri vetusti, quos Guyetus usurpavit. V.: huc, vel illuc. 32. Minus ἐμμέτρως legitur Quis h. l.? Q. agitur. Ita Beroll. B et C, Helmstad. et vett. edd., in his Frib. V.: Quid agit? 33. Guyet. malebat misere. 36. Sic Bentl. secundum libros suos, quibuscum et nostri faciunt. V.: Ego. 41. Non aliter meliores libri. V.: vereor. 46. sis MS. C Berol. V.: ut memor esses s., et sequente versu: Mem. essem? 52. Libri corrupto metro: utraeque res nunc in., nec placet Bentleji utiles ironicum. 53. Ita codd. B et C Beroll., quod conjectura assecutus est Guyetus. V., κακομέτρως quidem et ad rem tut. s. 54. Genium 2 Palatini, pleraeque edd., in his Erasmi et Bentleji, denique Guyet. V.: ingenium.

Hanc mi in manum dat; mors continuo ipsam occupat.
Accepi: acceptam servabo. M. Ita spero quidem.
P. Sed cur tu abis ab illa? M. Obstetricem arcesso. P. Propera; atque (audin'?) i. t. c.
Verbum unum cave de nuptiis, ne ad morbum hoc etiam. M. Teneo.

---

# ACTUS II.

## SCENA I.

### CHARINUS, BYRRHIA, PAMPHILUS.

C. Quid ais, Byrrhia? daturne illa Pamphilo hodie nuptum? B. Sic est. t. t.
C. Qui scis? B. Apud forum modo ex Davo audivi. C. Vae misero mihi! as. t. d. i. d.
Ut animus in spe atque in timore usque antehac attentus fuit: i. t.
Ita, postquam ademta spes est, lassus, cura confectus, stupet.
B. Quaeso edepol, Charine, quoniam non potest id fieri, quod vis: t. t.
Id velis, quod possit. C. Nil volo aliud nisi Philumenam. B. Ah, t. t. c.

64. Durum mihi semper visum est, priorem syllabam pronominis illa non primo versu, ubi regnant licentiae, sed corripi medio, qui minus vi valet vigetque metri. Sentiens id incommodum Guyetus expungebat abis. Quem sequitur Sandby. Et scatet sane ellipsibus hic noster; nisi quod nemini auctor sim ut tale quid tentet sine omni librorum veterum auxilio. Ipse igitur olim dedi ab ea, cum is et ille pronomina non semel commutata inter se scirem; necdum commenti ejus poenitet; sed fuit tamen cum, majorem fraudem subesse ratus, sic legerem:

*Sed quid tu abibas? M. Obstetricem arcesso* etc.

Similes b et l litterae, ut facile pro abibas exarari potuerit ab oscitante aliquo librario abilas, mox ab alio abillas, et a correctore ab illa, cui adscriptum inter versus explicandi gratia abis in ipsum deinde ordinem receptum fuerit, ut fieri solet in hoc genere. Abibas sive proprie accipiatur, sive praesentis loco existimetur usurpatum, quem usum illustrant interpretes Horatii ad Sat. 2, 6, 35, Epist. 1, 4, 6, Ovid. Met. 1, 679, Virg. ecl. 1, 80. (Cf. Adelph. 3, 2, 43. et nos ad Plauti Merc. 675), utroque modo et rectum erit et elegans, proindeque Afro dignum.

A. II. SC. I, 2. Ita codd. Beroll. et Frib. Faërn. et Bentl. secundum Donatum: e Davo. V.: de Davo, non male id quoque; male autem Bentl. versum habuit pro trochaico t. c. Versus eiusmodi asynartetos et Plautus passim usurpavit, et hic ipse noster etiam 20, 25; 4, 1, 11; 5, 3, 27; 5, 4, 4; Eun. 2, 1, 6, 8; 3, 70, 71 etc. 5. Ita plerique codd., in his B. et C Beroll., Helmstad. Frib., D. Augustin. 2 locis, a Lindenbrogio laudatis. Vulgo: quod velis. Correxere Faërn. et Bentl.

Quanto satiust, te id dare operam, qui istum amorem ex corde eiicias, t. t.
Quam id loqui, quo mage lubido frustra incendatur tua! t. t. c.
C. Facile omnes, quum valemus, recta consilia aegrotis damus. i. t.
Tu si hic sis: aliter sentias. B. Age, age, ut lubet. C. Sed Pamphilum
Video. Omnia experiri certum est prius quam pereo. B. Quid hic agit?
C. Ipsum hunc orabo; huic supplicabo; amorem huic narrabo meum.
Credo, impetrabo, ut aliquot saltem nuptiis prodat dies.
Interea fiet aliquid, spero. B. Id aliquid nihil est. C. Byrrhia,
Quid tibi videtur? adeon' ad eum? B. Quidni? Si nihil impetres:
Ut te arbitretur sibi paratum moechum, si illam duxerit.
C. Abin' hinc in malam rem cum suspicione istac, scelus? t. t. c.
P. Charinum video. Salve. C. O salve, Pamphile. i. s.
Ad te venio, spem, salutem, auxilium, consilium expetens. t. t. c.
P. Neque pol consilii locum habeo, neque ad auxiliandum copias. as. t. d. i. d.
Sed istuc quidnam est? C. Hodie uxorem ducis? P. Ajunt. C. Pamphile, i. t.
Si id facis: hodie postremum me vides. P. Quid ita? C. Hei mihi! t. t. c.
Vereor dicere. Huic dic, quaeso, Byrrhia. B. Ego dicam. P. Quid est?

7. Lectio commemorata a Donato, quam vulgatae amorem ex (Helmstad. et Frib.: ab) animo amoveas tuo non immerito praetulit Bentl. 9. Quid? ut valentes omnes, et facile quidem, aegrotis dent recta consilia? Quis id affirmet? Quod si verum est, obtemperandum utique erit omnibus, utcunque inter se dissentientibus. Atqui hoc absurdum. Quare dubito de fide hujus scripturae, legamque potius: quum valemus recte. 19. Ita codd. A Berol. Guelferbyt. 1. Helmstad., Frib. Ascens. V.: Ad te advenio, eliso pronomine, quod satius est plene exaudiri, quippe eum significans, a quo tot tantaque speret atque expetat Charinus. 20. Sic plane codd. Petrensis et Regius, a Bentlejo inspecti, item A Berol. Eugraph.: n. ad auxilium copias. Vulgo: neque auxilii copia, hiante quidem versu et usurpata forma genitivi, quae a Terentiano seculo abhorret. Vid. Bentl., qui dedit: n. ad auxilium copiam; sed copias μεταφορικῶς cum Plautus aliique dixere, tum ipse Terentius Heaut, 4, 2, 2.

B. Sponsam hic tuam amat. P. Nae iste haud mecum sentit. Ehodum dic mihi:
Num quidnam amplius tibi cum illa fuit, Charine? C. Ah, Pamphile, as. t. d. i. d.
Nihil. P. Quam vellem! C. Nunc te per amicitiam et per amorem obsecro, i. t.
Principio, ut ne ducas . . . P. Dabo equidem operam. C. Sed si id non potest, t. t. c.
Aut tibi nuptiae haec sunt cordi . . . P. Cordi? C. Saltem aliquot dies
Profer, dum proficiscar aliquo: ne videam. P. Audi nunc jam.
Ego, Charine, ne utiquam officium liberi esse hominis puto,
Cum is nil promereat, postulare id gratiae adponi sibi. i. t.
Nuptias effugere ego istas malo, quam tu adipiscier. t. t. c.
C. Reddidisti animum. P. Nunc si quid potes aut tu, aut hic Byrrhia:
Facite, fingite, invenite, efficite, qui detur tibi;
Ego id agam, qui ne mihi detur. C. Sat habeo. P. Davom optume
Video, cujus consilio fretus sum. C. At tu hercle haud quidquam mihi,
Nisi ea, quae nihil opus est scire. Fugin' hinc? B. Ego vero, ac lubens.

## ACTUS II. SCENA II.

### DAVUS, CHARINUS, PAMPHILUS.

D. Di boni, boni quid porto! sed ubi inveniam Pamphilum, t. t. c.
Ut metum, in quo nunc est, adimam, atque expleam animum gaudio?
C. Laetus est nescio quid. P. Nihil est: nondum haec rescivit mala.
D. Quem ego nunc credo, si jam audierit sibi paratas nuptias.
C. Audin' tu illum? D. Toto me oppido exanimatum quaerere.

27. Frib.: potest fieri. V. potes. Recte Bentl. secundum edd. quasdam vett. et Donatum: potest, fieri potest. 28. haec plane Guelf. 2, quod fugiendi ὁμοιοτελεύτου causa posuit Bentl. V.: hae. 29. Frib.: proficiscar, quod rectius vulgato proficiscor. 35. Ita Donat. Vulgo: mihi qui ne detur. Bentl.: qui mihi ne d. 37. Sic unus Bentleji liber et noster Friburgensis. V.: opus sunt scire. Bentl.: op. sunt sciri.

Sed ubi quaeram? quo nunc primum intendam? C. Cessas adloqui?
D. Habeo. P. Dave, ades! resiste! D. Quis homo est, qui me . . . ? O Pamphile,
Te ipsum quaero! Euge, Charine! Ambo opportune: vos volo.
P. Dave, perii! D. Quin tu hoc audi. P. Interii! D. Quid timeas, scio.
C. Mea quidem hercle certe in dubio vita est. D. Et quid tu, scio.
P. Nuptiae mi . . . D. Etsi scio? P. Hodie . . . D. Obtundis, tametsi intellego?
Id tu paves, ne ducas illam; tu autem, ut ducas. C. Rem tenes.
P. Istuc ipsum. D. Atqui istuc ipsum nil pericli est: me vide!
P. Obsecro te, quamprimum hoc me libera miserum metu!
D. Hem, libero: uxorem tibi non dat Chremes. P. Qui scis? D. Scies.
Tuus pater modo me adprehendit; ait tibi uxorem dare sese
Hodie; item alia multa, quae nunc non est narrandi locus.
Continuo ad te properans percurro ad forum, ut dicam haec tibi.
Ubi te non invenio: ibi escendo in quendam excelsum locum;
Circumspicio. Nusquam. Forte ibi hujus video Byrrhiam;
Rogo. Negat vidisse. Mihi molestum. Quid agam, cogito.
Redeunti interea mi ex ipsa re incidit suspicio.

A. II. SC. II, 6. Ita libri nec pauci numero, nec malae notae. V.: aut quo. Sequor Bentlejum. 7. Habeo. Donat.: Videtur quasi constitisse, deinde elegisse, quo pergat. Sic etiam Bentl. Vulgo: Abeo. 8. quaero non liquescit propter interpunctionem. Cf. 1, 4, 4; Eun. 2, 2, 20; 5, 27; 3, 1, 19; 4, 4, 30; Heaut. 1, 1, 31; 3, 1, 52, etc. 12. Minus bene libri: Id paves, ne ducas tu illam. Hic, si usquam alibi, decebat mutari metrum, longe aliam, ac quam expectabant adolescentes, orationem servulo ordiente. 13. Atqui Frib. V.: Atque. 15. Ita Helmstad. et Frib. Libri vulgati: uxorem tibi non dat jam Chremes. Sed parum est, eum jam non dare. Cf. 54, 5. Iidem libri: Scio. Cod. Collegii Corp. Christi in margine Scies, quod recte praetulit Bentl. 16. adpr. libri B et C Beroll., uterque Guelf., Helmstad., Frib., quod elegantius vulgato prehendit. Sese in codicibus tantum non universis extat; convenitque rei, quae narratur, gravissimae gravissimum metrum. Male itaque Bentl.: ait tibi uxorem dari Hodie. 19. Ita vet. cod. Guyeti a manu prima, probante etiam Bentlejo. V.: ascendo. 22. Sic liber A Berol., nisi quod habet mihi. V.: ex ipsa re mihi, vel mi.

Hem, paululum obsoni; ipsus tristis; de inproviso nuptiae! i. t.
Non cohaerent. P. Quorsumnam istuc? D. Ego me continuó ad Chremem. t. t. c.
Quum illuc advenio: solitudo ante ostium. Jam id gaudeo. i. t.
P. Recte dicis. Perge. D. Maneo. Interea introire neminem t. t. c.
Video, exire neminem; matrona nulla in aedibus;
Nil ornati, nil tumulti. Accessi; introspexi: scio.
C. Magnum signum! D. Num videntur convenire haec nuptiis?
P. Non opinor, Dave. D. Opinor narras? Non recte accipis:
Certa res est. Etiam puerum conveni inde abiens Chremi.
Olera et pisciculos minutos ferre obolo in coenam seni.
C. Liberatus sum hodie, Dave, tua opera! D. At nullus quidem.
C. Quid ita? Nempe huic prorsus illam non dat. D. Ridiculum caput!
Quasi necesse sit, si huic non dat, te illam uxorem ducere,
Nisi vides, nisi senis amicos oras, ambis. C. Bene mones:
Ibo, tametsi hercle haec jam saepe spes me frustrata est. Vale. i. t.

## ACTUS II. SCENA III.

### PAMPHILUS, DAVUS.

P. Quid igitur sibi volt pater? cur simulat? D. Ego dicam tibi. t. t. c.
Si id succenseat nunc, quia non dat tibi uxorem Chremes,
Priusquam tuum, ut sese habeat, animum ad nuptias perspexerit:
Ipsus sibi esse injurius videatur, neque id injuria.

25. illuc Berol. B. et Frib., illoc ceteri libri, quos usurpavimus. V.: illo, non mutato metro in re nova. 27. Ita Guelf. 1. et Helmstad. V.: matronam nullam; in aedibus Nil orn. Interpunctionem emendavit Bentl. 28. V.: P. Scio. Magnum s. 31. Donat.: Sic Chremi (pro Chremis), ut Ulyssi et Achilli. Libri fere: Chremis vel Chremetis. 37. tametsi A et B Beroll. Helmstad. Frib. Ascens. V.: etsi. Bene haec restitutum ex veteribus a Bentlejo. V. non legitur.
A. II. SC. III, 3. Vulgo post sequentem inseritur, separatis quidem, quae sunt conjungenda.

Sed si tu negaris ducere, ibi culpam in te transferet omnem; t. t.
Tum illae turbae fient. P. Quidvis patiar. D. Pater est, Pamphile: t. t. c.
Difficile est. Tum haec sola est mulier: dictum factum invenerit
Aliquam causam, quamobrem eiciat oppido. P. Eiciat? D. Ac cito
P. Cedo igitur, quid faciam, Dave? D. Dic te ducturum. P. Hem! D. Quid est?
P. Egon' dicam? D. Cur non? P. Nunquam faciam. D. Ne nega. i. s.
P. Suadere noli. D. Ex ea re quid fiat, vide.
P. Ut ab illa excludar, huc concludar. D. Non ita est.
Nempe hoc sic esse opinor dicturum patrem
*Ducas volo hodie uxorem;* tu *Ducam* inquies:
Cedo, quid jurgabit tecum? Hic reddes omnia,
Quae nunc sunt certa ei consilia, incerta ut sient,
Sine omni periclo: nam hoc haud dubium est, quin Chremes
Tibi non det gnatam; nec tu ea causa minueris
Haec, quae facis; ne is mutet suam sententiam.
Patri dic velle: ut, cum velit, tibi jure irasci non queat. i. t.
Nam quod tu speres, propulsabo facile: *uxorem his moribus*
*Dabit nemo.* Inveniet inopem potius, quam te corrumpi sinat.
Sed si te aequo animo ferre accipiet: negligentem feceris;
Aliam otiosus quaeret: interea aliquid acciderit boni.
P. Ita credis? D. Haud dubium id quidem est. P. Vide, quo me inducas. D. Quin taces?
P. Dicam. Puerum autem ne resciscat mi esse ex illa, cautio est:
Nam sum pollicitus suscepturum. D. O facinus audax! P. Hanc fidem
Sibi me obsecravit, qui se sciret non desertum iri, ut darem.
D. Curabitur; sed pater adest. Cave, tristem te esse sentiat.

* 5. omnem habent libri plurimi; a vulgatis abest. 7. V.: ac, vel aut, factum. Glossema. Etiam Heaut. 5, 1, 31. MSS. nostri vett. edd. et Calpurn.: ac factum. Sensit Guyet. 8. Eiciat fere prisci. V.: eiiciat. Ac insertum a Bentlejo ad usum sermonis. Ascens.: Et cito. 17. omni priore syllaba correpta legendum est, sicut passim apud poëtas. Cf. Hec. 1, 2, 119; 5, 4, 28. Hoc fere libri, non hocce, sicut vulgo. 24. Ita Donat. Bentl. V.: Alia. 25. Lenior haec libri Helmstad. lectio quam vulgata Itan' credis? 28. Ita vet. Mureti liber, probantibus Guyeto et Bentlejo.

## ACTUS II. SCENA IV.

### SIMO, DAVUS, PAMPHILUS.

S. Reviso, quid agant, aut quid captent consili.
(D. Hic nunc non dubitat, quin te ducturum neges.
Venit meditatus alicunde ex solo loco;
Orationem sperat invenisse se,
Qui differat te. Proin tu fac apud te ut sies.
P. Modo ut possim, Dave. D. Crede, inquam, hoc mihi, Pamphile,
Nunquam hodie tecum commutaturum patrem
Unum esse verbum, si te dices ducere.)

## ACTUS II. SCENA V.

### BYRRHIA, SIMO, DAVUS, PAMPHILUS.

(B. Herus me relictis rebus jussit Pamphilum
Hodie observare, ut, quid ageret de nuptiis,
Scirem id. Propterea nunc huc venientem sequar.
Ipsum adeo praesto video cum Davo: hoc agam.
S. Utrumque adesse video. D. Hem, serva!) S. Pamphile!
(D. Quasi de inproviso respice ad eum.) P. Ehem, pater!
(D. Probe!) S. Hodie uxorem ducas, ut dixi, volo.
(B. Nunc nostrae timeo parti, quid hic respondeat.)
P. Neque hic neque alibi tibi erit usquam in me mora.
(B. Hem . . . .

A. II. SC. V, 3. Vulgo: Scirem. id propterea nunc hunc venientem sequor. Soloecismum, qui inest verbis id propterea, castigat Palmer. Lamp. Gruter. 4. p. 826. Cui soloecismo interpunctione medicati sumus, id significanter additum rati (vid. not. ad 3, 2, 49), ut intelligeremus, id solum jussum esse agere Byrrhiam, ut sciret, quid consilii de nuptiis caperet Pamphilus; quem usum verbi cum non perspicerent librarii, ad sequentia id retulerunt. Quod vero totum versum Bentlejus abjudicat propterea quod Byrrhia dici non possit sequi Pamphilum, qui scena non excessit, ex quo ille abire jussus est in malam crucem (2, 1, 39.): vereor ne prava librorum lectione in fraudem inductus vir doctissimus secus acceperit hunc locum. Cod. B Berol. dilucide: sequar; A: huc venientem. Dicit igitur servus, secuturum se esse Pamphilum, ubi is huc venerit, h. e. ubi domum se receperit, posteaque, consilio vel secum habito, vel cum Davo, rursus aliquo se contulerit. Opperiri domi vult adolescentem, non toto oppido quaerere, ut se quaeri a Pamphilo Davus putat 2, 2, 5. Quo commento haud scio an invenire aptius non potuerit hic noster ad inertiam hominis significandam. Nesciebat autem Byrrhia, restitisse adhuc Pamphilum ante aedes. 9. Ita B Berol. Ceteri numeris durioribus: Neque istic.

D. Obmutuit. B. Quid dixit?) S. Facis, ut te decet,
Quum istuc, quod postulo, impetro cum gratia.
(D. Sum verus? B. Herus, quantum audio, uxore excidit.)
S. I nunc iam intro; ne in mora, cum opus sit, sies.
P. Eo. B. Nullane in re esse cuiquam homini fidem?
Verum illud verbum est, volgo quod dici solet,
Omnes sibi esse melius malle quam alteri.
Ego illam vidi virginem; forma bona
Memini videri: quo aequior sum Pamphilo,
Si se illam in somnis quam illum amplecti maluit.
Renuntiabo, ut pro malo mihi det malum.

## ACTUS II. SCENA VI.

### DAVUS, SIMO.

(D. Hic nunc me credit aliquam sibi fallaciam
Portare et ea me hic restitisse gratia.)
S. Quid Daves narrat? D. Aeque quidquam nunc quidem.
S. Nilne? hem! D. Nil prorsus. S. Atqui expectabam quidem.
D. Praeter spem evenit; sentio: hoc male habet virum.
S. Potin' es mihi verum dicere? D. Nil facilius.
S. Num illi molestae quidpiam sunt nuptiae
Haec propter hospitae hujus consuetudinem?
D. Nihil hercle; aut si adeo: bidui est aut tridui
Haec sollicitudo; nostin'? deinde desinet.
Etenim ipsus eam rem recta reputavit via.
S. Laudo. D. Dum licitum est eii, dumque aetas tulit:
Amavit; tum id clam: cavit, ne unquam infamiae
Ea res sibi esset, ut virum fortem decet.
Nunc uxore opus est: animum ad uxorem adpulit.
S. Subtristis esse visust aliquantum mihi.

18. Putide libri: videre. Cf. Phorm. 5, 3, 32, Hec. 5, 4, 24, etc. 20. Ita Helmstad. Ceteri extincto joco: hoc malo.

A. II. SC. VI, 2. Frustra Guelf. 2: Parare. Cf. 3, 1, 13 etc. 6. Extrema syllaba verbi dicere pro longa est propter interpunctionem. Cf. not. ad Plaut. Capt. prol. 11. Praeter rem Bentl.: D. Ego? nil fac. 8. Libri nullis numeris:

— — *quidpiam hae sunt* (vel *sunt hae*) *nuptiae*
*Propter hujusce hospitae consuetudinem?*

Donat.: Pr. hosp. hujusce consu., unde colligas, legendum esse hujus. Pessime Bentl.: Propter hospitai hujusce consuet. Forma haec genitivi Plauto satis usitata, Terentio minus. 11. Legitur versu ὑπερμέτρῳ: E. i. secum eam etc. Correxit Bentl. 16. Ita Guelf. 1. V.: S. visus est esse aliquantulum mihi.

D. Nil propter hanc rem; sed, quod suscenset tibi. . . .
S. Quidnam est? D. Puerile est. S. Quid id est? D. Nil.
S. Quin dic, quid est?
D. Ait, nimium parce facere sumtum. S. Mene? D. Te.
*Vix obsonatus*, inquit, *est drachmis decem*:
*Num filio videtur uxorem dare?*
*Quem*, inquit, *vocabo ad coenam meorum aequalium*
*Potissimum nunc?* Et, quod dicendum hic siet,
Tu quoque perparce nimium. Non laudo. S. Tace.
D. Commovi. S. Ego, istaec recte ut fiant, videro.
Quidnam hoc rei est? quid hic volt veterator sibi?
Nam si hic mali est quidquam: hem illic est huic re caput.

# ACTUS III.

## SCENA I.

MYSIS, SIMO, DAVUS, LESBIA, GLYCERIUM.

M. Ita pol quidem res est, ut dixti, Lesbia:
Fidelem haud ferme mulieri invenias virum.
(S. Ab Andria est ancilla haec? D. Quid narras? S. Ita est.)
M. Sed hic Pamphilus.... S. Quid dicet? M. Firmavit
fidem. . . (S. Hem!
D. Utinam aut hic surdus, aut haec muta facta sit!)
M. Nam quod peperisset, jussit tolli. (S. O Jupiter,
Quid ego audio? Actum est, si quidem vera haec praedicat!)
L. Bonum adolescentis narras ingenium. M. Optumum.
Sed sequere me intro: ne in mora illi sis. L. Sequor.
(D. Quod remedium nunc huic malo inveniam?) S. Quid
hoc?

17. Ita Guelf. 2. V.: sed est. Verba sic ordinabis: sed puerile est, (propter) quod susc. tibi. Ceterum vet. cod. Acad. Colon. et alius Stanaei apud Palmer. Lamp. Gruter. 4, 438: sed est, quod censeat tibi, sicut censere pro suscensere veteres dixisse Varro auctor est. 18. Sic libri plurimi. Vulgati versu pessumdato: Quid est? Senserunt Erasm. Guyet. Bentl. 20. Frib.: Vix est obs. inqu. dragmis decem. V.: Vix, inquit, drachmis est obs. id. Bentl. ex 2 codd. primariis: obsonatum.
A. III. SC. I, 3. Libri affirmate: Ab Andria est ancilla haec. Sed non interrogatus Davus, cur respondeat Quid narras? nulla causa est. Cf. 19. 4. V.: Quid dicit? quasi non audiverit verba ancillae; quod ineptum. Imo audito nomine Pamphili attentior factus Simo, quid dictura sit de illo, quaerit reputatque. Saepe mixtae e et i litterae. 10. Hic novam scenam Brunckius orditur in ed. Basil. a. 1797. Nos in digerendis scenis secuti sumus Daceriam, non quo nusquam eam in hac re falsam existimemus, sed quod melior in plerisque ejus ordo est quam ceterorum editorum atque interpretum.

Adeon' est demens? ex peregrina? (Jam scio: Ah,
Vix tandem sensi stolidus! D. Quid hic sensisse ait?
S. Haec primum adfertur jam mihi ab hoc fallacia:
Hanc simulant parere, quo Chremetem absterreant.)
G. Juno Lucina, fer opem! serva me, obsecro!
S. Hui, tam cito? Ridiculum! Postquam ante ostium
Me audivit stare: adproperat. Non sat commode
Divisa sunt temporibus tibi, Dave, haec. D. Mihin'?
S. Num inmemores discipuli? D. Ego, quid narres, nescio.
(S. Hic inparatum me si in veris nuptiis
Adortus esset, quos mihi ludos redderet!
Nunc hujus periclo fit; ego in portu navigo.)

## ACTUS III. SCENA II.

### LESBIA, SIMO, DAVUS.

L. Adhuc, Archylis, quae adsolent, quaeque oportet b. d.
Signa esse ad salutem, omnia huic esse video.
Nunc primum fac istaec lavet; post deinde,
Quod jussi ei dari bibere, et quantum imperavi,
Date. Mox huc revertor. b. d.
Per, Castor! scitus puer est natus Pamphilo. i. s.

19. Libri fere: immemor es. Recta et scriptura et sententia extat apud Donatum, unde Bentl. aliique petiverunt. 20. Soloece libri: Hiccine — redderet. Ortum -ine ex me sequente. 21. quos mihi ludos redderet. Latino hoc dici negans Bentlejus ponit q. me l. r. Sed recte Bosscha ad Plaut. Capt. 3, 4, 47. opponit Mostell. 2, 1, 8. (Ludos ego hodie vivo praesenti hic seni Faciam.) et, qui locus magis etiam ad rem pertinet, Mercat. 2, 1, 1. (Miris modis di ludos faciunt hominibus.) Redderet, faceret.

A. III. SC. II, 1. Frib.: archilis, h. e. Archylis, Ἀρχυλὶς, quod dedit Bentl. Male ceteri libri Archillis. Nota Graecorum nomina Θεστυλὶς, Ξυστυλὶς, Φειδυλὶς, Ἐρωτυλίς. 3. V.: ut lavet. Elegantius conjunctio abest quam adest; quam recte delevisse puto Bentlejum. Quodsi quis est, qui servare studeat, is leget secundum Bentleji vet. codicem et Eugraphium; fac ista ut. 4. dari tantum non omnes codd. et Eugraph., neque vulgatum dare metro convenit bacchiaco. 5. Ita codex A Berol. V., numeris durissimis, vel potius nullis: ego huc rev. 6. Librorum alii percastor (ut etiam Priscian. p. 987. Putsch.), alii perecastor. Rectum prius, sed ita ut scribatur Per, Castor! scitus, h. e. Perscitus, Castor, etc., quemadmodum legitur Hec. 1. Per pol quam pro Perquam pol, et Plaut. Cas. 2, 6, 18. Per pol saepe pro Persaepe pol. Ecastor primam syllabam porrectam habet: vide Plaut. Amph. 2, 2, 31, 50, 180 etc. Castor! ut Di boni, boni quid porto! 2, 2, 1; Jupiter, Estne illic Charinus? Plaut. Mercat. 5, 2, 24, etc.

Deos quaeso, ut sit superstes, quandoquidem ipse est ingenio bono, i. t.
Cumque huic est veritus optumae adolescenti facere injuriam.
S. Vel hoc quis non credat, qui te norit, abs te esse ortum? D. Quidnam id est?
S. Non imperavit coram, quid opus facto sit puerperae;
Sed, postquam egressa est, illis, quae sunt intus, clamat de via.
O Dave, itan' contemnor abs te, aut itane tandem idoneus
Tibi videor esse, quem tam aperte fallere incipias dolis?
Saltem adcurate; ut metui videar certe, si resciverim.
(D. Certe hercle nunc hic se ipsus fallit, haud ego.) S. Edixi tibi;
Interminatus sum, ne faceres: num veritus? quid retulit?
Credon' tibi hoc nunc, peperisse hanc e Pamphilo? i. s.
(D. Teneo, quid erret, et, quid agam, habeo.) S. Quid taces?
D. Quid credas? Quasi non tibi renuntiata sint haec, sic fore. i. t.
S. Mihin' quisquam? D. Eho, an tute intellexti hoc adsimulari? S. Inrideor?
D. Renuntiatum est: nam qui istaec tibi incidit suspicio?
S. Qui? Quia te noram. D. Quasi tu dicas, factum id consilio meo.
S. Certe enim scio. D. Non satis me pernosti etiam, qualis sim, Simo.
S. Egon' te? D. Sed, si quid narrare occoepi, continuo, dari
Tibi verba censes falso: itaque hercle nil jam muttire audeo.
S. Hoc ego scio unum, neminem peperisse hic. D. Intellexti. i. t. c.
Sed nihilo secius mox puerum huc deferent ante ostium. i. t.
Id ego jam nunc tibi, here, renuntio futurum, ut sis sciens:
Ne tu hoc posterius dicas, Davi factum consilio aut dolis.
Prorsus a me opinionem hanc tuam esse ego amotam volo. t. t. c.
S. Unde id scis? D. Audivi, et credo: multa concurrunt simul,

10. Frib.: imperavit. V.: N. imperabat c., q. o. f. esset p. Pravus accentus vocabuli essét. 15. Ita Bentl. V. Edixin' tibi? Cf. 3, 4, 3. 16. Non placet accentus in extrema syllaba τοῦ veritus. Fieri potest ut trajectione haec laborent legendumque sit: ne faceres veritus: numquid retulit? 26. Ita cod. A Berol. et Bentl. V.: Intellexti? vel Intellextin'? 29. Ἀμέτρως legitur: Ne tu hoc mihi post. Intellexere Guyet. et Bentl.

Qui conjecturam hanc nunc facio. Jam primum haec se e Pamphilo
Gravidam dixit esse. Inventum est falsum. Nunc, postquam videt
Nuptias domi adparari, missa est ancilla illico
Obstetricem arcessitum ad eam, et puerum ut adferret simul.
Hoc nisi fit, puerum ut tu videas: nil moventur nuptiae.
S. Quid ais? Cum intellexeras t. d. c.
Id consilium capere, cur non dixti extemplo Pamphilo? t. t. c.
D. Quis igitur eum ab illa abstraxit, nisi ego? nam omnes nos quidem
Scimus, quam misere hanc amarit; nunc sibi uxorem expetit.
Postremo id mihi da negoti; tu tamen idem has nuptias
Perge facere ita, ut facis, et id spero adjuturos deos.
S. Imo abi intro: ibi me opperire et, quod parato opus est, para. —
Non inpulit me, haec nunc omnino ut crederem; i. s.
[Atque haud scio, an, quae dixit, sint vera omnia.]
Sed parvi pendo. Illud mihi multo maxumum est,
Quod mihi pollicitust ipse gnatus. Nunc Chremem
Conveniam: orabo gnato uxorem. Id si impetro,
Quando alias malim quam hodie has fieri nuptias?
Nam gnatus quod pollicitust, haud dubium id mihi,
Si nolit, quin eum merito possim cogere.
Atque adeo in ipso tempore eccum ipsum obviam Chremetem! i. t. c.

38. Sic major pars librorum et melior. V.: consilii. Vid. not. ad 2, 1, 22. Sequor Bentlejum. 41. Frib.: P. id mihi ut abstraham illum ab illa da negocii. 42. Codd. quidam Faerni, Bentleji unus, nostrorum duo, Guelf. 2. et Helmstadiensis, ex editionibus autem Friburg. et Ascens.: adiutores, quod mirifice placuit Guyeto. 44. Uncinis inclusa pro foetu putidi interpolatoris habenda sunt, ut quae non ταυτολεξία modo offendant, sed ab ipso usu latini sermonis abhorreant, siquidem qui se haud scire dicit, an aliquid verum sit, verum id se credere significat, cum contrarium velit Simo. 46. Ita Bentl. V.: ipsus, ὁμοιοτελεύτῳ valde invenusto. 47. Sic idem secundum Acronem ad Horat. Sat. 2, 4, 63. V.: Quid alias. 49. id praebuere Berol. A, Guelf. uterque et edd. vett. Est autem ex usu Nostri: cf. 2, 5, 3; 3, 3, 16; 4, 6, 16 etc. 51. Sic Beroll. B, C et Guelf. 2. In aliis, neque eodem loco, legitur Chremem, quod posuit Bentl., expuncto levi de causa verbo obviam.

## ACTUS III. SCENA III.

### SIMO, CHREMES.

S. Jubeo Chremetem... C. Oh, te ipsum quaerebam. S. Et ego te. C. Optato advenis. i. t.
Aliquot ad me adiere, ex te auditum qui aibant, hodie filiam
Meam tuo gnato nubere: id viso, tu an illi insaniant.
S. Ausculta paucis: et, quid te ego velim, et, tu quod quaeris, scies.
C. Ausculto: loquere, quid velis. i. d.
S. Per te ego deos oro et nostram amicitiam, Chreme, i. s.
Quae incepta a parvis cum aetate adcrevit simul,
Perque unicam gnatam tuam et gnatum meum,
Cuius tibi potestas summa servandi datur,
Ut me adjuves in hac re, atque ita, uti nuptiae
Fuerant futurae, fiant. C. Ah, ne me obsecra,
Quasi hoc te orando a me impetrare oporteat.
Alium esse censes nunc me atque olim, quum dabam?
Si in rem est utrique, ut fiant, arcessi jube.
Sed si ex ea re plus mali est, quam commodi
Utrique: id oro te in commune ut consulas,
Quasi illa tua sit, Pamphilique ego sim pater.
S. Imo ita volo itaque postulo ut fiat, Chreme;
Neque postulem abs te, ni ipsa res moneat. C. Quid est?
S. Irae sunt inter Glycerium et gnatum.... C. Audio.
S. Ita magnae, ut sperem posse avelli. C. Fabulae.
S. Profecto sic est. C. Sic hercle, ut dicam tibi:
Amantium irae amoris integratio est.
S. Hem, id te oro ut ante eamus, dum tempus datur,
Dumque ejus lubido occlusa est contumeliis.
Priusquam harum scelera et lacrumae confictae dolis

A. III. SC. III, 2. Dedit eam lectionem ex membranis suis Gronov. ad Plaut. Truc. 2, 6, 21. Friburg. quoque: ad me adierunt, quod ipsum ferri potest, si legatur Aliqui cum Helmstadiensi, V. secundum Faernum, numeris quidem pessimis: Aliquot me adiere, ex te auditum qui aiebant. Bentl.: Al. me adierunt, ut magna pars codicum. 3. Non melioribus libri numeris: M. nub. t. gn.: id viso, tune an i. i. Berol. A et Frib.: tu. Jam Meam versiculi sedem primam occupat, viso quintam; id quod minime inelegans: vid. not. ad 1, 2, 19. 18. Frib.: ita post. Scribendum fortasse: Imo ita volo, ita post., neque elidendum volo propter interpunctionem. Cf. 2, 2, 8. 19. Ita Bentl. secundum aliquot libros. V.: nisi. 23. Servius, Acron, Helmstad.: redintegratio; Charis. et A Berol. et Frib.: reintegratio. Ἐπέχω.

Reducant animum aegrotum ad misericordiam,
Uxorem demus. Spero consuetudine,
Conjugio liberali, devinctum, Chreme,
Dein facile ex illis sese emersurum malis.
C. Tibi ita hoc videtur; at ego non posse arbitror,
Neque illum hanc perpetuo habere, neque me perpeti.
S. Qui scis ergo istuc, nisi periclum feceris?
C. At istuc periclum in filia fieri, grave est.
S. Nempe incommoditas denique huc omnis redit,
Si eveniat, quod di prohibeant, discessio.
At si corrigitur, quot commoditates, vide:
Principio amico filium restitueris;
Tibi generum firmum et filiae invenies virum.
C. Quid istic? Si ita istuc animum induxti esse utile,
Nolo tibi ullum commodum intercludier.
S. Merito te semper maxumi feci, Chreme.
C. Sed quid ais? S. Quid? C. Qui scis eos nunc discordare inter se? i. t. c.
S. Ipsus mihi Davus, qui intumust consiliis eorum, dixit;
Et is mihi suadet, nuptias, quantum queam, ut maturem.
Num censes faceret, filium nisi eadem haec velle sciret?
Tute adeo jam ejus verba audies. Heus, evocate huc Davom!
Atque eccum video ipsum foras exire.

## ACTUS III. SCENA IV.

### DAVUS, SIMO, CHREMES.

D. Ad te ibam. S. Quidnam est? i. t. c.
D. Cur uxor non arcessitur? Jam advesperascit. S. Audin'?
Ego dudum nonnil veritus sum, Dave, abs te, ne faceres idem, i. t.
Quod volgus servorum solet, dolis ut me deluderes.
Propterea quod amat filius. D. Egon' istuc facerem? S. Credidi;
Idque adeo metuens vos celavi, quod nunc dicam. D. Quid? S. Scies:

28. Sic A Berol., asyndeto non ineleganti. V.: et Conjugio, 40. Frib. non habet ita. 41. Sic Bentl. V.: N. t. u. comm. in me claudier. 44. Ita Guelf. uterque, rectius collocato verbo consiliis. V.: eorum cons. 46. B et C Beroll. et Frib.: facere.

A. III. SC. IV, 1. Codd. post audin' habent verba tu illum, quae ex margine procul dubio irrepsere. Nam quod Guyet. Westerhov. aliique ὀβελίζουσι τὸ uxor, cum versûs detrimento faciunt.

Nam propemodum habeo jam fidem tibi. D. Tandem agnosti, qui siem.
S. Non fuerant nuptiae futurae. D. Quid? non? S. Sed ea gratia
Simulavi, vos ut pertentarem. D. Quid ais? S. Sic res est. D. Vide!
Nunquam istuc quivi intelligere. Vah, consilium callidum! t. t. c.
S. Hoc audi. Ut hinc te introire jussi: opportune hic fit mi obviam . . (D. Hem, i. t.
Numnam perimus?) S. Narro huic, quae tu dudum mihi . . . (D. Quidnam audiam?)
S. Gnatam gnato ut det oro, vixque id exoro. (D. Occidi!) S. Hem, quid j. t. c.
Dixisti? D. Optume, inquam, factum. S. Nunc per hunc nulla est mora. t. t. c.
C. Domum modo ibo: ut adparetur, dicam, atque huc renuntio. i. t.
S. Nunc te oro, Dave, quoniam solus mihi effecisti has nuptias. . . .
(D. Ego vero solus!) S. Gnatum mihi corrigere porro enitere.
D. Faciam hercle sedulo. S. Potes nunc, dum animus irritatus est.
D. Quiescas. S. Age igitur. Ubi nunc est ipsus? D. Mirum, ni domi est.
S. Ibo ad eum atque eadem haec, tibi quae dixi, dicam itidem illi. D. Nullus sum!

6. agnosti edd. vett., in his Frib. V.: cognosti, quo recepto delent tibi, ut versus stet recto talo. Non semel haec inter se commutata. 9. Sic Guelf. 2. Friburg. V.: ego int. Bentl.: ego quivi. Recte mutatur metrum. 11, 12. V.: N. periimus? S. N. h., quae tu dudum narrasti mihi. D. Q. audio? S. Gnatam ut det oro, vixque etc. Tres Beroll. Helmstad. Friburg. Ascens., item Eugraph.: perimus, quod sententiae non minus aptum est, metro autem magis propterea quod periimus accentum in prima syllaba habere ex regula debet (vid. Bentl. ad Heaut. 2, 3, 30.), non in secunda, ut hic fieri necesse est. Deinde liber antiquissimus Friburg.: gnatam gnato ut det oro, quod modulum superat interpolatoris, non superat istud narrasti, sed eleganter subauditur. Audiam dedit Bentl. Donatus: Quidnam audio? Legitur et audiam. Menander enim sic ait: τί δήποτ' ἀκούσω; 13. Dixisti cod. primariae notae Bentlejanus. V.: Dixti, quod ipsum feratur non elisum. 14. Recte Guyet. et Bentl.: adparetur. Cf. Eun. 3, 5, 55; Adelph. 5, 7, 2. V.: apparentur, cum non apud Chremem, sed Simonem, parandae sint nuptiae.

Quid causae est, quin hinc in pistrinum recta proficiscar via?
Nihil est preci loci relictum: tam perturbavi omnia:
Herum fefelli; in nuptias conjeci herilem filium;
Feci hodie ut fierent, insperante hoc atque invito Pamphilo.
Hem astutias! Quodsi quiessem: nihil evenisset mali.
Sed eccum video ipsum. Occidi! i. d.
Utinam mi esset aliquid hic, quo nunc me praecipitem darem! t. t. c.

## ACTUS III. SCENA V.

### PAMPHILUS, DAVUS.

P. Ubi illic est scelus, qui me hodie...? D. Perii! P. Atque hoc confiteor, jure t. t.
Mi obtigisse, quandoquidem tam iners, tam nulli consili sum.
Servon' fortunas meas me commisisse futili? Ergo
Pretium ob stultitiam fero; sed inultum id nunquam a me auferet. t. t. c.
(D. Posthac incolumem sat scio fore me, hoc si devito malum. i. t.)
P. Nam quid ego nunc dicam patri? negabon' velle me, modo
Qui sum pollicitus ducere? Qua fiducia id facere audeam?
Nec, quid me nunc faciam, scio. D. Nec quid me; atque id ago sedulo.
Dicam, aliquid jam inventurum, ut huic malo aliquam producam moram.
P. Oh! (D. Visus sum.) P. Ehodum, bone vir, quid agis? viden' me tuis consiliis i. t. c.

21. V.: iam pert. o.

A. III. SC. V. 1. V.: U. i. e. sc., qui me perdidit? Libri bene multi, in his etiam Berol. B et Frib.: qui me hodie perd. Glossema agnovit Bentl. Sed quod verbum Perii Pamphilo tribuit, non assentior. 3. Ergo plerique omnes libri, non Ego, sicut Donat. Bentl. 4. a me cod. Bentleji regius, A Berol., vett. edd., in his Bad. B quoque Berol. ea verba inter lineas habet, sed a manu recentiore. Restituit Bentl. 5. Putide libri et κακομέτρως: nunc si hoc dev. mal. Sensit Guyet. 8. Ita Guyet. Bentl. V.: nec quidem me, atque etc. 10. V.: Ohe, quod posteriorem syllabam producit. Correxit Bentl., simulque pro ais vulgato ex 2 codd., quibuscum faciunt A et B Beroll. et Frib., dedit agis. Tuis consiliis legitur in Frib. Ascens. V.: consiliis tuis, quae lectio videtur esse nescio cujus metra horum versuum exaequantis, quae rectius variantur pro vicissitudinibus affectuum.

Miserum impeditum esse? D. At jam expediam. P. Expedies? D. Certe, Pamphile.
P. Nempe, ut modo. D. Imo melius spero. P. Hoc tibi ego ut credam, furcifer?
Tu rem impeditam et perditam restituas? Hem, quo fretus sum,
Qui me hodie ex tranquillissima re conjecisti in nuptias!
Annon dixi hoc esse futurum? D. Dixti. P. Quid meritus? D. Crucem.
Sed sine paululum ad me redeam: jam aliquid dispiciam. P. Hei mihi,
Cum non habeo spatium, ut de te sumam supplicium, ut volo!
Namque hoc tempus praecavere mihi me, haud te ulcisci, monet.

---

# ACTUS IV.

## SCENA I.

### CHARINUS, PAMPHILUS, DAVUS.

C. Hoccine credibile aut memorabile, dact. t.
Tanta vecordia innata cuiquam ut siet, cr. t.
Ut malis gaudeant, atque ab incommodis
Alterius sua ut computent commoda? Ah,

12. Sic A et B Beroll. uterque Guelf. Helmstad. Frib. Ascens.: Oh, hoc tibi etc. V.: Oh, tibi ego ut c., f.? 17. Quum. Codex recentior quidam Bentleji, Beroll. A et B, Helmstad. Frib.: Cur. Recte alterum Bentl. servavit, h. e. Quoniam, ut monet Guyet., qui laudat similia Nostri 4, 1, 22, ubi vid. nota, et Plauti Men. 2, 2, 29: Hei mihi, Quum nihil est, qui illi homini diminuam caput. 18. Ita Palmer, Lamp. Gruter. 4. p. 837, cum in suis omnibus invenisset, quod nos in B Berol.: mihi me monet. Quem recte sequitur Bentl. Helmstad. quoque: mihi me monet, haud etc. V.: praec. mihi me, haud te ulciscier sinit.

A. IV. SC. I, 1. Ita Bentlejo usurpatus cod. Acad. Prisciani 900 annorum. V.: Hocc. est cred., ut Eugraph. Donat.: Hocc. cred. est, errante copula, ut spuriam facile agnoscas; quam respuit metrum dactylicum, a Bentlejo restitutum. 3. gaudeant. Libri Palmeriani: rideat. Vid. Lamp. Gruter. 4. p. 744. Minus autem recte in tam puris creticis legitur ex inc. 4. V.: A. s. comparent ut, vel ut comparent, commoda. Egregie liber Friburgensis: computet, quod vocabulum ad lucrum pertinet. Id vel potius computent (nam sic legendum, ut gaudeant) Donatus ante oculos habuit, cum haec scripsit: Hoc est: non intelligunt commoda sua, nisi ex alterius

Idne verum? Imo id hominum est genus pessumum, in
Denegando modo quis pudor paulum adest;
Post ubi tempus promissa jam perfici:
Tum coacti necessario se aperiunt,
Et timent, et tamen res premit. cr. tr.
Ibi tum eorum inpudentissima oratio est: cr. t.
Quis tu es? quid mi es? cur meam tibi? Heus, proxumus sum egomet mihi. as. t. d. i. d.
*Attamen ubi fides?* si roges: nil pudet. cr. t.
Hic, ubi opus est, non verentur; illi, ubi nil opus, ibi verentur. t. t.
Sed quid agam? adeamne ad eum, et cum eo injuriam hanc expostulem? t. t. c.
Ingeram mala multa? Atqui aliquis dicat: Nil promoveris.
Multum molestus certe ei fuero atque animo morem gessero. i. t.
P. Charine, et me et te inprudens, nisi quid di respiciunt, perdidi.
C. Itane? inprudens? Tandem inventa est causa: solvisti fidem. t. t. c.
P. Qui *tandem?* C. Etiam nunc me ducere istis dictis postulas?

incommodis ea aestimaverint. Neque alio pertinet vel ejusdem vel alius nescio cujus explicatio haec: H. e. acquirant, vel aestiment, metiantur. 5. V. numeris durioribus: Idne est verum? Verum, aequum. Vid. Heindorf. ad Horat. Sat. 2, 5, 208. etc. 6. Ita cod. Petrensis. V.: paululum. 7. V.: tempus est. Sed Donat.: Post ubi tempus. Deest est, ut sit tempus est. Neque aliter antiqui libri apud Bentlejum. 9. V.: Et timent, et tamen res cogit denegare. Plerique omnes codd. non: cogit, sed: premit, idque ponere satis habuit Bentl. Verum denegare in fine clausulae feram creticae, in justi cretici non fero. Atqui Donatus: Et timent, et tamen res premit. (Sic legendum, non, ut vulgo: Et t., et t. res cogit denegare.) Bis numero *subauditur* denegare. 11. quid mihi es vet. cod. Guyeti et B Berol., affertur que ea lectio ex Georgio Fabricio, quae quidem fortior vulgata quis mihi es? Pindar. Pyth. 8, 135: Τί δέ τις; τί δ' οὔ τις; Cf. Eunuch. 2, 2, 42. etc. Neque enim plane assentior Guyeto scribenti: Quid mihi es? idem est τῷ quis mihi es? Ceterum traduxit se Bentl., cum etiam hunc versum et 13. habuit pro creticis. 13. Libri versu jugulato: illic, ubi nihil opus est. Frustra verba non verentur, in duobus illa codd. et Eugraphio non reperta, expunxit Bentl., creticos effecturus, quorum hic nec vola nec vestigium. 15. Sic edd. vett. V.: Atque. 16. V.: Multum. Molestus etc. Recte Guelferbytani et vett. edd. uno tenore: Multum (Guelf. 2: Multo) molestus certe ei fuero. Pessime Bentl.: Nil? Molestus etc. 19. Ita B Berol. a m. 1. et vet. cod. publicae biblioth. Colon. ap. Palmer. Lamp. Gruter. 4. p. 827,

P. Quid istuc est? C. Postquam me amare dixi: complacita est tibi. i. t.
Heu me miserum, qui tuum animum ex animo spectavi meo! t. t. c.
P. Falsus es. C. Non satis tibi esse hoc solidum visum est gaudium,
Nisi me lactasses amantem et falsa spe produceres.
Habeas. P. Habeam? Ah, nescis quantis in malis verser miser,
Quantasque hic suis consiliis mihi confecit sollicitudines i. t.
Meus carnufex. C. Quid istuc tam mirum, de te si exemplum capit?
P. Haud istuc dicas, si cognoris vel me, vel amorem meum.
C. Scio: cum patre altercasti dudum, et is nunc propterea tibi
Suscenset, nec te quivit hodie cogere, illam ut duceres.
P. Imo etiam, quod tu minus scis aerumnas meas, i. s.
Haec nuptiae non adparabantur mihi,
Nec postulabat nunc quisquam uxorem dare.
C. Scio; tu coactus tua voluntate es. P. Mane:
Nondum scis. C. Scio equidem illam ducturum esse te.
P. Cur me enicas? Hoc audi! Nunquam destitit
Instare, ut dicerem esse ducturum patri;

neque aliter legendum esse conjiciebat Georg. Fabricius, probante Guyeto. V.: Quid tandem? Frustra Bentl.: Q. ita t.? delcto nunc. Quaerit Pamphilus, cur tandem inventam esse causam dicat Charinus. 21. qui. Donat.: Legitur et cum. Cf. not. ad 5, 5, 17. 30. Inveterato vitio legitur quo tu minus etc. Tentabat Guyetus: Immo etiam quo scias magis aer. m. Sed ea violentia non est opus. Plaut. Amph. 1, 2, 17: Nunc de Alcumena dudum quod dixi minus, Hodie illa pariet. Mercat. prol. 24. haec, quae dixi minus. Ipse noster alibi, monente Douza ad locum Amphitruonis: quod intellexistis minus. 31. Sic plane cod. C Berol. et E a m. 2. cum hac annotatione: Hae nuptiae, vel melius haec nuptiae in numero plurali: nam haec in numero plurali saepe apud veteres loco feminini generis ponebatur etc. Donat.: Legitur et haec nuptiae. Quem sequitur Bentl. 34. Bentl. secundum codicem Palat. seu Romanum, quem laudat G. Fabricius (neque aliter libri Palmer. Lamp. Gruter. 4, 837): Nondum etiam scis. Ch. Scio equidem ducturum esse te. Sed neque placet expunctum illam, verbum gravissimum, et Guelf. 1, quem adhibui, hanc scripturam ostendit: Nondum scis etiam, quo magis credo, adscriptum esse etiam ab interprete. 36. V., depravatis numeris: ut dicerem me esse d. p. Sequor Guyeto visos MSS. et olim cusos, Erasmum, Muretum etc. Cf. Eun. 1, 2, 125, Adelph. 4, 7, 52, quae loca laudat Guyetus, similia ille multa praetermittens, quae quivis facile inveniat. Insuavior Bentleji scriptura: I., ut dic. me d. p.

Suadere, orare, usque adeo donec perpulit.
C. Quis homo istuc? P. Davos.... C. Davos? P. Interturbat.
C. Quamobrem? P. Nescio, i. t.
Nisi mihi deos sat scio fuisse iratos, qui auscultaverim.
C. Factum a te hoc, Dave? D. Factum est. C. Hem,
quid ais, scelus?
At tibi di dignum factis exitium duint!
Eho, dic mihi, si omnes hunc conjectum in nuptias
Inimici vellent, quod nisi consilium hoc darent?
D. Deceptus sum, at non defatigatus. C. Scio.
D. Hac non successit, alia adoriemur via;
Nisi id putas, quia primo processit parum,
Non posse jam ad salutem converti hoc malum.
P. Imo etiam: nam satis credo, si advigilaveris,
Ex unis geminas mihi conficies nuptias.
D. Ego, Pamphile, hoc tibi pro servitio debeo,
Conari manibus, pedibus, noctis et dies
Capitis periclum adire, dum prosim tibi.
Tuum est, si quid praeter spem evenit, mi ignoscere.
Parum succedit, quod ago; at facio sedulo.
Vel melius tute reperi; me missum face.
P. Cupio: restitue, quem a me accepisti locum.
D. Faciam. P. At jam hoc opus est. D. Hem ... Sed mane: concrepuit a Glycerio ostium. as. t. d. i. d.
P. Nihil ad te. D. Quaero. P. Hem, nunccine demum? D. At jam hoc tibi inventum dabo. i. t.

## ACTUS IV. SCENA II.

### MYSIS, PAMPHILUS, CHARINUS, DAVUS.

M. Jam, ubiubi erit, inventum tibi curabo et mecum adductum i. t. c.

39. Librorum alii: qui ei ausc., alii: qui ausc. ei. Glossema delevit Bentl. secundum Eugraphium. 40. V.: Factum hoc est, Dave? D. Factum. C. Hem etc. Guelf. 1: Factum hoc est a te, Dave? Cod. Petrensis et edd. a Guyeto adhibitae: Factum est, ut legitur apud Bentlejum. 44. Ita Beroll. A et C, Helmstad. Frib. Ascens. V.: defetigatus. 45. Codd. superstites: aggrediemur. Sed Donatus: Alia aggrediemur via. Vel adoriemur, id est enitemur. Recte Guyetus: τὸ aggrediemur, inquit, glossema esse τοῦ adoriemur, quis non videt? Glossemata autem, utpote usu trita et vulgata exquisitioribus et elegantioribus a librariis praeferri utplurimum notabis. 56. Sic Eugraph. Bentl. Codd. variant. A Berol. non male: quem accepisti a me locum. 57. Hoc corripitur, siquidem est nominativus. Lindenbrog. 1 crepuit. 58. Nunccine, ut Siccine, Heccine. Bentl. et uno codice: nuncne, cujus vocabuli vastus sonus.

Tuum Pamphilum, ne te mutes, animi mi, nolim te monere.
P. Mysis! M. Quis est? Hem Pamphile, optume mihi te offers! P. Quid est? i. t.
M. Orare jussit, si se ames, hera, jam ut ad sese venias: i. t. c.
Videre ait te cupere. P. Vah, perii: hoc malum integrascit.
Siccine me atque illam opera tua nunc miseros sollicitarier? i. t.
Nam idcirco arcessor, nuptias quod mi adparari sensit. i. t. c.
C. Quibus quidem quam facile poterat quiesci, si hic quiesset!
D. Age, si hic non insanit satis sua sponte, instiga. M. Atque edepol
Ea res est, proptereaque nunc misera in maerore est.
P. Mysis,
Per omnis tibi adjuro deos, numquam eam me deserturum;
Non, si capiundos mihi sciam esse inimicos omnis homines.
Hanc mi expetivi: contigit: conveniunt mores. Valeant,
Qui inter nos discidium volunt: hanc nisi mors mi adimet nemo.
M. Resipisco. P. Non Apollinis mage verum atque hoc responsum est.
Si poterit fieri, ut ne pater per me stetisse credat,
Quo minus haec fierent nuptiae, volo; sed si id non poterit;
Id faciam, in proclivi quod est, per me stetisse ut credat.
Quis videor? C. Miser aeque atque ego. D. Consilium quaero. C. Fortis!
P. Scio, quid conare. D. Hoc ego tibi profecto effectum reddam.
P. Jam hoc opus est. D. Quin jam habeo. C. Quid est? D. Huic, non tibi, habeo: ne erres.
C. Sat habeo. P. Quid facies? Cedo. D. Dies hic mi ut satis sit vereor
Ad agendum, ne vacuum esse me nunc ad narrandum credas.
Proinde hinc vos amolimini: nam mi impedimento estis.
P. Hanc visam ego. D. Quid tu? quo hinc te agis? C. Verum vis dicam? D. Imo etiam
Narrationis incipit mi initium! C. Quid me fiet?

5. Frustra Bentl. et Brunck. in edit. Basil. a. 1797, dum versus exaequare student, quo nihil opus est: Ehem, P., opportune te mihi offers, expunctis pro arbitrio verbis Quid est? Id tamen recte, quod posuerunt M. Quis est? nam codd. ibi quoque: Quid est? 17. V.: hae. Sed Frib.: hee, pro hae. Vid. not. ad 4, 1, 32. 19. Perperam scribunt Forti's, Forti'es (Palmer. Lamp. Gruter. 4. p. 857.) Intelligendum verbum substantivum, sicut passim. Vid. not. ad Eun. 5, 11, 15. ... Ita C Berol.: conaris, graece. V.: conere.

D. Eho, tu, impudens, non satis habes, quod tibi dieculam adde,
Quantum huic promoveo nuptias? C. Dave, at tamen... D. Quid ergo?
C. Ut ducam. D. Ridiculum! C. Huc face ad me venias, si quid poteris.
D. Quod veniam, nil habeo. C. Attamen si quid... D. Age, veniam. C. Si quid...
Domi ero. D. Tu, Mysis, dum exeo, parumper opperire hic.
M. Quapropter? D. Ita facto est opus. M. Matura. D. Jam jam hic adero.

## ACTUS IV. SCENA III.

### MYSIS.

Nil-ne esse proprium cuiquam? Di, vostram fidem:
Summe bonum esse herae hunc putavi Pamphilum,
Amicum, amatorem, virum, in quovis loco
Paratum; verum ex eo nunc misera quem capit
Dolorem! Facile hic plus mali est, quam illic boni.
Sed Davus exit! Mi homo, quid istuc, obsecro, est?
Quo portas puerum?

## ACTUS IV. SCENA IV.

### DAVUS, MYSIS.

D. Mysis, nunc opus est tua
Mihi ad hanc rem expromta memoria atque astutia.
M. Quidnam incepturus? D. Accipe a me hunc ocius

29. Ita cum alii, tum Bentl. e 2 vetustissimis. V.: ut venias. 30. V.: Quid veniam? Nihil habeo. 31. V.: oppe hic. Correxere Guyet. Bentl. 32. Ita C. Berol. V.: Jam, inquam, hic adero.

A. IV. SC. III, 2. Putide libri: Summum bonum.

A. IV. SC. IV, 2. Mire Guyet: τὸ memoria neque hic locum habet, nec Terentianum videtur. Ponit itaque malitia, quod idem cum in Vaticano aliisque nonnullis libris (quibus adde Canteri. Nov. Lect. 7, 12, et eos, in quibus legitur militia, quorum e numero est Guelf. 1.) invenisset, Bentlejus quoque praetulit. Neque aliter Eugraphius. Verum συνώνυμα hic sunt malitia et astutia, id quod ipse fatetur Guyetus. Cur igitur, quaeso, ταυτολογεῖν faciamus scriptorem elegantissimum? Notum proverbium Mendacem oportet esse memorem. Atqui mendaciis hic opus; ergo etiam memoria.

Atque ante nostram januam adpone. M. Obsecro,
Humine? D. Ex ara hinc sume verbenas tibi,
Et ei substerne. M. Quamobrem tute id non facis?
D. Quia, si forte opus sit ad herum jurato mihi
Non adposuisse, haud liquido possim. M. Intelligo:
Nova nunc religio in te istaec incessit. Cedo!
D. Move ocius te, ut, quid agam, porro intelligas.
Proh Jupiter! M. Quid? D. Sponsae pater intervenit.
Repudio quod consilium primum intenderam.
M. Nescio, quid narres. D. Ego quoque hinc ab dextera
Venire me adsimulabo; tu, ut subservias
Orationi, utcunque opust verbis, vide.
M. Ego, quid agas, nihil intelligo; sed, si quid est,
Quod mea opera opus sit vobis, ut tu plus vides,
Manebo, ne quod vostrum remorer commodum.

## ACTUS IV. SCENA V.

### CHREMES, MYSIS, DAVUS.

C. Revertor, postquam, quae opus fuere ad nuptias
Gnatae, paravi, ut jubeam arcessi. Sed quid hoc?
Puer hercle est! Mulier, tun' posuisti? M. Ubi illic est?
C. Non mihi respondes? M. Nusquam est. Vae miserae mihi!
Reliquit me homo, atque abiit! D. Di, vostram fidem,
Quid turbae apud forum est! quid hominum litigant!
Tum annona cara est. — Quid dicam aliud, nescio.
M. Cur tu, obsecro, hic me solam? H. Hem, quae haec est fabula?
Eho, Mysis, puer hic unde est, quisve huc attulit?

6. V.: Atque eas subst. Guelf. 1: Et subst. ei. 7, 8. V.: Quia si forte opus sit ad herum jurandum mihi Non apposuisse, ut liquido possim. De quibus recte Donatus: Sic, inquit, locutus est, ut explicari atque intelligi non possit. Recte Bentl. posuit jurato; sed neque ut habet quo referatur. Non ita raro et, ut, at, aut, haut sive haud, commutata inter se deprehenduntur in codicibus. 11. Quid? quomodo? cur hoc dicis? Libri duriore numero: Quid est? 15. Minus recte libri: opus sit. Corr. Bentl. 17. Ita Guyet. Bentl. V.: aut tu plus vides.

A. IV. SC. V, 5. Ita MS. Lindenbrog. Ceteri libri ἀμέτρως: tun' apposuisti hunc? M. ubi i. e. Nec multo melius Bentl.: tu appos. h.? Cf. 34. 6. Itidem vitiose codd.: Q. t. est apud f.? quid illic hom. lit. Guyet. et Bentl.: Q. t. ap. forum est? q. i. h. l.? Sed apud pro monosyllabo esse potest, u littera elisa; pro duabus syllabis brevibus, vocali littera non sequente, esse non potest. Illic glossema est.

M. Satin' sanus es, qui me id rogites? D. Quem igitur rogem, Qui hic neminem alium video? C. Miror, unde sit. D. Dicturan', quod rogo? M. Au! (D. Concede ad dexteram!) M. Deliras. Non tute ipse? (D. Verbum si mihi Unum, praeterquam quod te rogo, faxis, cave!) Mala dicis, unde est? (Dic clare!) M. A nobis. D. Hahe! Mirum vero, impudenter mulier si facit Meretrix! C. Ab Andria haec est, quantum intellego. D. Adeon' videmur vobis esse idonei, In quibus sic inludatis? C. Veni in tempore. D. Propera adeo puerum tollere hinc ab ianua! (Mane! cave quoquam ex istoc excessis loco!) M. Di te eradicent: ita me miseram territas. D. Tibi dico, an non? M. Quid vis? D. At etiam rogas? Cedo, cuium puerum hic adposuisti? dic mihi! M. Tu nescis? D. Mitte id, quod scio; dic, quod rogo. M. Vostri. D. Cuius vostri? M. Pamphili. D. Hem, quid? Pamphili? M. Eho, annon est? C. Recte ego semper fugi has nuptias! D. Animadvertendum facinus! Oh...! M. Quid clamitas?

10. V.: S. sanus es. Sed es recte aberat a codice Reg. Lindenbrogii. V. quoque: quem ego i. r.? Nos, ut Bentl. Brunck. rel. item Guyet. secundum Donatum et optimos quosque MSS. codd. atque edd. Erasmi, Rob. Stephani, Mureti et aliorum. Sane sic Friburgensis liber; sed Faërni Bentleji et nostri scripti: videam sicut vulgo. 12. Sic idem. Minus recte Bentl.: Dictura es. V.: Dicturan' es, quo quidem versus evertitur. 13. Libri insolito genere loquendi: Verbum si mihi etc. Bentl. Brunck.: Verbum unum mihi Praeterquam quod etc. Donat. ad 1, 2, 4: Sic pro Leviter et Negligenter, quod Graeci οὕτως dicunt etc. 15. Inepte libri: M. Male dicis. D. Unde est? Plaut. Asin. 1, 2, 18: me — ignoras, mala. Et ita saepius. Hahe, metro monitus, dedi pro vulgato Hahahe, quemadmodum Hec. 5, 4, 32. In codice A Berolinensi, qui est antiquissimus elegantissimusque, legitur: Haheh, tune mihi istuc? Nimio conatu Bentlejus:

*Quin dicis undest clare.* M. *a nobis.* D. *attate.*

17. Ita Bentl. secundum Palmerium Lamp. Gruter. 4. p. 830. Libri, versu ὑπερμέτρῳ: ab Andria est ancilla haec. 23. Ita Guelf. 1, tibi pronomine versus regionem occupante totam ἐμφατικῶς. Ceteri libri vel Tibi ego dico, vel Tibi dico ego, ut vagari solent glossemata. V. quoque: At etiam rogas? Ast cum gravius est, tum meliorem reddit versum iambicum, cuius in sedibus imparibus amantur pedes τετράσημοι. 27. Fort.: Eho, non est? 28. Oh...! Additum hoc vel simile quiddam servulus pessima es interpellatur ab ancilla irritata. Legitur autem vulgo nihili numeris: O facinus animadvertendum! M. Q. cl.? cum O pro Oh, sicut A pro Ah, scriptum fortasse esset in

D. Quemnam ego heri vidi ad vos adferri vesperi?
M. O hominem audacem! D. Verum! vidi Cantharam
Subfarcinatam. M. Di pol habeo gratiam,
Cum in pariundo aliquot adfuerunt liberae.
D. Nae illa illum haud novit, cujus causa haec incipit.
Chremes si positum puerum ante aedis viderit,
Suam gnatam non dabit? Tanto hercle magis dabit.
C. Non hercle faciet. D. Nunc adeo, ut tu sis sciens,
Nisi puerum tollis, jam ego hunc mediam in viam
Provolvam, teque ibidem pervolvam in luto.
M. Tu pol homo non es sobrius. D. Fallacia
Alia aliam trudit: jam susurrari audio
Civem Atticam esse hanc. C. Hem! D. Coactus legibus
Uxorem eam ducet. M. Eho, obsecro, an non civis est?
C. Jocularium in malum insciens pene incidi.
D. Quis hic loquitur? O Chreme, per tempus advenis.
Ausculta. C. Audivi jam omnia. D. Ah, necdum omnia!
C. Audivi, inquam, a principio. D. Audistin', obsecro? Hem
Scelera! Hanc jam oportet in cruciatum hinc abripi.
Hic ille est! Non te credas Davum ludere.
M. Me miseram! Nil pol falsi dixi, mi senex.
C. Novi. Sed est Simo intus? D. Est. M. Ne me attigas,

[illegible], librariique consuetum verborum ordinem [illegible] Bentl. ex libris, neque aliter B Bern. V: gratias [illegible]. Sic passim noster aliquoties. 34. Frustra Bentl.: adpositum. Cf. 3, [illegible] Ita G. Bern. Helmstad. Frib. [illegible] Dein [illegible] plerique omnes libri; V. tamen: Au, obsecro, quod emendavere Guyet. et Bentl. [illegible] Sic plane B Bern. et Helmstad. A. Bern.: ah necdum o. [illegible] Frib.: ah necdum o.? Bruni liber apud Palmer. Spicil. p. 729: ah ne dum o. V.: ah, metuo. MS. Reg. Lindenbrogii: an haec tu o.; unde Bentl.: anne haec tu o. Sed non est quod idem bis quaerat homo nec surdus nec stolidus, qualis est Davus. 50. V.: Novi rem omnem. est Simo intus? Scripti, in his a nobis collati omnes una cum libro Friburg.: sed est Simo intus? Rectissime. Verum a metro Sed abhorrebat scilicet: confessum est. Atqui veterum alii: Novi rem omnem, alii, velut Palmerii Lamp. Gruter. 4. p. 756: Novi omnem rem, ut variari solet in glossematis adscribendis. Nam glossema hoc esse nemo paulo perspicacior non intelliget. Cum Davo senex confabulatur, Davoque jam dixit, omnia se audivisse a principio. Mysidi cur idem dicat, meretricis, ut ipsi quidem videbatur, ancillulae, causa est nulla; sed ei verbo respondere satis habet, statimque ad Davum reversus quaerit, an Simo intus sit. Phorm. 4, 4, 13:

*Quid fiet? Ge. Non enim ducet. An.* NOVI; *ceterum*
*Quum argentum repetent, nostra causa scilicet*
*In nervum potius ibit.*

Plaut. Aul. 5, 2, [illegible]:

*Mei haud [illegible]* Ev. SCIO: NE DOCE! NOVI.

Scelesta! Si pol Glycerio non omnia haec.
D. Eho, inepta, nescis quid sit actum? M. Qui sciam?
D. Hic socer est: alio pacto haud poterat fieri,
Ut sciret haec, quae volumus. M. Praediceres.
D. Paullum interesse censes, ex animo omnia,
Ut fert natura, facias, an de industria?

## ACTUS IV. SCENA VI.

### CRITO, MYSIS, DAVUS.

C. In hac habitasse platea dictum est Chrysidem,
Quae se inhoneste optavit parere hic divitias
Potius quam in patria honeste pauper viveret;
Ejus morte ea ad me lege redierunt bona.
Sed, quos percontér, video. Salvete. M. Obsecro,
Quem video? estne hic Crito, sobrinus Chrysidis?
Is est. C. O Mysis, salve. M. Salvos sis Crito.
C. Itan' Chrysis? Hem! M. Nos quidem pol miseras perdidit.
C. Quid vos? quo pacto hic? satisne recte? M. Nosne? Sic
Ut quimus, ajunt, quando, ut volumus, non licet.
C. Quid Glycerium? jam hic suos parentes reperit?
M. Utinam! C. Ah, nondum etiam! Haud auspicato huc me adpuli!
Nam pol si id scissem, nunquam huc tetulissem pedem.

Quibus verbis similibusque utuntur, qui molestum aliquod colloquium cupiunt finiri. Quod nescientes boni viri, qui nobis veterum opera descripserunt, notissimae significationis formulam putida et ἀπείρῳ interpretatione obscuraverunt. Legebatur quoque olim attingas, sed in Palmerii vetere cod. Lamp. Grut. I. I.: attigas, quod ponendum esse viderunt Guyet. et Bentl. Vid. Parei lexic. Plaut. v. Attigere. 54. Ita Bentl. Libri ἀμέτρως volumus. Nonnulli: Hem, praed.

A. IV. SC. VI, 2. V.: Q. sese inh. o. parare h. d. Parent codd.: parere. Bentleji unus: Q. sibi inh. o. parere h. d., quod ille dedit. Se sub ictu positum non liquescit. 6. Video item non eliditur propter interpunctionem. Alioqui nomen Crito regionem versus tertiam totam occuparet, quod vitiosum. Nunc posterior ejus nominis syllaba corripitur. Vel legendum consobrinus, quod habetur in Berol. B. Helmstad. Frib. Quo recepto nunc elidendum est video. 12. Libri: An nondum etiam? Sed jam audit ex ancilla Crito, nondum repertos esse Glycerii parentes. Similes H et N, h et n, litterae. Bentl.: me attuli ex uno codice bonae notae. Idem, monente Guyeto, Priscianus habet libro 15, reperitque Franc. Fabricius in 7 codd. MSS. Longe tamen plures ostendunt appuli, idque significantius variusque propterea quod nave advectus erat Crito; eloquentius etiam, quia sequitur tetulissem. 13. Guelf. 1. Nam pol si scissem, nunquam etc., quod non deterius.

Semper dicta est haec ejus atque habita est soror;
Quae illius fuerunt, possidet: nunc me hospitem
Lites sequi, quam id mihi sit facile atque utile,
Aliorum exempla commonent. Simul arbitror,
Jam esse aliquem amicum et defensorem ei: nam fere
Grandiuscula jam profecta est illinc. Clamitent,
Me sycophantam hereditates persequi,
Mendicum. Tum ipsam despoliare non lubet.
M. O optume hospes, pol, Crito antiquom obtines.
C. Duc me ad eam, quando huc veni, ut videam. M. Maxume.
D. Sequar hos; nolo hoc in tempore me videat senex.

---

# ACTUS V.

## SCENA I.

### CHREMES, SIMO.

C. Satis jam, satis, Simo, spectata erga te amicitia est mea; t. t. c.
Satis pericli coepi adire: orandi jam finem face.
Dum studeo obsequi tibi, pene inlusi vitam filiae.
S. Imo enim nunc cum maxume abs te postulo atque oro, Chreme,
Ut beneficium, verbis initum dudum, nunc re comprobes.

14. V.: Semper enim dicta est ejus haec a. h. e. s. Engraph.: Semper ejus dicta est haec. Bentl. quoque, excluso enim, quod facile intelligitur: Semper ei dicta est esse haec a. h. e. s. Et esse quidem legitur in Vaticano et Basilicano, item A et C Berolinensibus; sed horridior tamen ea scriptura. 16. id Bentl. arcessivit ex 4 codd. antiquis. Familiariter additum est et ἐμφατικῶς. Vid. not. ad 5, 2, 49. V.: hic, quasi locus quidquam ad rem faceret. Neutrum horum habet Guelf. 1. 20. Bentl.: hereditatem; et sic quidem libri bene multi; sed invidiosius est vulgatum hereditates. 21. Sic meliores codd., Guyet. Bentl. V.: licet, quae vocabula commutari inter se solent. 22. Ita Bentl. secundum 2 codd. V. O non legitur, versu ἀκεφάλῳ, quem male Goveanus explebat voce Morem, quam multi quidem codd., alio tamen loco, praebent, sed spuriam, ut colliges ex Donati et Eugraphii commentariis.

A. V. SC. I, 2. Frustra Bentl. ex suis MSS. et edd. vett.: incepi. Sic quidem etiam A Berol. et Frib. Sed praestat plene exaudiri vocabulum gravius pericli. 4. Ita Faernus et Bentl. secundum commentatores duo vett. Idem vulgato quam maxume praefert Guyetus, laudatque in eam rem Franc. Fabricium pag. 500.

C. Vide, quam iniquus sis prae studio! Dum id efficias, quod cupis:
Neque modum benignitatis, neque, quid me ores, cogitas.
Nam si cogites, remittas jam me onerare injuriis.
S. Quibus? C. At rogitas? Perpulisti me, homini adolescentulo,
In alio occupato amore, abhorrenti ab re uxoria,
Filiam ut darem in seditionem atque incertas nuptias:
Ejus labore atque ejus dolore gnato ut medicarer tuo.
Impetrasti: incepi, dum res tetulit. Nunc non fert: feras.
Illam hinc civem esse ajunt; puer est natus: nos missos face.
S. Per ego te deos oro, ut ne illis animum inducas credere,
Quibus id maxume utile est, illum esse quam deterrimum.
Nuptiarum gratia haec sunt ficta atque incepta omnia.
Ubi ea causa, quamobrem id faciunt, erit ademta his: desinent.
C. Erras: cum Davo egomet vidi jurgantem ancillam. S. Scio.
C. At vero voltu; cum, ibi me adesse, neuter tum praesenserat. i. t.
S. Credo, et id facturas, Davos dudum praedixit mihi: t. t. c.
Et nescio qui tibi sum oblitus hodie, ut volui, dicere. i. t.

## ACTUS V. SCENA II.

### DAVUS, CHREMES, SIMO, DROMO.

DA. Animo nunc iam otioso esse impero... (C. Hem Davom tibi! t. t. c.
S. Unde egreditur?) DA. Meo praesidio, atque hospitis. (S. Quid illuc mali est?)
DA. Ego commodiorem hominem, adventum, tempus, non vidi. (S. Scelus
Quemnam hic laudat?) DA. Omnis res est jam in vado. (S. Cesso adloqui?

9. Ita Bentl. secundum plurimos MSS. V.: Ah, rog.? Ceterum legitur: ut hom. (Bentl. hom. ut) ad.; sed apud Eugraph. et in edd. Frib. Erasmi, Rob. Stephani, Mureti etc. 11: Filiam ut darem, quod elegantius. Jam me non liquescit. 11. Sic magna pars scriptorum, item edd. Frib. Ascens., Erasmi, Rob. Steph., Muret., Berg. etc., probante Guyeto. Ἀμέτρως Bentl. secundum plerosque Faërni libros: in incertas. Sic errari solet. Cf. Heaut. 5, 1, 28. 17. Frustra idem ex 5 libris facta, quod habetur etiam in Frib. 18. id habent Helmstäd. et Frib., quod facit ad variandam orationem. V.: haec. Pro his in Friburgensi legitur eis; Ascensius neutrum horum habet, nec quis desideret. 22. Ita Bentl. V.: ac volui.

DA. Herus est: quid agam? S. O salve, bone vir. DA. Hem, Simo! eho, noster Chreme!
Omnia adparata jam sunt intus. C. Curasti probe.
DA. Ubi voles: arcesse. S. Bene sane: id enimvero hinc nunc abest.
Etiam tu hoc respondes, quid tibi istic negoti est? DA. Mihin'? S. Ita. t. d. a. d.
DA. Mihine? S. Tibi ergo. DA. Ego modo introivi. S. Quasi ego, quam dudum, rogem. i. t.
DA. Cum tuo gnato una. S. Anne est intus Pamphilus? Crucior miser! t. t. c.
Eho, tu non dixti esse inter eos inimicitias, carnufex?
DA. Sunt. S. Cur igitur hic est? C. Quid illum censes? Cum illa litigat.
DA. Imo vero indignum, Chreme, jam facinus faxo ex me audies. i. t.
Nescio qui senex modo venit, ellum, confidens, catus; t. t. c.
Cum faciem videas: videtur esse quantivis preti;
Tristis severitas inest in voltu atque in verbis fides.
S. Quidnam adportas? DA. Nil equidem, nisi quod illum audivi dicere.
S. Quid ait tandem? DA. Glycerium se scire civem esse Atticam. S. Hem,
Dromo! Dromo! DA. Quid est? S. Dromo! DA. Audi. S. Verbum si addideris...! — Dromo! i. t.
DA. Audi, obsecro! DR. Quid vis? S. Sublimem hunc intro rape, quantum potes!
DR. Quem? S. Davom. DA. Quamobrem? S. Quia lubet. — Rape, inquam! DA. Quid feci? S. Rape!
DA. Si quidquam invenies me mentitum: occidito. S. Nihil audio.
Ego jam te commotum reddam. DA. Tamenetsi hoc verum est? S. Tamen. t. t. c.
Cura adservandum vinctum atque (audin'?) quadrupedem constringito! i. t.
Age nunc jam! Ego pol hodie, si vivo, tibi i. s.
Ostendam, herum quid sit pericli fallere, et
Illi patrem! C. Ah, ne saevi tantopere! S. O Chreme,

A. V. SC. II, 5. Ita Guelf. V.: o noster Ch. 8. Sic libri plurimi, Donat., Serv. ad Aen. 11, 373. Bentl. V.: respondes — est? 9. V.: tibi ergo. DA. modo introii. Bentl.: modo ego introivi. Frib.: tibi ego. Sane scriptum videtur: tibi ergo. ego modo, similique simile offecisse. Introivi repertum a Bentlejo in codice MS. 11. V.: Eho, non tu. Frib.: Eho tu num. 15. Sic meliores libri. V.: audias, quod correxit Bentl.

Pietatem gnati! nonne te miseret mei?
Tantum laborem capere ob talem filium!
Age, Pamphile! exi, Pamphile! ecquid te pudet?

## ACTUS V. SCENA III.

### PAMPHILUS, SIMO, CHREMES.

P. Quis me volt? (Perii: pater est!) S. Quid ais, omnium....?
C. Ah,
Rem potius ipsam dic, et mitte male loqui.
S. Quasi quidquam in hunc jam gravius dici possiet. —
Ain' tandem? civis Glycerium est? P. Ita praedicant.
S. *Ita praedicant!* O ingentem confidentiam!
Num cogitat, quid dicat? num facti piget?
Vide, num ejus color pudoris signum usquam indicat!
Adeo impotenti esse animo, ut praeter civium
Morem atque legem et sui voluntatem patris
Tamen hanc habere studeat cum summo probro!
P. Me miserum! S. Modone id demum sensti, Pamphile?
Olim istuc, olim, quum ita animum induxti tuum,
Quod cuperes, aliquo pacto efficiundum tibi,
Eodem die istuc verbum vere in te accidit.
Sed quid ego me autem excrucio? cur me macero?
Cur meam senectutem hujus sollicito amentia?
An pro hujus peccatis ego supplicium ut sufferam?
Imo habeat, valeat, vivat cum illa! P. Mi pater!
S. Quid *mi pater?* Quasi tu hujus indigeas patris.
Domus, uxor, liberi inventi invito patre;
Adducti, qui illam civem hinc dicant: viceris.
P. Pater, licetne pauca? S. Quid dices mihi?

28. Sic, uno tenore, Friburg. Frustra edunt: Piet. gnati! nonne etc. Heaut. 4, 5, 1: Ita me di amabunt, ut nunc Menedemi vicem Miseret me.

A. V. SC. III, 2. Ita Frib. V.: dic ac, ὁμοιοτελεύτῳ minus suavi. 7. Sic fere codd., etiam nostri praeter A Berolinensem. Frib.: Vide: num eius color: si pud. s. u. esse ind. V.: Num ejus color etc. Bentl.: Numnam ejus etc. 8. Ita Guyet. Bentl. Libri ἀμέτρως: Adeon'. 15. Sic Bentl. secundum codicem Acad., in quo legebatur: Sed q. e. me autem? cur excr.? Frib.: S. q. e.? cur autem me excr.? Cod. C Berol.: S. q. ego me excr., aut cur me mac.? Helmstad.: — excr. aut me mac. V.: S. q. e.? cur me excr.? cur me mac.? Virg. Aen. 2, 101:

Sed quid ego haec autem nequidquam ingrata revolvo?

Vide nos ad Plaut. Rud. 576. ed. majoris.

C. Tandem, Simo, audi. S. Ego audiam? Quid ego audiam, Chreme? C. Attamen dicat sine. S. Age, dicat. sino.
P. Ego me amare hanc fateor. Si id peccare est, fateor id quoque ipsum. t. t.
Tibi pater me dedo: quidvis oneris inpone; impera. t. t. c.
Vis me uxorem ducere? hanc vis amittere? Ut potero, feram. as. t. d. i. d.
Hoc modo te obsecro, ut ne credas a me adlegatum hunc senem. t. t. c.
Sine me expurgem atque illum huc coram adducam. S. Adducas? P. Sine, pater.
C. Aequom postulat: da veniam. P. Sine te hoc exorem! S. Sino.
Quidvis cupio, dum ne ab hoc me falli comperiar, Chreme.
C. Pro peccato magno paulum supplici satis est patri.

## ACTUS V. SCENA IV.

### CRITO, CHREMES, SIMO, PAMPHILUS.

Cr. Mitte orare: una harum quaevis causa me, ut faciam, monet: t. t. c.
Vel tu, vel quod verum est, vel quod ipsi cupio Glycerio.
Ch. Andrium ego Critonem video? Is certe est. Cr. Salvos sis, Chreme.
Ch. Quid tu Athenas, insolens? Cr. Evenit. Sed hiccine est Simo? as. t. d. i. d.
Ch. Hic. Cr. Simo... S. Men' quaeris? Eho, tu Glycerium hinc civem esse ais? t. t. c.
Cr. Tu negas? S. Itane huc paratus advenis? Cr. Qua de re? S. Rogitas? t. t.

23. Ita MS. Reg. apud Lindenbrog. Helmstad.: at tandem, V.: Tamen, S., audi. 24. Sic A Berol. Helmstad. Frib. Bentl. C Berol.: ac tamen. V.: at tandem. 25. Helmstad. Frib.: fateor id ipsum. V.: fat. id quoque. Utraque lectio partem habet veri. 27. Frustra Faërn. Bentl.: mittere. Vid. not. ad 2, 1, 2. 32. Sic Donat. et recentiores quidam libri apud Bentlejum. Sensit etiam Guyetus.

A. V. SC. IV, 1. C Berol.: monet. 5. V.: Ch. Hic Si. men' quaeris? Duo codd. Bentleji: Cr. Simo, men' quaeris? quod ipsum ille excudi jussit. Verum non quaerit Critonem Simo, quem vix adduci passus est; sed Simonem Crito quaerere videtur, sciscitatus, an is sit, ut solent facere, qui adire aliquem volunt. Cf. Guyet. 6. Rogas, sicut Rogare et Rogitare miscentur a librariis. Cf. Plaut. Amph. 2, 2, 76 seqq. etc. Bentl. secundum 4 libros et Guyetum: qua re? Sed vereor ut latine dicatur paratus aliqua re pro eo quod est paratus ad aliquam rem, vel paratus de aliqua re. Recte in re gravi grave usurpatur metrum.

Tune inpune haec facias? tune hic homines adolescentulos, t. t. c.
Inperitos rerum, eductos libere, in fraudem inlicis?
Sollicitando et pollicitando eorum animos lactas.... Cr. Sanun' es?
S. Ac meretricios amores nuptiis conglutinas?
(P. Perii! metuo, ut substet hospes.) Ch. Si, Simo, hunc noris satis:
Non ita arbitrere. Bonus est hic vir. S. Hic sit vir bonus?
Itane adtemperate evenit, hodie in ipsis nuptiis
Ut veniret, antehac nunquam? Est vero huic credendum, Chreme?
(P. Ni metuam patrem, habeo pro illa re illum quod moneam probe.)
S. Sycophanta! Cr. Hem! Ch. Sic, Crito, est hic: mitte. Cr. Videat, qui siet.
Si mihi perget, quae volt, dicere: ea, quae non volt, audiet.
Ego istaec moveo, aut curo? non tu tua, malum, aequo animo feres?
Nam, ego quae dixi, vera an falsa audieris, jam sciri potest.
Atticus quidam olim navi fracta apud Andrum ejectus est,
Et istaec una parva virgo. Tum ille egens forte adplicat i. t.
Primum ad Chrysidis patrem se. S. Fabulam inceptat. Ch. Sine. i. t. c.
Cr. Itane vero obturbat? Ch. Perge tu. Cr. Is mihi cognatus fuit,
Qui eum recepit: ibi ego audivi ex illo, civem esse Atticum.
Is ibi mortuost. Ch. Ejus nomen! Cr. Tam cito? Phania. Ch. Hem,
Perii! Cr. Verum hercle opinor, fuisse Phaniam. Hoc certo scio: i. t.

9. Ita Eugraph. Beroll. B et C, Bentl. Frib.: iectas. V.: lactans. 13. Sic plures codd., Palmer. Lamp. Gruter. 4, 837, Bentl. V.: venit. 17. Sic Bentl. ex libris qua scriptis, qua impressis. V.: pergit. 18. V.: tuum malum, quasi mutuum Pamphili et Glycerii amorem malum dicere deceat utriusque amicissimum Critonem. Tua, tuas res, tuas fortunas. Cf. 5, 6, 11; Heaut. 4, 5, 35. Malum pro convicio est Eun. 7, 4, 10. et passim apud Comicos. 19. Ita Beroll. omnes, Helmstad. Frib. Ascens. V.: dico. Bentl. ex Bembino et libro Collegii Corp. Christi, audierim. 23. Inepte legitur: Perge. Cr. tum is mihi c. f. Convenit idem. 24. V.: ex illo, sese esse Atticum. Beroll. B et C, et Guelf.: sese civem esse Att. Helmstad. Frib. etc.: Atticum civem. 25. V.: Ch. ejus nomen? Cr. nomen tam (Frib. ita) cito tibi? Phania. Non legebatur tibi in codd. quibusdam Bentleji perantiquis, quibuscum facit B Berol., quod recte expunxit vir sagacissimus.

5

Rhamnusium se ajebat esse. CH. O Jupiter! CR. Eadem haec, Chreme,
Multi alii in Andro audivere. CH. Utinam id sit, quod spero! Eho, dic mihi:
Quid eam tum? suamne esse aibat? CR. Non. CH. Cujam igitur? CR. Fratris filiam.
CH. Certe mea est! CR. Quid ais? S. Quid tu ais? P. Hem, arrige aures, Pamphile!
S. Qui credis? CH. Phania ille frater meus fuit. S. Noram et scio. CH. Is
Hinc, bellum fugiens, meque in Asiam persequens, proficiscitur.
Tum illam hic relinquere veritus est. Postilla nunc primum audio,
Quid illo sit factum. P. Vix sum apud me: ita animus commotust metu,
Spe, gaudio, mirando hoc tanto, tam repentino bono.
S. Nae istam multimodis tuam inveniri gaudeo. P. Credo, pater.
CH. At mi unus scrupulus etiam restat, qui me male habet. P. Dignus es
Cum tua religione, odium...! Nodum in scirpo quaeris. CR. Quid istuc est?
CH. Nomen non convenit. CR. Fuit hercle huic aliud parvae. CH. Quod, Crito?
Numquid meministi? CR. Id quaero. P. Egon' hujus memoriam patiar meae
Voluptati obstare, cum egomet possim in hac re medicari mihi?
Non patiar. Heus Chreme, quod quaeris, Pasibula est. CR. CH. Ipsa ea est!
P. Ex ipsa millies audivi. S. Omnis nos gaudere hoc, Chreme,
Te credo credere. CH. Ita me di ament, credo. P. Quid restat, pater?
S. Jamdudum res reduxit me ipsa in gratiam. P. O lepidum patrem!
De uxore ita, ut possedi, nil mutat Chremes? CH. Causa optuma est,

28. V.: M. a. in Andro tum (Frib.: tum in Andro) aud. Omissum tum in cod. Petrensi itidem recte induxit Bentl. 30. Hem accessit ex codice C Berol. 41. Ita 3 Bentleji codd., totidem nostri et quaedam edd. vett., neque aliter ipse Bentl. V.: ego. 42. Libri nullis numeris: CR. ipsa st. CH. ea st. Nec melius Bentl.: — Pasibula. CR. ipsa st. CH. ea st. Is ipse, ea ipsa, passim leguntur. 46. Male codd.: Chremes.

Nisi quid pater ait aliud. S. Nempe id. Ch. Scilicet dos, Pamphile, est
Decem talenta. P. Accipio. Ch. Propero ad filiam. Eho, mecum, Crito:
Nam illam me credo haud nosse. S. Cur non illam huc transferri jubes?
P. Recte admones. Davo istuc dedam jam negoti. S. Non potest.
P. Qui? S. Quia habet aliud magis ex sese, et majus. P. Quidnam? S. Vinctus est.
P. Pater, non recte vinctust. S. At ita jussi. P. Jube solvi, obsecro!
S. Age, fiat. P. At matura. S. Eo intro. P. O faustum et felicem diem!

## ACTUS V. SCENA V.

### CHARINUS, PAMPHILUS.

C. Proviso, quid agat Pamphilus; atque eccum! P. Aliquis forsan me putet i. t.
Non putare hoc verum; at mihi nunc sic esse hoc verum liquet: t. t. t.
Ego deorum vitam eapropter sempiternam esse arbitror,
Quod voluptates eorum propriae sunt. Nam mi immortalitas
Parta est, si nulla aegritudo huic gaudio intercesserit.
Sed quem ego mihi potissimum optem, cui nunc haec narrem, dari? i. t.
C. Quid illud gaudi est? P. Davom video. Nemo est, quem malim, omnium:
Nam hunc scio mea solide solum gavisurum gaudia. t. t. c.

47. V.: P. Nempe. S. Id scil. Bentl.: N. id. S. Scil. Ita Frib. 50. Vulgati libri, temere impedito versu: ego istuc, quod placere Bentlejo potuisse miror. Non placuit etiam Guyeto. 53. Tan. Faber, Bentl.: mature.

A. V. SC. V, 2. Ita Bentl. Codex ejus Acad.: licet. V.: lubet. 3. Ita Bentl. secundum Servium. V.: propterea, quod minus ἔμμετρον. 7. Sic nostri praeter Helmstadiensem et Frib. V.: mallem.

## ACTUS V. SCENA VI.

### DAVUS, PAMPHILUS, CHARINUS.

D. Pamphilus ubinam hic est? P. Dave! D. Quis homo est? P. Ego sum Pamphilus. t. t. c.
D. O Pamphile! P. Nescis, quid mi obtigerit. D. Certe; sed, quid mihi, scio. i. t.
P. Et quidem ego. D. More hominum evenit, ut, quod sum nactus mali, t. t. c.
Prius tu resciscere quam ego illud, tibi quod evenit boni. i. t.
P. Mea Glycerium suos parentes reperit. D. O factum bene. C. Hem! t. t. c.
P. Pater amicus summus nobis. D. Quis? P. Chremes. D. Narras probe.
P. Nec mora ulla est, quin uxorem eam ducam. C. Num ille somniat
Ea, quae vigilans voluit? P. Tum de puero, Dave... D. Ah, ah desine!
Solus es, quem diligunt di. C. Salvos sum, si haec vera sunt.
Conloquar. P. Quis homo? O Charine, in tempore ipso mi advenis.
C. Bene factum! P. Hem, audistin'? C. Omnia. Age, me in tuis secundis respice. i. t.
Tuus est nunc Chremes: facturum esse, quae voles, scio omnia. as. t. d. i. d.
P. Memini; atque adeo longum est, nos illum expectare, dum exeat: t. t. c.
Sequere hac me: intus apud Glycerium nunc est. Tu, Dave, abi domum:

A. V. SC. VI, 1, 2. V.: Ego sum. D. o Pamphile. P. Nescis, q. m. obt. D. certe; s. q. mihi obtigerit, scio. Bentl. secundum codicem Acad.: Ego sum Pamphilus. Recte Helmstad.: P. Ego sum Pamphilus. D. O Pamphile. P. Nescis etc. Alterum obtigerit a glossatore adscriptum est. 3. Libri: sim, cum sequatur evenit. 5. Ita nostri. V.: Factum b. 7. Sic A Berol. V.: eam ux. Minus recte, qui: iam ux. 9. Sic a scripti et olim excusi, quos recte sequitur Bentl. Solus es placuerat etiam Palmerio Lamp. Gruter. 4. p. 837. 10. Ἀμέτρως libri: Q. homo est? Bentl.: Q. h. est? Charine. 11. Ita fere scripti. Vett. edd.: hem, audisti. Bentl.: audisti? deleta interjectione. 14. Sic plane Frib., neque aliter Ascens., nisi quod habet Sequ. me hac. Helmstad., ut Donat. apud Faërnum: apud Glyc. Omnes Bentleji: nunc est. V.: Sequ. h. me intus ad Glyc. nunc. tu, D., a. d. Bentl., ut Frib. et nos.

## PUBLI TERENTI

# EUNUCHUS.

ACTA LUDIS MEGALENSIBUS, L. POSTUMIO ALBINO, L. CORNELIO MERULA, AEDILIBUS CURULIBUS. EGERE L. AMBIVIUS TURPIO, L. ATILIUS PRAENESTINUS. MODOS FECIT FLACCUS CLAUDI TIBIIS DUABUS DEXTRIS. GRAECA MENANDRU. ACTA II. M. VALERIO, C. FANNIO, COSS. PRETIUM MERUIT OCTO M. NUMUM. *)

---

*) Pretium meruit octo M. numum. Haec verba titulo fabulae adscripta olim fuisse, auctor est Donatus in vita Terentii; tamen in libris vulgatis non leguntur.

## PERSONAE.

PHAEDRIA, adolescens.
PARMENO, servus.
THAIS, meretrix.
GNATHO, parasitus.
CHAEREA, adolescens.
THRASO, miles.
PYTHIAS, ancilla.
CHREMES, senex.
ANTIPHO, adolescens.
DORIAS, ancilla.
DORUS, eunuchus.
SANGA, servus.
SOPHRONA, nutrix.
LACHES, senex.

## PERSONAE MUTAE.

SANGA,
SIMALIO,
DONAX, } servi Thrasonis.
SYRISCUS,
SANNIO,
PAMPHILA, adolescentula.

# C. SULPITII APOLLINARIS

## PERIOCHA IN EUNUCHUM.

Sororem falso dictitatam Thaïdis, i. 8.
Id ipsum ignorans, miles advexit Thraso,
Illique donat. Civis erat haec Attica.
Eidem eunuchum, quem emerat, tradi jubet
Alius amator Phaedria, ac rus ipse abit,
Thrasoni oratus biduum concederet.
Ephebus frater Phaedriae pusillulam
Cum deperiret, dono missam Thaïdi,
Eunuchi ornatum induitur (suadet Parmeno),
Introivit, vitiat virginem. Sed Atticus
Civis repertus frater eius collocat
Vitiatam ephebo. Phaedriam exorat Thraso.

Versu 3. legitur Ipsique, cum praecedat ipsum, sequatur ipse. Saepius mixta haec pronomina. 5. Vulgo: Thaïdis amator; sed uterque, Thraso et Phaedria, mulierem deperiebant. 9. Ita Helmstad. Frib. V.: ornatu. Vid. Bentl. ad Eun. 4, 4, 41. 10. Minus ἐμμέτρως libri: Introiit.

## ALIUD ARGUMENTUM VETUS,

*quod legitur in B et C codicibus Berolinensibus, Helmstadiensi, editionibusque veteribus, in his Friburgensi et Jod. Badii Ascensii.*

Meretrix adolescentem, cujus amore mutuo tenebatur, exclusit, eique revocato exclusionis causas reddidit. Ejus frater minor natu virginem, quam *) miles meretrici donum **) miserat, amare coepit, deductusque in domum meretricis pro eunucho vitiat. Re itaque ***) cognita cum illusam se meretrix doleret, ab eodem adolescente placatur, interventuque fratris ****) ejus cognitam civem Atheniensem duxit uxorem. Miles quoque in partem meretricii amoris receptus illuditur.

*) C Berol. traso miles; sed nomina personarum non sunt posita ab hoc scriptore, quisquis fuit.

**) Cod. MS. C et Bad.: dono.

***) Helmstad.: Reque ita.

****) Codex C: patris. Mixta nonnunquam haec vocabula: vide nos ad Senecae Phoeniss. 2.

## M. ANT. MURETI
# ARGUMENTUM.

*Civis quidam Atheniensis filiam, cui Pamphilae, et filium, cui Chremeti nomen erat, habuit. Ex iis Pamphilam adhuc infantulam praedones rapuere, e Sunio, et mercatori cuidam Rhodio vendidere, qui Rhodum advectam meretrici, quam amabat, dono dedit. Haec acceptam puellam pari cura ac studio cum Thaïde filia coepit educare: nemo ut esset, qui non utramque ex ipsa genitam esse arbitraretur. Thaïs, quae grandiuscula erat, cum ad eam aetatem pervenisset, ut viris placere posset, maternam, ut fit, vivendi rationem insecuta, cum hospite quodam Athenas venit, qui eam postea moriens heredem reliquit. Interea miles, Thraso nomine, ad eam adjecit animum; cumque cum ea per aliquod tempus consuevisset, in Cariam profectus est. Thaïdis mater per eos dies vitam morte commutaverat, fraterque ipsius Pamphilam venalem proposuerat, sperans, eam, quod et formosa esset, et fidibus sciret, praeclare a se venditum iri. Forte accidit, ut eo ipso tempore Thaïdis amator miles esset Rhodi; qui, harum omnium rerum inscius, Pamphilam emit: ut esset, quod amicae, Athenas reversus, dono daret. Thaïs, profecto milite, aliam conditionem quaesierat, adjunxeratque sibi Phaedriam, adolescentem Atheniensem, Lachetis filium. Inaudiverat interim etiam aliquid de Pamphila; jamque cum fratre ipsius Chremete aliquoties collocuta eo pervenerat, ut non dubiis indiciis intelligeret, sororem illius esse, quae secum in maternis aedibus educata foret. Summopere cupiebat igitur, occasionem sibi aliquam dari, qua Pamphilam suis restitueret, eodemque facto et puellam summo afficeret beneficio, et propinquorum illius amicitia fortunas constabiliret suas. Redit miles; sed cum cognosset de amore Phaedriae: puellam se, nisi*

*eo repulso, daturum negat. Thaïs, quid ageret, nescire: nam et Phaedriam amabat ex animo, et Pamphilae recipiendae gratia quidvis sibi faciundum putabat. Tandem, cum speraret, se postea facile consilium suum ei ipsi, cujus animum offenderet, probaturam, Phaedriam, ut militi gratificaretur, excludit. Postridie arcessito ei atque aegre ferenti difficulter se purgat, multisque precibus ab eo impetrat, ut per biduum priores partes habere Thrasonem sineret: ubi primum eripuisset puellam, nihil sibi cum illo amplius fore. Phaedria, ut hujus bidui molestiam aequiore animo ferret, rus sibi abeundum esse statuit. Itaque abiens mandat Parmenoni, ut eunuchum et Aethiopissam ad Thaïdem, cui eos emerat, duceret. Pamphilam, cum ex aedibus Thrasonis ad Thaïdem deduceretur, conspicatus in via Phaedriae frater natu minor Chaerea ita ejus amore flagrare coepit, nihil ut pensi haberet, dum ea potiretur; neque prius conquievit, quam ejus rei causa ad Thaïdem pro eunucho deductus est. Quid plura? Thaïde ad coenam cum milite profecta, virgini a Chaerea per vim vitium offertur. Turbae undique mirabiles: donec tota re patefacta Thaïs a Lachete in fidem et clientelam recipitur, Chaerea agnitam Pamphilam ducit uxorem. Thraso, diu illusus, tandem in amoris meretricii partem, Gnathonis parasiti opera, admittitur.*

---

# PROLOGUS.

---

Si quisquam est, qui placere se studeat bonis  1. s.
Quam plurimis et minime multos laedere,
In his poëta hic nomen profitetur suum.
Tum si quis est, qui dictum in se inclementius
Existimabit esse: sic existimet,
Responsum, non dictum esse, quia laesit prior,
Qui bene vertundo et easdem scribendo male ex
Graecis bonis Latinas fecit non bonas;

5. Sic unus Bentleji, Guyet. Westerhov. Ipse Bentl.: Existimarit, ut studeat 1. V.: Existimavit, sicut b et u litterae commutari inter se solent.

Item ut Menandri Phasma nuper perdidit,
Atque in Thesauro scripsit, causam dicere
Prius, unde petitur, aurum quare sit suum,
Quam illum, qui petit, unde is sit thesaurus sibi, aut
Unde in monumentum patrium pervenerit.
Dehinc, ne frustretur ipse se, aut sic cogitet;
*Defunctus jam sum; nihil est quod dicat mihi:*
Is ne erret, moneo, et desinat lacessere.
Habeo alia multa, nunc quae condonabitur;
Quae proferentur post, si perget laedere,
Ut facere instituit. Quam nunc acturi sumus,
Menandri Eunuchum postquam Aediles emerunt:
Perfecit, sibi ut inspiciundi esset copia,
Magistratus cum ibi adessent. Occepta est agi.
Exclamat, furem, non poëtam, fabulam
Dedisse, et nil dedisse verborum tamen.
Colacem esse Naevi, et Plauti veterem fabulam;
Parasiti personam inde ablatam et militis.
Si id est peccatum: peccatum inprudentia est
Poëtae, non quo furtum facere studuerit.
Id ita esse, vos jam judicare poteritis.
Colax Menandri est; in ea est parasitus Colax
Et miles gloriosus. Eas se non negat
Personas transtulisse in Eunuchum suam
E graeca; sed eas fabulas factas prius
Latinas scisse sese, id vero pernegat.

9. Putide et soloece libri: Idem Men. Ph. nunc nuper dedit. Item ut Bentl., qui adscriptum reperit in Donato MS. Item, id est similiter. 10. Ita Helmstad. Donat. Guyet. Bentl. etc. Libri fere: a thesauro, vel a thesauris. 12. illum unus Bentl. Male legitur ille, illi, illic. 17. Ita cod. Colleg. Christi apud Bentlejum, A et C Berol., item Ascens. Helmstad.: quae nunc iam cond. V.: quae nunc cond. 19. V.: Ita ut fac. inst. Vid. not. ad Ad. 5, 4, 6. 21. Sic interpungunt: — copia. Magistratus cum ibi adesset (nam sic legitur in vulgatis), occepta est agi. Quasi non per se intelligeretur, fabulam non coeptam esse agi speciminis causa, quod nos dicimus zur Probe, priusquam adessent Aediles, quorum cura et jussu agenda esset. Imo perfecit Luscius, ut sibi inspiciendae fabulae esset copia, cum, h. e. quando, Aediles adessent in theatro ad eam spectandam, absente populo, ut fieri solet in hoc genere. 25. Bentl., obtemperante Brunckio: C. esse nempe P. v. f. Sane Naevii Colax alibi non laudatur, laudatur Plauti apud Non. v. Batiola, et fieri potest, ut memoria parum valuerit senex Luscius. Sed demus licet, Naevium quoque ejus nominis comoediam scripsisse, Plautique intelligendum esse Militem gloriosum. 27. id, propter id, in eo. Guyet.: Si hic est p. 31. Frustra Bentl. hic non. 33. Ita Frib. V. Ex gr.

Quod si personis isdem uti aliis non licet:
Qui magis licet currentis servos scribere,
Bonas matronas facere, meretrices malas,
Parasitum edacem, gloriosum militem,
Puerum supponi, falli per servom senem,
Amare, odisse, suspicari? Denique
Nullum est jam dictum, quod non sit dictum prius.
Quare aequom est vos cognoscere, atque ignoscere,
Quae veteres factitarunt, si faciunt novi.
Date operam et cum silentio animum attendite,
Ut pernoscatis, quid sibi Eunuchus velit!

---

# ACTUS I.

## SCENA I.

PHAEDRIA, PARMENO.

PH. Quid igitur faciam? non eam? ne nunc quidem, I. 1.
Cum arcessor ultro? an potius ita me comparem,
Non perpeti meretricum contumelias?
Exclusit; revocat. Redeam? Non, si me obsecret.
PA. Si quidem hercle possis, nil prius, nil fortius;
Verum si incipies neque pertendes naviter,
Atque, ubi pati non poteris, cum nemo expetet,
Infecta pace ultro ad eam venies, indicans,
Te amare et ferre non posse: actum est; ilicet;
Peristi: eludet, ubi te victum senserit.
Proin tu, dum est tempus, etiam atque etiam cogita,
Here. Quae res in se neque consilium neque modum
Habet ullum, eam consilio regere non potes.
In amore haec omnia insunt vitia: injuriae,
Suspiciones, inimicitiae, induciae,
Bellum, pax rursum. Incerta haec si tu postules
Ratione certa facere: nihilo plus agas,

35. Bembinus cod.: Q. si p. i. huic uti n. l. 36. Idem: currentem servum. 41. Sic meliores libri. V.: dictum sit, deterioribus quidem numeris. 46. Ita Bemb. Basilicanus Faerni, Bentleji tres. Sequenti versui C Berol. addit et attendite. V.: animadvertite.

A. I. SC. I, 5. Ita Helmstad. V.: nil prius neque fort. 11. Inepte Pamphilo hic versus tribuitur in libris, sequente autem ita distinguitur: Here, quae. Bentl., Pamphili persona recte deleta: hoc cogita, Here, quae etc.

Quam si des operam, ut cum ratione insanias.
Et quod nunc tute tecum iratus cogitas:
*Egone illam, quae illum? quae me? quae non? Sine modo!*
*Mori me malim! sentiet, qui vir siem!*
Haec verba mehercule una falsa lacrimula,
Quam, oculos terendo misera vix vi expresserit,
Restinguet, et te ultro accusabit, et dabis
Ultro ei supplicium. Ph. O indignum facinus! nunc ego et
Illanc scelestam esse et me miserum sentio.
Et taedet, et amore ardeo, et prudens, sciens,
Vivus vidensque pereo, nec, quid agam, scio.
Pa. Quid agas, nisi ut te redimas captum quam queas
Minimo; si nequeas paullulo: at quanti queas;
Et ne te adflictes... Ph. Itane suades? Pa. Si sapis;
Neque, praeterquam quas ipse amor molestias
Habet, addas: illas; quas habet, recte feras.
Sed ecca ipsa egreditur nostri fundi calamitas:
Nam nos quod capere oportet, haec intercipit.

## ACTUS I. SCENA II.

### THAIS, PHAEDRIA, PARMENO.

T. Miseram me! vereor, ne illud gravius Phaedria i. 2.
Tulerit, neve aliorsum, atque ego feci, acceperit,
Quod heri intromissus non est. (Ph. Totus, Parmeno,
Tremo horreoque postquam adspexi hanc. Pa. Bono animo es.
Accede ad ignem hunc: jam calesces plus satis.)
T. Quis hic loquitur? Ehem, tun' hic eras, mi Phaedria?
Quid hic stabas? cur non recta introibas? Pa. Ceterum
De exclusione verbum nullum! T. Quid taces?
Ph. Sane quia vero hae mihi patent semper fores,
Aut quia sum apud te primus. T. Missa istaec face.
Ph. Quid? missa? O Thaïs, Thaïs, utinam esset mihi
Pars aequa amoris tecum, ac pariter fieret,
Ut aut hoc tibi doleret itidem, ut mihi dolet,
Aut abs te ego istuc factum nihili penderem.

20. Ita Guyet. V.: Egone illam? quae i.? 22. V.: H. v. una mehercle f. l. 23. misera ironice, quae miseram se clamat. Quod alibi legitur, misere, h. e. vehementer, locum hic non habet, cum sequatur vi. 33. Libri et minus eleganter et dure correpta priore syllaba τοῦ illas in versu medio; et illas. Guyet.: et eas.

T. Ne crucia te animi, te obsecro, mi Phaedria.
Non pol, quo quemquam plus amem, aut plus diligam,
Eo feci; sed ita erat res, faciundum fuit.
Pa. Credo, ut fit, misera prae amore exclusti hunc foras.
T. Siccine ais, Parmeno? Age. Sed, huc qua gratia
Te arcessi jussi, ausculta. Ph. Fiat. T. Dic mihi
Hoc primum: potin' est hic tacere? Pa. Egone? optume.
Verum heus tu, hac lege tibi meam adstringo fidem:
Quae vera audivi, taceo et contineo optume;
Sin falsum aut vanum aut fictum est, continuo palam est.
Plenus rimarum sum, hac atque illac perfluo.
Proin tu, taceri si vis, vera dicito.
T. Samia mihi mater fuit; ea habitabat Rhodi.
Pa. Potest taceri hoc. T. Ibi tum matri parvolam
Puellam dono quidam mercator dedit,
Ex Attica hinc abreptam. Ph. Civemne? T. Arbitror;
Certum non scimus: matris nomen et patris
Dicebat ipsa; patriam et signa cetera
Neque scibat, neque per aetatem etiam potuerat.
Mercator hoc addebat, e praedonibus,
Unde emerat, se audisse, abreptam e Sunio.
Mater ubi accepit: coepit studiose omnia
Docere, educere, ita uti si esset filia.
Sororem plerique esse credebant meam.
Ego cum illo, quicum tum uno rem habebam, hospite,

15. V.: Ne cr. te, obsecro, anime mi, Phaedria. Bentl. cum Guyeto, ut versum expleret: anime mi, mi Ph., plane ut Plautus Rud. 4, 8, 1: mi anime, mi Trachalio. Sed mirus tamen consensus tot codicum in mi altero negligendo. Accedit A Berolinensis, libri antiquissimi curioseque scripti, auctoritas, in quo libro legitur: Ne te crucia, te obsecro; accedit Donati genuini, qui: „Vide," inquit, „quam familiariter hoc idem repetat blandimentum. Vult enim Terentius, velut peculiare verbum hoc esse Thaidis. Ideo toties dictum est: Tune hic eras, mi Phaedria (6); Ne crucia te, obsecro, animi (male legitur anime), mi Phaedria. (Cf. 64, 110.)" Et Eugraphius: Incipit defensio, quae optimum principium tenuit, ut irascentis primum animus temperaretur. Quin ipsorum librorum scriptura animemi, exemplaribus non multum inter se dissentientibus, ita explicari potest, ut librarii pro anime perperam exarato animi scriptum voluerint; quod genus depravationis illustratum a nobis nuper est in notis ad Senecam Tragicum. Quid multa? Recte, nisi omnia me fallunt, codex Berol.: te obsecro; recte item nos: Ne crucia te animi, ut Adelph. 4, 4, 1, Phorm. 1, 4, 10, et apud Plautum animi impos, animi lassus, animi miser, animi pendeo. Vide lexicon Pareanum, et cf. Donat. infra ad 2, 43. 37. Pessime legitur adhuc educare. Correxere Guyet. Bentl. 39. Ita Bentl. Libri, o littera illata frequentius: quocum, vel cum quo, ut Berol. C, Helmstad., Prib.

Abii huc, qui mihi reliquit haec, quae habeo, omnia.
PA. Utrumque hoc falsum est: effluet. T. Qui istuc?
PA. Rogas?
Neque tu uno eras contenta, neque solus dedit:
Nam hic quoque bonam magnamque partem ad te attulit.
T. Ita est; sed sine me pervenire, quo volo.
Interea miles, qui me amare occeperat,
In Cariam est profectus; te interea loci
Cognovi. Tutè scis, postilla quam intimum
Habeam te, et mea consilia ut tibi credam omnia.
PA. Neque hoc tacebit Parmeno. T. Oh, dubiumne id est?
Hoc agite, amabo! Mater mea illic mortua est
Nuper, cujus frater aliquantum ad rem est avidior.
Is hanc ubi forma videt honesta virginem,
Et fidibus scire: pretium sperans, illico
Producit, vendit. Forte fortuna adfuit
Hic meus amicus; emit eam dono mihi,
Inprudens harum rerum ignarusque omnium.
Is venit. Postquam sensit me tecum quoque
Rem habere: fingit causas, ne det, sedulo:
Ait, si fidem habeat, se iri praepositum tibi
Apud me, ac non id metuat, ne, ubi acceperim,
Sese relinquam, velle se illam mihi dare;
Verum id vereri. Sed, ego quantum suspicor,
Ad virginem animum adjecit. PH. Etiamne amplius?
T. Nil: nam quaesivi. Nunc ego eam, mi Phaedria,
Multae sunt causae, quamobrem cupio abducere.
Primum, quod soror est dicta; praeterea, ut suis
Reddam ac restituam. Sola sum; habeo hic neminem
Neque amicum, neque cognatum. Quamobrem, Phaedria,
Cupio aliquos parere amicos beneficio meo.
Id, amabo, adjuta me quo id fiat facilius.
Sine illunc priores partis hosce aliquot dies

41. V.: Qui istuc? PA. Quia Neque tu etc. Codd. nostri MSS. praeter unum A Berolinensem et liber Frib.: Rogas? quia etc. 49. Ita Guyet. Bentl. ex libro Vaticano. Alii: Ne hoc quidem t. P. Vulgo autem Phaedriae tribuuntur verba Neque hoc t. Parm., et Parmenoni reliqua hujus versus. Verum si id pro certo affirmavit Phaedria, quomodo idem dubium servus dicat, non intelligas. Cf. 5, 4, 3. 51. Libri nullis numeris: Nuper; ejus frater. Cujus μονοσύλλαβον, ut passim apud hos scriptores. 52. V. item ἀμέτρως: Is ubi hanc f. vidit h. v. Donat.: Is hanc ubi. Beroll. A, C, Helmstad. Frib.: videt, neque aliter Bentl. 67. Ita Guelf., quae lectio numerosior vulgatâ hâc Rest. ac. redd. 69. Ita Bemb. et A Berol. V. parare, quo versum corrumpi sensit Bentl.

Apud me habere. — Nil respondes? Ph. Pessuma,
Ego cum istis factis quidquam tibi respondeam?
(Pa. Eu, noster, laudo! tandem perdoluit! vir es!)
Ph. At ego nesciebam, quorsum tu ires. *Parvola*
*Hinc est abrepta; eduxit mater pro sua;*
*Soror dicta est; cupio abducere, ut reddam suis.*
Nempe omnia haec nunc verba huc redeunt denique:
Excludor, ille recipitur. Qua gratia,
Nisi si illum amas plus quam me, et istam nunc times,
Quae advecta est, ne illum talem praeripiat tibi?
T. Egon' id? Ph. Quid te ergo aliud sollicitat? Cedo!
Num solus ille dona dat? num tibi meam
Benignitatem sensisti intercludier?
Nonne, ubi mihi dixti cupere te ex Aethiopia
Ancillulam, relictis rebus omnibus
Quaesivi? Porro eunuchum dixti velle te,
Quia solae utuntur his reginae. Repperi;
Heri minas viginti pro ambobus dedi;
Contemtus abs te in memoria haec habui tamen.
Ob haec facta abs te spernor. T. Quid istic, Phaedria?
Quanquam illam cupio abducere atque hac re arbitror
Id fieri posse maxume: verumtamen
Potius, quam te inimicum habeam, faciam, ut jusseris.
Ph. Utinam istuc verbum ex animo ac vere diceres
*Potius quam te inimicum habeam!* Si istuc crederem
Sincere dici; quidvis possem perpeti.
(Ph. Labascit, victust, uno verbo quam cito!)
T. Ego non ex animo misera dico? Quam joco
Rem voluisti a me tandem, quin perfeceris?

73. Ita Donat. Libri Terentiani durioribus numeris: Egon'. Frib.: Egon cum istis f. qu. t. r. V.: E. quidqu. c. ist. f. t. resp. 75. Sic aliquot Bentlejani, edd. vett. Muret. Bentl. V.: Haut (quidam MSS. Aut) ego. 79. Ita Helmstad. Ceteri: Ego excludor, qui pessimus est anapaestus cum syllaba. 80. Sic Regius et Rubricatus Guyeti; Helmstad. Frib.: Nisi illum ames plus quam me. Guelf.: N. ill. plus quam me amas. Dure Bentl.: Nisi si illum pl. qu. me amas, et ist. n. t. 82. V.: Egon' id timeo, neque juvat Bentleji ratio, Ego legentis, nisi quis ferendum putet haec ita dimetientem: | Ego id time | o? Glossema est timeo, Egon' posteriore syllaba longa; qua de re vide nos ad Plauti Amph. 475. 83. num tibi Helmstad., ut legendum vidit Bentl. Alii libri nunc ubi, vel num ubi. 84. Sic plane MS. Guil. Canteri Nov. Lectt. 7, 12, ut edidit Bentl. Alii codd.: interclaudier. A Berol.: in me claudier. V.: in te claudier. 90. Vix recte libri et versu elumbi: Tamen cont. abs te haec hab. in mem. 98. Ita Bentl., eleganter. V.: victus.

Ego impetrare nequeo hoc abs te, biduum
Saltem ut concedas solum. Ph. Si quidem biduum;
Verum ne fiant isti viginti dies.
T. Profecto non plus biduum, aut... Ph. Aut? Nil moror.
T. Non fiet; hoc modo sine te exorem. Ph. Scilicet
Faciundum est, quod vis. T. Merito te amo; bene facis.
Ph. Rus ibo; ibi hoc me macerabo biduum.
Ita facere certum est: mos gerundust Thaïdi.
Huc tu fac deducantur illi. Pa. Maxume.
Ph. In biduum hoc, Thaïs, vale. T. Mi Phaedria,
Et tu. Numquid vis aliud? Ph. Egone quid velim?
Cum milite isto praesens absens ut sies;
Dies noctesque me ames, me desideres,
Me somnies, me expectes, de me cogites,
Me speres, me te oblectes, mecum tota sis;
Meus fac sit postremo animus, quando ego sum tuus.
T. Me miseram, forsan hic mihi parvam habeat fidem,
Atque ex aliarum ingeniis nunc me judicet.
Ego pol, quae mihi sum conscia, hoc certo scio.
Neque me finxisse falsi quidquam, neque meo
Cordi esse quemquam cariorem hoc Phaedria;
Et quidquid hujus feci, causa virginis
Feci: nam me ejus fratrem spero propemodum
Jam reperisse, adolescentem adeo nobilem;
Et is hodie venturum ad me constituit domum.
Concedam hinc intro atque expectabo, dum venit.

108. Frib.: I. f. c. e.: *morigerandum est Th.* 109. Libri vulgati, dure correpto *illi* in versu medio et minus usitate posito verbo *adducantur* pro *deducantur*: *Tu, Parmeno, huc fac illi adducantur.* B et C Berol., item Helmstad.: *deducantur.* Frib.: *Tu parm. huc fac deducantur illi.* Nomen *Parmeno* est glossema. Cf. 2, 1, 1. 116. Ita liber Helmstad. C Berol.: *siet.* Inepte libri: *Meus fac sis postremo animus,* quod solitum blandimentum amantium. Sed scripserunt *Meus fac sis animus,* qui crederent simiae Donati, verba *quando ego sum tuus* ita interpretanti: *Animus scilicet,* cum nescirent, *Tuus sum* vocem esse servorum adversus dominos, a Phaedria usurpatam μεταφορικῶς, more amantium. Vide Plaut. Amph. 2, 1, 7, Capt. 3, 5, 10, Cas. 3, 6, 15, Andr. 5, 6, 12. Horat. 1, 25, 7: *Me tuo longas pereunte noctes,* etc. Donatus: *Quod ipse ab ejus (Thaïdis) corpore patitur, id vult militi (ab) ejus mente contingere.* 119. Non male C Berol.: *certe.* 123. Sic A Berol. et edd. vett., in his Ascens. V.: *spero fratrem,* deteriore loco versûs posita voce *fratrem.*

# ACTUS II.

## SCENA I.

### PHAEDRIA, PARMENO.

PH. Fac ita, ut jussi, deducantur isti. PA. Faciam. PH. At diligenter. t. t.
PA. Fiet. PH. At mature. PA. Fiet. PH. Satin' hoc mandatum est tibi? PA. Ah, t. t. c.
Rogitare, quasi difficile sit! i. d.
Utinam tam aliquid invenire facile possis, Phaedria, t. t. c.
Quam hoc peribit! PH. Ego quoque una pereo, quod mi est carius:
Ne istud iniquo patiare animo. PA. Minime; quin effectum dabo. as. t. d. i. d.
Sed numquid aliud imperas? i. d.
PH. Munus nostrum ornato verbis, quod poteris, et istunc aemulum, as. t. d. i. d.
Quod poteris, ab ea pellito. PA. Ah, i. d.
Memini, tametsi nullus moneas. PH. Ego rus ibo atque ibi manebo. t. t.
PA. Censeo. Ph. Sed heus tu... PA. Quid vis? PH. Censen' posse me obfirmare et
Perpeti, ne redeam interea? PA. Tene? Non hercle arbitror: t. t. c.
Nam aut jam revertere, aut mox noctu te adigent horsum insomnia. i. t.
PH. Opus faciam, ut defatiger usque, ingratiis ut dormiam.
PA. Vigilabis lassus: hoc plus facies. PH. Ah, nil dicis, Parmeno.
Ejicianda hercle est haec mollities animi: nimis me indulgeo.
Tandem non illa ego caream, si sit opus, vel totum triduum? PA. Hui,
Univorsum triduum? Vide, quid agas. PH. Stat sententia. t. t. c.
PA. Di boni, quid hoc morbi est? adeon' homines inmutarier

A. II. SC. I, 6. Ἀμέτρως legitur: tam iniquo. Est tam quoque ex iis voculis, quas a se nonnunquam librarii largiuntur, velut Andr. 5, 5, 3. codd. B Berol. et Helmst. habent tam futili. Bentl., trochaicum t. c. effecturus, dedit quin factum dabo. Sed vid. not ad Andr. 2, 1, 2. 14. Sic nostri. Bentl. ex libris, ut ait, antiquis: defetiger.

Ex amore, ut non cognoscas, eundem esse? Hoc nemo fuit
Minus ineptus, magis severus quisquam, nec mage continens.
Sed quis hic est, qui huc pergit? Attat, hic quidem est parasitus Gnatho
Militis; ducit secum una virginem dono huic, papae!
Facie honesta. Mirum, ni ego me turpiter hodie hic dabo
Cum meo decrepito hoc eunucho: haec superat ipsam Thaïdem.

## ACTUS II. SCENA II.

### GNATHO, PARMENO.

G. Di inmortales, homini homo quid praestat! stulto intellegens t. t. c.
Quid interest! Hoc adeo ex hac re venit in mentem mihi. i. t.
Conveni hodie adveniens quendam mei loci hinc atque ordinis, t. t. c.
Hominem haud inpurum, itidem patria qui abligurrierat bona.
Video sentum, squalidum, aegrum, pannis, annis, obsitum.
Quid istuc, inquam, ornati est? — *Quoniam miser, quod habui, perdidi: hem,* as. t. d. i. d.
*Quo redactus sum!* Omnes noti me atque amici deserunt, t. t. c.
Hic ego illum contemsi prae me. Quid homo, inquam, ignavissume?
Itan' parasti te, ut spes nulla reliqua in te sit tibi? i. t.
Simul consilium cum re amisti? Vide me ex eodem ortum loco,
Qui color, nitor, vestitus, quae habitudo est corporis! t. t. c.
Omnia habeo, neque quidquam habeo: nil cum est, nil defit tamen. —
*At ego infelix neque ridiculus esse, neque plagas pati*
*Possum.* — Quid? tu his rebus credis fieri? Tota erras via.
Olim isti fuit generi quondam quaestus apud seclum prius;
Hoc novom est aucupium; ego adeo hanc primus inveni viam.
Est genus hominum, qui esse primos se omnium rerum volunt,

25. Nostri: unam.

A. II. SC. II, 5. Ita B codex Berol. V.: annisque. 9. MSS. fere: siet. V.: esset. Correxit Bentl. 10. Minus apte libri et metro difficiliore: Viden' (— corporis?). Animadvertit Guyet.

Nec sunt; hos consector; hisce ego non paro me, ut rideant,
Sed eis ultro arrideo et eorum ingenia admiror simul.
[Quidquid dicunt, laudo; id rursum si negant, laudo id quoque.]
Negat? nego; ait? ajo; postremo imperavi egomet mihi i. t.
Omnia adsentari. Is quaestus nunc est multo uberrimus. t. t. c.
(P. Scitum hercle hominem! hic homines prorsum ex stultis insanos facit.)
G. Dum haec loquimur, interea loci ad macellum ubi advenimus: i. t. c.
Concurrunt laeti mi obviam cupedinarii omnes,
Cetarii, lanii, coqui, fartores, piscatores,
Quibus et re salva et perdita profueram et prosum saepe;
Salutant, ad coenam vocant, adventum gratulantur.
Ille ubi miser famelicus videt me tanto honore et
Tam facile victum quaerere; ibi homo coepit me obsecrare,
Ut sibi liceret discere id de me. Sectari jussi:
Si potis est, tanquam philosophorum habent disciplinae ex ipsis
Vocabula, parasiti item ut Gnathonici vocentur
(P. Vide otium et cibus quid facit alienus!) G. Sed ego cesso
Ad Thaïdem hanc deducere et rogare, ad coenam ut veniat?
(Sed Parmenonem ante ostium Θαϊδίου tristem video,

19. Frigere videtur simul, ut libenter legerim, usurpato trochaïco t. acatalectico: admirari simulo. Quanquam habet, quo se tueatur, lectio vulgata. Recte autem Bentl. secundum Guyetum eis dedit pro his. C Berol.: hiis, perperam addita, nisi fallor, h littera. Uncis inclusa pro alio haberi non possunt quam pro versificato, ut fit, glossemate elegantium illorum, quae sequuntur, Negat? nego; ait? ajo, quae quidem fraudis Guyetus insimulans fallitur. 20. nego non liquescit propter interpunctionem. Cf. not. ad Andr. 2, 2, 8. Si quis tamen ponere malit ajit, non refragabor. Ceterum legitur: Negat quis? quae est interpretatio. Intelligendum quis vel aliquis, ut passim τὶς apud Graecos scriptores. 23. Ut Bembinus aliique codd., teste Rivio, ita etiam B Berol. Helmstad. et Frib.: adventamus. A et C Beroll.: convenimus. 28. Sic nostri praeter Helmstad. et Frib., nisi quod 3 Berolinenses, sicut hi ipsi duo libri, habent in tanto honore. Frustra in his aliisque multis libris, quos expressit Bentl., sic legitur: me esse. 31. Sic 2 Regios secutus Bentl. V.: disciplinae. 33. Dionysius P. P. Epistol. ad Severum, laudante Lindenbrogio: „Videte, ne in vos illud conveniat: Vide, quid faciat otium et alienus cibus.“ Recte, nisi quod legendum est secundum plerosque libros et Donatum facit, ut vel ex metro intelligas. Bentl.: Viden', ot. et c. q. facit etc. Vulgo: Viden' o. et c. q. faciat. 35. Θαϊδίου, vel Thaïdii. Libri nullis numeris: Thaïdis. Alii aliud suffecere, Muretus meretricis, Bentlejus opperiri, etc. Donatus: „Thaïdis. Le-

Rivalis servom. Salva res! Nimirum hice homines frigent.
Nebulonem hunc certum est ludere. P. Hice hoc munere arbitrantur
Suam Thaïdem esse.) G. Plurima salute Parmenonem
Summum suum impertit Gnatho. Quid agitur? P. Statur. G. Video.
Num quidnam, quod nolis, vides? P. Te. G. Credo; at numquid aliud?
P. Quidum? G. Quia tristis. P. Nil quidem. G. Ne sis. Sed quid videtur
Hoc tibi mancupium? P. Non malum hercle. G. Uro hominem! P. Ut falsus animi es!
G. Quam hoc munus gratum Thaïdi arbitrare esse? P. Hoc nunc dicis,
Ejectos hinc nos? Omnium rerum, heus, vicissitudo est!
G. Sex ego te totos, Parmeno, hos menses quietum reddam,
Ne sursum, deorsum cursites, neve usque ad lucem vigiles.
Ecquid beo te? P. Men'? Papae! G. Sic soleo amicos. P. Laudo.
G. Detineo te? fortasse tu profectus alio fueras?
P. Nusquam. G. Tum tu igitur paululum da mi operae: fac ut admittar.
P. Age modo. Nunc tibi haec patent fores, quia istam ducis.
G. Num quem evocari hinc vis foras? P. Sine biduum hoc praetereat.
Qui mi uno digitulo foris nunc aperis fortunatus,
Nae tu istas faxo calcibus saepe insultabis frustra.

gitur et Thais." Corrupte quidem, sed ut tamen intelligas, discrimen lectionis olim fuisse in nomine mulieris; idque discrimen nisi in eo constiterit, ut deminutivum loco primitivi positum fuerit, quale dicas fuisse, nescias. Huc accedit, quod labi solent in nominibus graecis. Lepide autem, regem suum imitatus, ὑποκοριστικῷ utitur parasitus. 36. V.: res est. Bentl. copulam omisit. 41. V.: tristis es. Bentl.: tristi's, inusitato genere contractionis. Intelligenda copula, sicut passim. Idem recte ex libris Nil quidem. V. previs numeris: Nihil equidem. 42. es habent 3 codd. MSS. Bentleji, totidem nostri et vett. edd., in his Friburg. et Ascens., quod vulgato est merito praetulit Britannus doctissimus. 44. V. — nos: omnium etc. 49. Glossema κακόμετρον est, quod vulgatur, hoc: Admittar Ad illam. P. Age etc. Animadvertit Guyetus, quem sequimur etiam 52. potius quam ponamus cum Mureto et Bentlejo forem, et sequente versu istanc pro istas. Sic autem ibi legitur in vulgatis libris: Qui mihi nunc uno dig. fores ap. fl. 50. V. haec C Berol. hec pro hec.

G. Etiamne tu hic stas, Parmeno? numnam hic relictus custos,
Ne quis forte internuntius clam a milite ad istam curset?
P. Facete dictum! Mira vero, militi quae placeant!
Sed video herilem filium minorem huc advenire.
Miror, quid Piraeo abierit: nam ibi custos publice est nunc.
Non temere est; et properans venit; nescio quid circumspectat.

## ACTUS II. SCENA III.

### CHAEREA, PARMENO.

C. Occidi! t. c.
Neque virgo est usquam, neque ego, qui illam e conspectu amisi meo! i. t.
Ubi quaeram? ubi investigem? quem perconter? quam insistam viam?
Incertus sum. Una haec spes est: ubiubi est, diu celari non potest.
O faciem pulchram! Deleo omnis dehinc ex animo mulieres:
Taedet quotidianarum harum formarum. (P. Ecce autem alterum!
Nescio quid de amore loquitur. O infortunatum senem!
Hic vero est, qui si occeperit, ludum jocumque dicas, i. t. c.
Praeut hujus rabies quae dabit, illum alterum fuisse.)
C. Ut illanc di deae omnes senium perdant, qui hodie me remoratus est; i. t.

54. Itidem κακομέτρως libri: Etiam nunc hic stas, Parm.? eho, numnam etc. Ortum eho ex praecedente -eno, ut simillimae sunt H et N litterae in scriptis. Ceterum Bentleji codex unus, item B Berol.: Etiam tu hic stas; C Berol.: Etiam hic stas. Bentl.: Etiamne (quod habuisse videntur librarii pro Etiamnē, h. e. Etiam nunc) tu hic stas, Parm.? eho! numnam etc. 56. Piraeo abierit, quemadmodum dicitur abire domo, honore, magistratu. Dure libri: ex Pir. Donat.: Adversus praedonum incursus illic excubabat juventus Attica.

A. II. SC. III, 9. Librarii quotidianum ordinem verborum sectantes: — dicas (vel dices) Fuisse illum alterum, praeut hujus rabies quae dabit. Τοῦ dabit syllaba posterior pro longa est, maxime propter interpunctionem versûsque incisionem. Cf. Ad. pr. 25. Frustra sunt Guyet. et Bentl., qui 5 hinc versus exsculpunt iambicos, vocabulis occeperit, alterum et dabit finitos. 10. Ita Bentl. ex codd. Acad. et Regio. Omnes etiam alii. V.: deaeque sen. perd.

Meque adeo, qui restiterim; tum autem qui illum flocci fecerim!
Sed eccum Parmenonem! Salve. P. Quid tu es tristis, quidve es alacris? t. t.
Unde is? C. Egone? Nescio hercle, neque unde eam, neque quorsum eam: t. t. c.
Ita prorsum oblitus sum mei. P. Qui, quaeso? C. Amo. i. s.
P. Hem! C. Nunc te ostendes, Parmeno, qui vir sies.
Scis, te mihi saepe pollicitum esse: *Chaerea, aliquid inveni* i. t.
*Quod ames; modo: utilitatem in ea re ego faciam ut cognoscas meam,*
Cum in cellulam ad te patris penum omne congerebam clanculum.
P. Age, inepte! C. Hoc hercle factum est. Fac, sis, nunc promissa adpareant,
Sive adeo digna res est, ubi tu nervos intendas tuos.
Haud similis virgo est virginum nostrarum, quas matres student
Demissis humeris esse, vincto pectore, ut gracilae sient.
Si qua est habitior paulo: pugilem esse ajunt; deducunt cibum;
Tametsi bona est natura, reddunt curatura junceas.
Itaque ergo amantur. P. Quid tua istaec? C. Nova figura oris. . . . P. Papae!
C. Color verus, corpus solidum et succi plenum. . . P. Anni? C. Anni sedecim.
P. Flos ipse. C. Hanc vel vi mihi vel clam tu vel precario
Fac tradas: mea nil refert, dum potiar modo. i. s.
P. Quid? virgo cuja est? C. Nescio hercle. P. Unde est? C. Tantundem. P. Ubi habitat? i. t. c.
C. Ne id quidem. P. Ubi vidisti? C. In via. P. Qua ratione amisisti?
C. Id equidem adveniens mecum stomachabar modo; i. s.
Nec quemquam ego hominem esse arbitror, cui mage bonae
Felicitates omnes adversae sient.

18. Omne Guelf. Frib. (hic etiam penu), quae lectio, commemorata illa etiam a Donato, anteferri vulgatae omnem debet, ne 6 habeamus in uno versu m litterâ terminatas voces. 19. Age, inepte leviter et amice reprehendentis est. Cf. Ad. 2, 6, 7. 20. Recte Donat.: Hic ordo et sensus est: Fac, si vis (sis), nunc, sive adeo digna res est etc. 22. Ita Non., Valer. Probus, mentioque ejus scripturae fit apud Eugraphium. V.: graciles. Correxit Bentl. 27. Non elidendum ipse propter interpunctionem; vid. not. ad Andr. 2, 2, 8. Vel legendum ipsus.

Quid hoc est sceleris? Perii! P. Quid factum est? C. Rogas?
Patris cognatum atque aequalem Archidemidem
Nostine? P. Quidni? C. Is, dum hanc sequor, fit mi obviam.
P. Incommode hercle. C. Imo enimvero infeliciter:
Nam incommoda alia sunt dicenda, Parmeno.
Illum liquet mihi dejerare his mensibus
Sex, septem, prorsum non vidisse proxumis,
Nisi nunc, cum minime vellem, minimeque opus fuit.
Eho, nonne hoc simile monstri est? quid ais? P. Maxume.
C. Continuo adcurrit ad me, quam longe quidem,
Incurvus, tremulus, labiis demissis, gemens;
*Heus, heus, tibi dico, Chaerea*, inquit. Restiti.
*Scin', quid ego te volebam?* — Dic. — *Cras est mihi*
*Judicium.* — Quid tum? — *Ut diligenter nunties*
*Patri, advocatus mane mihi esse ut meminerit.*
Dum haec dicit, abiit hora. Rogo, numquid velit.
*Recte*, inquit. Abeo. Cum huc respicio ad virginem:
Haec se interea commodum huc advorterat
Hanc nostram in plateam. P. Mirum, ni hanc dicit, modo
Huic quae data dono est. C. Huc cum advenio: nulla erat.
P. Comites secuti scilicet sunt virginem?
C. Verum; parasitus cum ancilla. P. Ipsa est: ilicet.
Desine: jam conclamatum est. C. Alias res agis.
P. Istuc ago equidem. C. Nostin' (quaeso, dic mihi), aut
Vidistin'? P. Vidi; novi; scio, quo abducta sit.
C. Eho, Parmeno mi, nostin'? et scis, ubi siet?
P. Huc deducta est ad meretricem Thaïdem; ei dono data est.
C. Quis is est tam potens cum tanto munere hoc? P. Miles Thraso,
Phaedriae rivalis. C. Duras fratris partis praedicas.
P. Imo enim, si scias quod donum huic dono contra comparet,
Tum magis id dicas. C. Quodnam, quaeso hercle? P. Eunuchum. C. Illumne, obsecro,

34. Etiam verba Qu. h. est scel.? servo tribuuntur in vulgatis libris, sed a Donato atque Bentlejo Chaereae; rectius quidem propterea quod Parmeno minime est commotus. 42. Ita Helmstad. Frib.: nonne sim. hoc monstri est? V.: nonne hoc monstri sim. est? male collocato monstri, verbo gravissimo. 51. V.: Illa sese, pronomine Illa pessime deproperato. 57. Ita Bentl. secundum codicem Collegii Corp. Christ. V.: I. n. quidem. C. nostin', quae sit? dic mihi: Aut vid.? 59. Ita Donat. Bentl. Frib.: O Parm. nostin? Par. Novi. Che. et scies ubi sciet? V.: — nostin'? P. novi. Ch. et scis, u. s. 63. Codd. Bentleji 2, B Berol. Helmstad. Frib. non habent enim.

Inhonestum hominem, quem mercatus est heri, senem mulierem? t. t. c.
P. Istunc ipsum. C. Homo quatietur certe cum dono foras.
Sed istam Thaidem non scivi nobis vicinam. P. Haud diu est. i. t.
C. Perii, nunquamne etiam me illam vidisse? Ehodum, dic mihi hoc: t. t. c.
Estne, ut fertur, forma? P. Sane. C. At nihil ad nostram hanc. P. Alia res.
C. Obsecro hercle, Parmeno, fac, ut potiar. P. Faciam sedulo, as. t. d. i. t.
Dabo operam, adjuvabo. Numquid me aliud vis? C. Quo nunc is? P. Domum,
Ut mancipia haec, ita uti jussit frater, deducam ad Thaidem.
C. O fortunatum istum eunuchum, qui quidem in hanc detur domum! t. t. c.
P. Quid ita? C. Rogitas? Summa forma semper conservam domi
Videbit; conloquetur; aderit una in unis aedibus; i. t.
Cibum nonnunquam capiet cum ea; interdum propter dormiet.
P. Quid, si nunc tute fortunatus fias... C. Qua re, Parmeno?
Responde! P. Capias tu illius vestem... C. Vestem? quid tum postea?
P. Pro illo te deducam... C. Audio. P. Te esse illum dicam... C. Intellego.
P. Tu illis fruare commodis, quibus illum dicebas modo,
Cibum una capias, adsis, tangas, ludas, propter dormias,
Quandoquidem illarum neque te quisquam novit, neque scit qui sies?
Praeterea forma et aetas ipsa est, facile ut pro eunucho probes.
C. Dixti pulchre! nunquam vidi melius consilium dari. t. t. c.
Age eamus intro nunc iam; orna me, abduc, duc, quantum potest! i. t.
P. Quid agis? Jocabar equidem. C. Garris. P. Perii, quid ego egi miser?

68. Frib.: dic hoc mihi. V. hoc non legitur. 69. Donat. et scripti nostri praeter Guelferbytanum, item ed. Frib.: Alia res est. 71. Sic Donat. Helmstad. Frib. Ascens. Guelf.: quid me vis aliud? V. vis desideratur. 72. Sic iidem praeter Guelf., et praeterea C Berol. V.: ducam, minus quidem proprie. 79. Ita cod. Regius apud Guyetum, omnes Bentleji, C Berol. V.: ducam. 80. Ita cod. Petrensis, G Berol., Bentl. V.: tu illum. 65. Ita plerique codd., Guyet. Bentl.

Quo tradis? P. Perculeris iam tu me. Tibi equidem dico: mane.
C. Eamus! P. Pergin'? C. Certum est. P. Vide, ne nimium calidum hoc sit, modo.
C. Non est profecto. Sine! P. At enim istaec in me cudetur faba, C. Ah!
P. Flagitium facimus. C. An id flagitium est, si in domum meretriciam
Deducar et illis crucibus, quae nos nostramque adolescentiam
Despicuam habent, et quae nos semper omnibus cruciant modis,
Nunc referam gratiam atque eas itidem fallam, ut ab illis fallimur;
An potius hoc patri aequom est fieri, ut a me ludatur dolis?
Quod qui rescierint, culpent; illud merito factum omnes putent.
P. Quid istic? Si certum est facere: facias. Verum ne post conferas
Culpam in me. C. Non faciam. P. Juben'? C. Jubeo imo, cogo atque impero.
Nunquam defugiam auctoritatem. P. Sequere. Di vortant bene!

---

# ACTUS III.

## SCENA I.

### THRASO, GNATHO, PARMENO.

T. Magnas vero agere gratias Thaïs mihi? i. s.
G. Ingentis. T. Ain' tu? laeta est? G. Non tam ipso quidem
Dono, quam abs te datum esse; id vero serio
Triumphat. (P. Huc proviso, ut, ubi tempus siet,
Deducam. Sed eccum militem!) T. Est istuc datum

87. Frib.: tibi quidem, quod non deterius. 92. Sic MS. Brunian. apud Palmerium Lamp. Gruter. 4. pag. 855, quomodo dicitur Adspicuus, Conspicuus, Perspicuus. Cf. Naevius apud Non. c. 2. n. 667. Cod. Bemb.: despectam; vulgo: despicatam. Utrumque glossema, nec placet Bentleji ratio ponentis numero durissimo, imo nullo; |Habent de|spicatu. 94. Hoc pro haec vulgato praebuit Guelf.; patri pro pati, quae multorum lectio librorum, Engraph. et codex unus Bentleji a manu 1; quod recte habet ed. Zeun. Frustra hic turbatur. 97. Sic vett. V. imo non legitur, quod elegantissimum. Vid. Gronov. ad Plaut. Capt. 2, 2, 104. 98. Ita Bentl. V. verbum Sequere adolescenti tribuitur, minus quidem apte.

A. III. SC. I, 5. Frib.: E. i. a. diis datum. Glossema non inficetum.

Profecto, ut grata mihi sint, quae facio, omnia.
G. Advorti hercle animum. T. Rex vel semper maxumas
Mihi agebat, quidquid feceram; aliis non item.
G. Labore alieno magnam partam gloriam
Verbis saepe in se transmovet, qui habet salem;
Quod in te est. T. Habes. G. Rex te ergo in oculis...
T. Scilicet.
G. Gestare? T. Verum; credere omnem exercitum,
Consilia. G. Mirum! T. Tum sicubi eum satietas
Hominum, aut negoti si quando odium ceperat,
Requiescere ubi volebat, quasi — nostin'? G. Scio:
Quasi ubi illam exspueret miseriam ex animo. T. Tenes:
Tum me convivam solum abducebat sibi. G. Hui,
Regem elegantem narras! T. Imo sic homo est,
Perpaucorum hominum. (G. Imo nullorum, arbitror,
Si tecum vivit.) T. Invidere omnes mihi,
Mordere clanculum; ego non flocci pendere;
Illi invidere misere; verum unus tamen
Inpense, elephantis quem Indicis praefecerat.
Is ubi molestus magis est: quaeso, inquam, Strato,
Eone es ferox, quia habes imperium in belluas?
G. Pulchre mehercle dictum et sapienter! Papae,
Jugularas hominem! Quid ille? T. Mutus illico.
G. Quidni esset? (P. Di, vostram fidem, hominem perditum
Miserumque, et illum sacrilegum!) T. Quid? illud, Gnatho,
Quo pacto Rhodium tetigerim in convivio,
Nunquam tibi dixi? G. Nunquam; sed narra, obsecro.
(Plus millies audivi.) T. Una in convivio

9. Haud male Bent.: magno. 10. salem libri omnes superstites, nisi quod in C Berolinensi -em minutis litteris perscriptum est, Bentl. levibus de causis dedit: qui sal habet. Quod iambum ferendum negat horum versuum sede 5: cf. prol. Andr. 55, ubi frustra excudi jussit id ego arbitror, 62, 81, 100, etc. Regnant ibi pedes τετράσημοι, praesertim apud Latinos, sed ita tamen, ut iambus non excludatur. 11. Quod. Ascens.: id est habere salem. Donat. ad 55: Quod, Par. Aut absolute Quod, Quae res. 12. Gestare 4 MSS., in his Regius, apud Guyetum, cod. Bemb. et duo Bentlejani; neque fieri potest ut aliter legerit Donatus. Sic itaque Guyet. Bentl. etc. Vulgo tamen obtinet ineptum Gestire. Recte quoque Bentl. secundum suos: Verum, ut 2, 3, 55. etc; neque aliter Frib. Ascens. V. Vero. Cf. tamen Ad. 3, 6, 23. 17. abduc. Frib.: adhibebat, quod quo magis inusitatum est hoc sensu, eo magis fortasse decet infantem militem. Posset autem legi: Tum me adhibebat solum convivam sibi. 19. hom. non liquescit propter interpunctionem, neque necesse est, τὸ est referri ad hunc versum, ut fit in vulgatis libris.

Erat hic, quem dico, Rhodius adolescentulus.
Forte habui scortum; coepit ad id adludere
Et me inridere. Quid agis, inquam, homo inpudens?
Lepus tute pulpamentum quaeris? G. Ha ha hae!
T. Quid est? G. Facete! lepide! laute! nil supra!
Tuum, obsecro, ne hoc dictum erat? Vetus credidi.
T. Audieras? G. Saepe, et fertur in primis. T. Meum est.
G. Dolet ictum inprudentem adolescentem et liberum.
P. At te di perdant! G. Quid ille, quaeso? T. Perditus.
Risu omnes, qui aderant, emoriri. Denique
Metuebant omnes jam me. G. Non injuria.
T. Sed heus tu, purgon' ego me de istac Thaïdi,
Quod eam me amare suspicata est? G. Nil minus;
Imo auge magis suspicionem. T. Cur? G. Rogas?
Scin', si quando illa mentionem Phaedriae
Facit, aut si laudat, te ut male urat? T. Sentio.
G. Id ut ne fiat, haec res sola est remedio.
Ubi nominabit Phaedriam: tu Pamphilam
Continuo. Si quando illa dicet: *Phaedriam*
*Intromittamus comissatum:* Pamphilam
Cantatum provocemus. Si laudabit haec
Illius formam: tu hujus contra. Denique
Par pro pari referto, quod eam mordeat.
T. Si quidem me amaret: tum istuc prodesset, Gnatho.
G. Quando illud, quod tu des, expectat atque amat.

36. Ita Bentl. legi posse intelligebat, cum excudi jussit: L. t. es, et pulmentum quaeris? V.: L. t. es, et pulpamentum qu.? nullis quidem numeris. 38. Non placet, vetus, magni ponderis vocabulum, ita deproperari, ut vix audiatur. Fortasse legendum est: Tuum, obsecro, ne hoc dictum? Credidi vetus. Vel sic: T., o., hoc? Credidi dictum vetus. Erat non ineleganter quidem positum pro est, sed asperat versum. Recte autem Bentl. secundum Donatum et vett. edd.: Tuum, o., ne hoc d. e.? per tmesin. V.: Tuumne, obsecro te, h. d. e.? In C Berol. Helmstad. Frib. Ascens. te non legitur. 40. V.: Dolet dictum inprudenti adolescenti et libero. Sed quid Donatus? „Vide," inquit, „parasitum in iisdem versari, cum ait supra Jugularas, hic Dolet ictum." Nam sic legendum apud grammaticum, non Dolet dictum, sicut legitur ex quo ejus verba ad vulgatam poëtae recensionem accommodata fuerunt a librariis editoribusque. Eugraphius quoque: „Imprudenti. Scilicet qui minime crederet, tali se percuti posse convicio." Irridens militem Gnatho militaribus utitur verbis Triumphat, Jugularas, Ictum. Dictum prorsus alienum, quod ex quo positum fuit, scriptum est a correctoribus imprudenti etc. Similiter autem sonant Dolet ictum et Dolet dictum, quae similitudo ansam praebuisse videtur depravationis. 52. Ita ced. C Berol. et edd. vett. V.: tu, Pamph., quod ἄμετρον. 57. Libri soloece: das.

Jamdudum te amat; jamdudum illi facile fit,
Quod doleat: metuet semper, quem ipsa nunc capit
Fructum, ne quando iratus tu alio conferas.
T. Bene dixti; at mi istuc non in mentem venerat.
G. Ridiculum: non enim cogitaras; ceterum
Idem hoc tu melius quanto invenisses, Thraso!

## ACTUS III. SCENA II.

### THAIS, THRASO, PARMENO, GNATHO, PYTHIAS.

Tha. (Audire vocem visa modo sum militis; i. s.
Atque eccum!) Salve, mi Thraso. Thr. O Thaïs mea,
Meum suavium, quid agitur? ecquid nos amas
De fidicina istac? (Pa. Quam venuste! quod dedit
Principium adveniens!) Tha. Plurimum merito tuo.
Thr. Eamus ergo ad coenam. Quid stas? (Pa. Hem alterum!
Ex homine hunc natum dicas?) Tha. Ubi vis, non moror.
Pa. (Adibo atque adsimulabo, quasi nunc exeam.
Ituran', Thaïs, quopiam es? Tha. Hem, Parmeno,
Bene fecisti. Hodie itura..... Pa. Quo? Tha. Quid? hunc non vides?
Pa. Video et me taedet. Ubi vis, dona adsunt tibi
A Phaedria.) Thr. Quid stamus? cur non imus hinc?
Pa. Quaeso hercle ut liceat, pace quod fiat tua,
Dare huic, quae volumus, convenire et conloqui.
Thr. Perpulchra credo dona, haud nostris similia.
Pa. Res indicabit. Heus, jubete istos foras
Exire, quos jussi, ocius! — Procede tu huc!
Ex Aethiopia est usque haec. Thr. Hic sunt tres minae.
G. Vix. Pa. Ubi tu es, Dore? Accede huc. Hem Eunuchum tibi
Quam liberali facie, quam aetate integra!

58. Jamdudum, nunc, ut amare solent meretrices. 59. metuet Bentleji codd., ex nostris autem primi 2 Berol. et Helmstad., tum vett. quaedam edd., in his Badii. Berol. C et Frib.: metuat. V.: metuit, quod miror Bentlejo placuisse. Ita Donat. Frib. Bad. V.: ac. 63. H. e. tu idem, cui nunc non venerat in mentem. hoc melius, hoc dicto aliud melius. Ἀμέτρως legitur tute.

A. III. SC. II, 6. Verba Eamus e. ad c. militi tribuuntur in B Berolinensi Helmstad. Frib. Recte: nam militi ad haec respondet Thaïs sequente versu; Gnathoni, sub cujus persona legi solent, dignata non esset respondere. Jam Donati tempore disceptatum de hoc loco. Alterum, alterum stulte dictum. Ingeniosa, sed non necessaria, Bentleji scriptura: Ab domini h. n. d. 9. Ita Donat. Helmstad. vett. edd. Deteriore numero legitur Ehem. Producitur fere es apud veteres. 13. Frib.: Qu. hodie ut lic.

Tha. Ita me di ament, honestus est. Pa. Quid ais, Gnatho?
Numquid habes, quod contemnas? quid tu autem, Thraso?
Tacent: satis laudant. Fac periclum in litteris,
Fac in palaestra, in musicis, quae liberum
Scire aequom est adolescentem: sollertem dabo.
Thr. Ego illum eunuchum, si opus est, vel sobrius...
Pa. Atque, haec qui misit, non sibi soli postulat
Te vivere, et sua causa excludi ceteros,
Neque pugnas narrat, neque cicatrices suas
Ostentat, neque tibi obstat, quod quidam facit;
Verum, ubi molestum non erit, ubi tu voles,
Ubi tempus tibi erit, sat habet, si tum recipitur.
Thr. Adparet, hunc servom esse domini pauperis
Miserique. G. Nam hercle nemo posset, sat scio,
Qui haberet, qui pararet alium, hunc perpeti.
Pa. Tace tu, quem ego esse infra infimos omnis puto
Homines: nam qui huic adsentari animum induxeris,
E flamma petere te cibum posse arbitror.
Thr. Jamne imus? Tha. Hos prius introducam et, quae volo,
Simul imperabo; post huc continuo exeo.
Thr. Ego abeo hinc; tu istanc opperire. Pa. Haud convenit,
Una ire cum amica imperatorem in via.
Thr. Quid tibi ego multa dicam? Domini similis es.
G. Ha, ha, he! Thr. Quid rides? G. Istuc, quod dixti modo,
Et illud dictum in mentem de Rhodio venit.
Sed Thaïs exit. Thr. Abi; praecurre, ut sint domi
Parata. G. Fiat. Tha. Diligenter, Pythias,
Fac cures, si Chremes huc forte advenerit,
Ut ores, primum ut maneat; si id non commodum est,
Ut redeat; si id non poterit, ad me adducito.
Py. Ita faciam. Tha. Quid, quid aliud volui dicere?
Hem, curate istam diligenter virginem!
Adsitis facite! Thr. Eamus. Tha. Vos me sequimini.

21. V.: Quid tu ais, et duriore quidem numero, et minus graviter post illato illo Quid tu autem, Thraso? Guyet. quoque: Quid ais, Gn.? 26. Ita Guelf. Ceteri libri: si opus sit, vel siet, quae videtur esse correctio de metro perperam sollicitorum: nam si sub ictu positum non eliditur. 33. Sic Frib. V.: servom hunc. 40. V.: postea cont. ex. Guelf.: postea huc c. ex. Donat. plane, ut nos. 53. Scabris numeris legitur: Domi adsitis. Glossema est Domi. Apposite Plautus Rud. 4, 4, 6: Quoniam ego adsum, faciet nemo iniuriam. Potest etiam accipi Adsitis pro eo quod est Praesentes sitis.

## ACTUS III. SCENA III.

### CHREMES, PYTHIAS.

P. Profecto quanto magis magisque cogito,
Nimirum dabit haec Thaïs mihi magnum malum:
Ita me astute ab ea video labefactarier.
Jam tum, cum primum jussit me ad se arcessier,
Roget quis: quid tibi cum illa? Ne noram quidem.
Ubi veni: causam, ut ibi manerem, reperit;
Ait rem divinam fecisse, et rem seriam
Velle agere mecum. Jam erat tum suspicio,
Dolo malo haec fieri omnia. Ipsa adcumbere
Mecum, mihi sese dare, sermonem quaerere.
Ubi friget: huc evasit, quam pridem pater
Mi et mater mortui essent. Dico, jam diu.
Rus Sunio ecquod habeam, et quam longe a mari.
Credo ei placere hoc: sperat se a me avellere.
Postremo, ecqua inde parva periisset soror;
Ecquis cum ea una; ecquid habuisset, cum perit;
Ecquis eam posset noscere. Haec cur quaeritet,
Nisi si, illim forte quae olim periit parvola,
Eam sese intendit esse, ut est audacia?
Verum ea si vivit: annos nata est sedecim,
Non major; Thaïs ego quam sum majuscula est.
Misit porro orare, ut venirem, serio.
Aut dicat, quod volt, aut molesta ne siet.
Non hercle veniam tertio. C. Heus, heus! Ecquis hic?
Ego sum Chremes. P. O capitulum lepidissimum!
C. Dico ego mi insidias fieri? P. Thaïs maxumo
Te orabat opere, ut cras redires. C. Rus eo.
P. Fac, amabo. C. Non possum, inquam. P. At tu apud
nos hic mane,

A. III. SC. III, 3. Sic B, C Beroll. et Helmstad. Frib. quoque: I. me ast. vid. ab ea l. V.: I. me vid. ab ea ast. lab., minus quidem probo accentu verbi video. Bentl. autem male collocat τὸ astute, cum sic scribit: Ita me ab ea ast. vid. lab. 13. Sunio Bentl., quia dicitur regio, non oppidum. V.: Sunii. Rasa extrema vox in Helmstadiensi. Habeam plerique libri. V.: haberem. 16. Ita Bentl. Berol. B: et quid, quod idem valet. V.: quid hab. 18. Sic fere vett. et Bentl., nisi quod is quoque: illa. Legendum illim, e Sunio. Sic errari solet in eo vocabulo. Vid. Heusing. ad Cic. de Off. 1, 42. extrem. Pessime vulgati libri: Nisi sit illa. 19. Sic idem secundum Eugraphium. V.: parvola Soror, hanc se int. esse. 24. Ita Donat. Bentl. Cf. Plaut. Amph. 4, 1, 12. etc. Male verba Ecquis hic? Pythiadi tribnuntur.

Dum redeat ipsa. C. Nil minus. P. Cur, mi Chremes?
C. Malam rem hinc ibis? P. Si istuc ita certum est tibi:
Amabo, ut illuc transeas, ubi est. C. Eo.
P. Abi, Dorias, cito hunc deduce ad militem.

## ACTUS III. SCENA IV.

### ANTIPHO.

Heri aliquot adolescentuli coïmus in Piraeo, i. t. c.
In hunc diem ut de symbolis essemus. Chaeream ei rei
Praefecimus; dati annuli; locus, tempus constitutum est.
Praeteriit tempus; quo in loco dictum est, parati nihil est;
Homo ipse nusquam est; neque scio, quid dicam aut quid conjectem.
Nunc mi hoc negoti ceteri dedere, ut illum quaeram.
Idque adeo visam, si domi est. Quisnam hinc a Thaïde exit?
Is est, an non est? Ipsus est. Quid hoc hominis? quid hoc ornati est?
Quid illud mali est? Nequeo satis mirari neque conjicere;
Nisi, quidquid est, procul hinc lubet prius, quid sit, sciscitari.

## ACTUS III. SCENA V.

### CHAEREA, ANTIPHO.

C. Numquis hic est? Nemo. Numquis hinc me sequitur? Nemo homo est. t. t. c.
Jamne erumpere hoc licet mihi gaudium? Proh Jupiter,
Nunc est profecto, interfici cum perpeti me possum, i. t. c.
Ne hoc gaudium contaminet vita aegritudine aliqua!
Sed neminemne curiosum intervenire nunc mihi, i. t.
Qui me sequatur, quoquo eam, rogitando obtundat, enecet,
Quid gestiam, aut quid laetus sim, quo pergam, unde emergam, ubi siem,

31. Legitur asperato versu extremo, quod inusitatum: ubi illa est. Glossema. Sensit Guyet.

A. III. SC. IV, 1. coïmus, coiimus, quod ipsum Bentl. posuit secundum aliquot MSS., h. e. consensimus, pepigimus, ut explicat Donatus. Sequor Guyetum. 7. A glossatoribus esse puto, quod legitur in quibusdam MSS. et apud Bentlejum: Sed quidnam. 8. Sic nonnulli Bentlejani. V. qui hic ornatus est? Guyet.: qui hic ornatust. Guelf.: quis hic ornatus? Ceteri nostri: quid hic ornatus est?

A. III. SC. V, 1. Sic B Berol. V.: N. h. e.? Nemo est.

Vestitum hunc nactus, quid mihi quaeram, sanus sim, anne insaniam?
A. Adibo atque ab eo gratiam hanc, quam video velle, inibo. i. t. c.
Chaerea, quid est, quod sic gestis? quid sibi hic vestitus quaerit? t. t.
Quid est, quod laetus es? quid tibi vis? satisne sanus? quid me adspectas? i. t. h.
Quid taces? C. O festus hominis dies! amice, salve! as. t. d. i. d. c.
Nemo est omnium, quem ego mage nunc cuperem videre quam te.
A. Narra istuc quaeso, quid sit. C. Imo ego te obsecro hercle, ut audias. i. t.
Nostin' hanc, quam amat frater? A. Novi: nempe, opinor, Thaïdem.
C. Istam ipsam. A. Sic commemineram. C. Quaedam hodie ei est dono data
Virgo. Quid ego ejus tibi nunc faciem praedicem aut laudem, Antipho,
Cum ipsum me noris, quam elegans formarum spectator siem?
In hac commotus sum. A. Ain' tu? C. Primam dices, scio, si videris.
Quid multa verba? Amare coepi. Forte fortuna domi
Quidam erat eunuchus, quem mercatus fuerat frater Thaïdi;
Neque is deductus etiam tum ad eam. Ibi me submonuit Parmeno
Servus, quod ego arripui. A. Quid id est? C. Tacitus sis: citius audies. as. t. d. i. d.
Vestem ut cum illo mutem et pro illo jubeam me illuc deducier.
A. Pro eunuchon'? C. Sic est. A. Quid ex ea re tandem ut caperes commodi? i. t.
C. Rogitas? Viderem, audirem, essem una, quicum cupiebam, Antipho.

11. es dedit Bentl. Soloece libri: sis. Cf. 10. etc. et de metro Heaut. 3, 3, 1. 12. Sic A Berol. V.: dies hominis. Festus dies hominis, ut scelus viri etc. 13. omnium plurimi scripti, in his A et B Beroll. V.: hominum. 14. Ita plerique libri. V.: siet. 22. tum aliquot codd., in his A Berol. Helmstad. Frib. V.: dum. 23. Sic plures MSS. apud Guyetum, vetus Lindenbrogii, A et C Beroll. Guelf. et vett. edd., in quibus Frib. et Bad.; eodemque etiam aliorum librorum, a Guyeto commemoratorum, pertinere videtur lectio haec tace sis. V. sis non legitur, quod convenit metro. 26. Sic Frib. numero vividiore. V.: Rogas? Quicum Bentl. V.: quacum.

Num parva causa aut prava ratio est? Traditus sum mulieri.
Illa illico, ubi me accepit, laeta vero ad se abducit domum;
Commendat virginem. A. Cui? tibine? C. Mihi. A. Satis tuto tamen.
C. Edicit, ne vir quisquam ad eam adeat, et mihi, ne abscedam, imperat;
In interiori parte ut maneam solus cum sola. Adnuo,
Terram intuens modeste. A. Miser! C. Ego, inquit, ad coenam hinc eo.
Abducit secum ancillas; paucae, quae circum illam essent, manent
Novitiae puellae. Continuo haec adornant, ut lavet.
Adhortor properent. Dum adparatur: virgo in conclavi sedet,
Suspectans quandam tabulam pictam, ubi inerat pictura haec, Jovem
Quo pacto quondam Danaae in gremium imbrem ajunt misisse aureum.
Egomet quoque id spectare coepi, et quia consimilem luserat
Jam olim ille ludum, inpendio magis animus gaudebat mihi.
Deum se in hominem convertisse atque in alienas tegulas
Venisse clanculum per pluviam fucum factum mulieri?
At quem deum? qui templa coeli summa sonitu concutit:
Ego homuncio non facerem? Ego illud vero item faciam, ac lubens.
Dum haec reputo mecum: arcessitur lavatum interea virgo; i. t. c.
Iit, lavit, rediit; deinde eam illae in lecto conlocarunt.
Sto expectans, si quid mi imperent. Venit una: Heus tu, inquit, Dore,
Cape hoc flabellum et ventulum huic sic facito, dum lavamus.
Ubi nos laverimus: si voles, lavato. Accipio tristis.

27. Sic Palmer. Lamp. Gruter. 4, 733, Bentl. Lusit, inquit Palmer., ut Cic.: Consul noster parvus et pravus. 31. Ita Frib. V.: interiore. 36. Sic Frib. V.: tab. quandam, deteriore loco versus collocata voce tabulam. 40. Helmstad. Frib. Guyet.: atque per. Ingeniose Guyetus: atque per ahenas teg. Horat. Od. 3, 16: Inclusam Danaën turris ahenea etc. 41. Sic Bentl. Codd. frigide: per impluvium. Factum est supinum. 43. V.: E. h. hoc non f.? Vetus liber Puteani apud Guyetum: E. hoc hom. Frib.: hec. Glossema est pronomen. Deinde legitur: ego i. vero ita feci, ac l. T. Faber: ita faciam; sed ita alienum. Bentl.: E. h. hoc non fecerim? ego vero illud fecerim, ac l. 44. Ita Berol. B et Frib. V.: D. h. mec. rep. 45. lecto Helmstad. Frib. Donat. V.: lectum. Vid. Guyet., qui lectum ex lectu ortum putat.

A. Tum equidem istuc os tuum inpudens videre nimium vellem,
Qui esset status, flabellulum tenere te asinum tantum.
C. Vix elocuta est hoc: foras simul omnes proruunt se,
Abeunt lavatum, perstrepunt ita, ut fit, domini ubi absunt.
Interea virginem opprimit somnus. Ego adspecto limis
Sic per flabellum clanculum; simul alia circumspecto,
Satin' explorata sint. Video esse: pessulum ostio obdo.
A. Quid tum? C. Quid? *quid tum*, fatue? A. Fateor. C. An ego occasionem
Mi ostentam tantam, tam brevem, tam optatam, tam insperatam,
Amitterem? Tum pol ego is essem vere, qui adsimulabar.
A. Sane hercle, ut dicis. Sed interim de symbolis quid actum est?
C. Paratum est. A. Frugi es. Ubi? domin'? C. Imo apud libertum Discum.
A. Perlonge est; sed tanto ocius properemus. Muta vestem.
C. Ubi mutem? Perii! Nam exulo domo nunc: metuo fratrem,
Ne intus sit; porro autem patrem, ne rure redierit jam.
A. Eamus ad me: ibi proxumum est, ubi mutes. C. Recte dicis:
Eamus. Et de istac simul, quo pacto porro possim
Potiri, consilium volo capere una tecum. A. Fiat.

---

# ACTUS IV.

## SCENA I.

### DORIAS.

Ita me di ament, quantum ego illum vidi, nonnil timeo misera, t. t.
Ne quam ille hodie insanus turbam faciat, aut vim Thaïdi. t.t.c.
Nam postquam iste advenit Chremes adolescens, frater virginis: i. t.

50. Sic vett. membranae apud Guyetum et Antesign. ed. anni 1560. Ceteri libri ἀμέτρως: flabellum. Vidit Bentl. 51. haec A et B Beroll. et vett. edd. 53. V.: Int. somnus virg. oppr. Frib.: virg. somnus. V. quoque: ego limis specto. A Berol. Guelf. Helmstad. Frib.: adspecto. Melius jam quam antea collocatum limis. 58. Sic Bentlejani, A Berol., Ascens. V.: simulabar. 63. Sic B Berol., quod conjectura assecutus erat Bentl. V.: pater.

Militem rogat, ut eum admitti jubeat. Continuo ille irasci, t. t.
Neque negare audere. Thaïs porro instare, ut hominem invitet.
(Id faciebat retinendi illius causa: quia alias, quae cupiebat as. t. d. i. d. h.
De sorore ejus indicare, ad eam rem tempus non erat.) as. t. d. i. d.
Invitat tristis: mansit. Ibi illa cum illo sermonem occipit; i. t.
Miles vero, sibi putans adductum ante oculos aemulum, t. t. c.
Voluit facere contra huic aegre: Heus, inquit, puere, Pamphilam
Arcesse, ut delectet nos. Illa exclamat: Minime gentium! as. t. d. i. d.
In convivium illam? Miles tendere inde ad jurgium. t. t. c.
Interea aurum sibi clam mulier demit, dat mihi ut auferam.
Hoc est signi, ubi primum poterit, se illinc subducet; scio.

## ACTUS IV. SCENA II.

### PHAEDRIA.

Dum rus eo: coepi egomet mecum inter vias, i. s.
Ita ut fit, ubi quid in animo est molestiae,
Aliam rem ex alia cogitare, et ea omnia
Pejorem in partem; quid opust verbis? dum haec puto:
Praeterii inprudens villam. Longe jam abieram,
Cum sensi. Redeo rursum, male me vero habens.
Ubi ad ipsum venio deverticulum: constiti;
Occepi mecum cogitare: Hem biduum hic
Manendum est soli sine ea! — Quid tum postea?
Nil est. — Quid? nil? Si non tangendi copia est:
Eho, ne videndi quidem erit? Si illud non licet:

A. IV. SC. I, 6. Ineptissime legitur: quia illa, quae cup. etc. Nam si tempus non erat ad illa indicanda, cur retinebat Chremetem Thaïs? Imo tempus ad eam rem aliud non erat: vide 3, 2, 48—50, 3, 3, 26. seqq. Non semel commutata inter se haec vocabula in libris: cf. Andr. 1, 1, 58, Plaut. Mil. 1335. etc.; de metro autem Ad. 4, 5, 8. 9. Ita Guyet. Bentl. V.: putare. 10. Ἀμέτρως libri puer. Bentl.: puer, i. 11. V.: ut del. hic nos, qua lectione metrum corrumpitur: nam quod extremam syllabam verbi gentium sequenti versui Bentl. annumerat, parum placet.

A. IV. SC. II, 6. male me vero unus ex Regiis Bentleji et Frib. V.: m. vero me h. 7. Sic idem cod. Reg. Helmst. Frib. Bentl. V.: veni. 9. Libri duriore numero: sine illa.

Saltem hoc licebit. Certe extrema linea
Amare haud nihil est. Villam praetereo sciens.
Sed quid hoc, quod timida subito egreditur Pythias?

## ACTUS IV. SCENA III.

### PYTHIAS, PHAEDRIA, DORIAS.

Py. Ubi ego illunc scelerosum misera atque inpium inveniam, aut ubi quaeram? t. t.
Hoccine tam audax facinus facere esse ausum? Perii! Ph. Hoc quid sit, vereor.
Py. Quin etiam insuper scelus, postquam ludificatust virginem, t. t. c.
Vestem omnem miserae discidit; tum ipsam capillo conscidit. i. t.
Ph. Hem! Py. Qui nunc si detur mihi: i. d.
Ut ego unguibus facile illi in oculos involem venefico! i. t.
Ph. Nescio quid profecto absente nobis turbatum est domi, t. t. c.
Adibo. Quid istuc? quid festinas, aut quem quaeris, Pythias? i. t.
Py. Hem, Phaedria, egon' quem quaeram? Abi hinc, quo dignus, cum donis tuis
Tam lepidis! Ph. Quid istuc est rei? i. d.
Py. Rogasne? Eunuchum quem dedisti nobis, quas turbas dedit! i. t.
Virginem, quam dono dederat miles, vitiavit. Ph. Quid ajis? t. t.
Py. Perii! Ph. Temulenta es. Py. Utinam sic sint, qui mihi male volunt! t. t. c.

13. Hunc inter et sequentem versum hoc glossema legitur in ed. Friburg.: In reditu: non imprudens: ut supra feceram.

A. IV. SC. III, 4. Guyet.: ipsom capillom, h. e. ipsum capillum. Vulgatam lectionem Donatus accipit pro eo, quod est capillum illi conscidit; sed Terentium multo melius dixisse. 9. Hem Frib. et edd. vett. V.: Ehem. Legitur quoque I hinc, quod minus ἔμμετρον. Bentl. ex Bembino et Vaticano: in' hinc. Aliorum lectione Abi oratio variatur. 11. Ita cod. Petrensis, a Bentlejo adhibitus. Ipse Bentl.: Rogan'? 12. V.: quam herae dono ded. Frib.: quam ded. dono herae. Recte vagans vocabulum sustulit Guyetus, neque in Helmstadiensi legitur. Ceterum libri: ais? Sed nusquam ais μονοσύλλαβον in fine versuum. Quare scripsi ajis ἐμφατικῶς. Vidd. Quinctil. 1, 4; Priscian. pag. 545. Putsch.

D. Au, obsecro, mea Pythias, quid istuc nam monstri fuit? i. t.
Ph. Insanis: qui istuc facere eunuchus potuit? Py. Ego illum nescio,
Qui fuerit; hoc, quod fecit, res ipsa indicat. i. s.
Virgo ipsa lacrumat, neque, cum rogites, quid sit, audet dicere; i. t.
Ille autem bonus vir nusquam adparet. Etiam hoc misera suspicor,
Aliquid domo abeuntem abstulisse. Ph. Nequeo mirari satis,
Quo ille abire ignavos possit longius, nisi si domum t. t. c.
Forte ad nos rediit. Py. Vise, amabo, num sit. Ph. Jam faxo scies. i. t.
D. Perii, obsecro, tam infandum facinus, mea tu, ne audivi quidem!
Py. At pol ego amatores audieram mulierum esse eos maxumos,
Sed nil potesse; verum miserae non in mentem venerat:
Nam illum aliquo conclusissem, neque illi commisissem virginem.

## ACTUS IV. SCENA IV.

### PHAEDRIA, DORUS, PYTHIAS, DORIAS.

Ph. Exi foras, sceleste! At etiam restitas, i. s.
Fugitive? Prodi, male conciliate! Do. Obsecro!
Ph. Eho, illuc vide, os ut sibi distorsit carnufex!
Quid tibi reditio huc? vestis quid mutatio est?
Quid narras? — Paulum si cessassem, Pythia:
Domi non offendissem: ita jam adornarat fugam.
Py. Haben' hominem, amabo? Ph. Quidni habeam? Py. O factum bene!

14. Frib.: An, obs. Fort. legendum est Ah, obs. Bentl. ex Bembino et 3 aliis libris quod monstrum. 17. Modo legebamus ipsa, neque vim hic habet. Scribendum fortasse: Virgo, eccam, lacr. Plautus Poen. 75: Sed Adelphasium exit, eccam. Cf. Amph. prol. 120, Stich. 510. etc. Vel delendum verbum inutile, tanquam in antecedentibus sublectum. 25. neque. Fort. legendum ne, pro nedum. Frib.: nec illi. Ascens.: neque ei.

A. IV. SC. IV, 3. Sic A et B Beroll. Ascens. C Berol.: ehohe. Bentleji unus: illuc. V.: Oh, illud. 4. tibi Bemb. et Donat. Faërni. mutatio est Bemb. V.: Q. huc reditio'st? quid v. mut.? Bentl.: Quid huc tibi red. est? v. qu. mut. est? 6. Ita Basilican., plerique Bentlejani, B et C Beroll. Alii: adornabat, ornabat. V.: ornarat.

Dor. Istuc pol vero bene! Py. Ubi est? Ph. Rogitas?
non vides?
Py. Videam, obsecro, quem? Ph. Hunc scilicet. Py. Quis
hic est homo?
Ph. Qui ad vos deductus hodie est. Py. Hunc oculis suis
Nostrarum nunquam vidit quisquam, Phaedria.
Ph. Non vidit? Py. An tu hunc credidisti esse, obsecro,
Ad nos deductum? Ph. Namque alium habui neminem.
Py. Au,
Ne comparandus hic quidem ad illum est! Ille erat
Honesta facie et liberali. Ph. Ita visus est
Dudum, quia varia veste exornatus fuit;
Nunc eo videtur foedus, quia illam non habet.
Py. Tace, obsecro! quasi vero paulum intersiet.
Ad nos deductus hodie est adolescentulus,
Quem tu videre velles vero, Phaedria.
Hic est vetus, vietus, veternosus, senex,
Colore mustelino. Ph. Hem, quae haec est fabula?
Eo rediges me, ut quid emerim, egomet nesciam.
Eho tu, emin' ego te? Do. Emisti. Py. Jube mihi denuo
Respondeat. Ph. Roga. Py. Venisti hodie ad nos? Negat.
At ille alter venit annos natus sedecim,
Quem secum adduxit Parmeno. Ph. Agedum, hoc mi
expedi
Primum: istam, quam habes, unde habes vestem? Taces?
Monstrum hominis, non dicturus? Do. Venit Chaerea.
Ph. Fraterne? Do. Ita. Ph. Quando? Do. Hodie. Ph. Quam
dudum? Do. Modo.
Ph. Quicum? Do. Cum Parmenone. Ph. Norasne eum prius?
Do. Non. Ph. Unde fratrem mi esse scibas? Do. Parmeno

13. Ita Bentl. ex Bemb. et ipsius veterrimo. Sic et A Berol, V.: Nam quem? Pro Au Frib. habet Hinc, quod fuisse videatur Hui. Guyetus malebat Ah. Sane Au proprie dolentis flentisque est. Cf. tamen 4, 3, 14. 17. Sic duo vett. Bentleji et B Berol. Ceteri codd. fere: N. eo tibi vid. V.: N. tibi vid. Sequor Bentlejum. 20. Sic A Berol., potiore sede collocans velles; vocabulum gravius. V.: vero velles. Gaudet hic noster transpositione verborum. 21. Sic Donat., MS. Mediolan. apud Guyetum, aliique scripti plurimi, item Asulani ed. V.: vietus, vetus. 22. Bentl., vehementer probante olim F. V. Reizio: Colstellionino. 30. Fraterne non est elidendum, cum quia gravissima est vox, quam exaudiri integram convenit, tum propter interpunctionem. Vid. not. ad Andr. 2, 2, 8. Non igitur opus vel cum Guyeto legi Ita est, vel cum Bentlejo Meus fraterne? 32. V.:

*Non, nec, quis esset, unquam audieram dicier.*
Ph. *Unde igitur fratrem meum esse* etc.

Dicebat eum esse; is mi hanc dedit. Ph. Occidi! Do. Meam
Ipse induit; post una ambo abierunt foras.
Py. Jam satis credis sobriam esse me et nil mentitam tibi? t. t. c.
Jam satis certum est, vitiatam esse virginem? Ph. Age nunc, bellua...
— Credis huic, quod dicat? Py. Quid isti credam? Res ipsa indicat.
Ph. Concede istuc paululum! Audin'? — Etiam nunc paululum! Sat est. as. t. d. i. d.
Dicdum hoc rursum: Chaerea tuam vestem detraxit tibi? t. t. c.
Do. Factum. Ph. Et eam est indutus? Do. Factum. Ph. Et pro te huc deductust? Do. Ita.
Ph. Jupiter magne, o scelestum atque audacem hominem! Py. Vae mihi!
Etiamne nunc credes, indignis nos esse inrisas modis? i. t.
Ph. Mirum ni tu credis, quod iste dicat. — Quid agam, nescio. — t. t. c.
Heus tu, negato rursum! Possumne ego hodie ex te exsculpere i. t.
Verum? Vidistine fratrem Chaeream? Do. Non. Py. Non potest t. t. c.
Sine malo fateri, video. — Sequere hac! — Modo ait, modo negat. —
Ora me. Do. Obsecro te vero, Phaedria. Ph. Intro i nunc iam!
Do. Oi ei! Ph. Alio pacto honeste hinc quo modo abeam, nescio. —
Actum est, si quidem tu me hic etiam, nebulo, ludificabere!

Spurius versus in melioribus libris non conspicitur, neque vestigium ejus est apud Donatum. Codex Collegii Christi non habet igitur. 33. Sic Bemb. Alii: hanc vestem. 38. Sic libri. Bentl.: Et nunc paulum? ut versus esset t. t. c. Sed quorsum hoc? 40. Sic Regius et 2 Mediolanenses Guyeti, Bentleji et nostri, item Frib. Ascens. V.: Et ea est ind., perinde ac si (Bentlejum audis) alius eum veste induerit, tanquam mancum aut mortuum. 42. Etiamne B et C Beroll.; credes Bentl. V.: Etiam nunc non credis etc. 45. Sic Bemb. aliique libri, quos sequitur Bentl. V.: Vidistin', quod ἄμετρον. 48. A Berol.: ei ei, C: oy ei ay, Helmstad.: ohi, hei, Frib.: hoy hoy, Ascens.: hoi hei. V.: oi ei, σχετλιασμῷ rustico, utpote et servi et novitii, ut ait Donatus. Cf. Plaut. Mil. 1395. Bentl. ex cod. Acad.: eoi, eï. Finiunt autem his versum praegressum; quo facto Bentl. eo redactus est, ut sequente ponat abscedam pro abeam contra omnes libros.

Pr. Parmenonis tam scio esse hanc technam, quam me vivere.
Dor. Sic est. Pr. Inveniam pol hodie, parem ubi referam gratiam.
Sed quid nunc faciundum censes, Dorias? Do. De istac rogas
Virgine? Pr. Ita, utrum taceamne, anne praedicem? Dor. Pol, si sapis,
Quod scis, nescis, neque de eunucho, neque de vitio virginis.
Hac re et te omni turba evolves, et illi gratum feceris. as. t. d. i. d.
Id modo dic, abisse Dorum. Pr. Ita faciam. Dor. Sed videon' Chremetem? t. t.
Thaïs jam aderit. Pr. Quid ita? Dor. Quia, cum inde abeo, jam tum inceperat t. t. c.
Turba inter eos. Pr. Tu aufer aurum hoc; ego scibo ex hoc, quid siet.

## ACTUS IV. SCENA V.

### CHREMES, PYTHIAS.

C. Attat! data hercle verba mihi sunt: vicit vinum, quod bibi. i. t.
At, dum adcubabam, quam videbar mi esse pulchre sobrius!
Postquam surrexi: neque pes neque mens satis suum officium facit. t. t. c.
P. Chreme! C. Quis est? Hem, Pythias! Vah, quanto nunc formosior i. t.
Videre mihi quam dudum! P. Certe tu quidem pol multo hilarior.
C. Verbum hercule hoc verum est: sine Cerere et Libero friget Venus.
Sed Thaïs multo me antevenit? P. An abiit jam a milite?

52. Sic A Berol. Helmstad. Frib. V.: faciendum. 53. Ita Guyet. Ἀμέτρως legitur: an pr.? Dor. Tu pol, s. s. 56. Sic Helmstad. et Frib., usurpato metro magis pathetico. V.: Chremem.

A. IV. SC. V, 2. At A et C Beroll. V.: Ac. 4. Ita Helmstad. et edd. vett., in his Frib. V.: Chremes. Hem A Berol. et Frib. V.: Ehem. 6. Codd. fere: hercle, versu quidem pessumdato. Bentl. ex Faërnianis pro est dedit erit, quod videtur esse commentum metricorum. 7. Ita Bentl. Frib.: ante me v. V. pronomen desideratur. Sequitur Bentlejum Brunck. 8. V. hic versus sub Chremetis persona legitur totus, neque habetur eho in libris publicatis, sed in solo B Berol. Quod quidem haud contemnendum ego ducens locum ita distinxi.

C. Jamdudum, aetatem. P. Eho, lites factae sunt inter eos? C. Maxumae.
P. Nil dixit tum, ut sequerere sese? C. Nil, nisi abiens mi innuit.
P. Eho, nonne id sat erat? C. At nescibam, id dicere illam, nisi quia
Correxit miles, quod intellexi minus: nam me extrusit foras.
Sed eccam nobis ipsam! Miror, ubi huic ego antevorterim.

## ACTUS IV. SCENA VI.

THAIS, CHREMES, PYTHIAS.

T. Credo equidem illum jam adfuturum, ut illam a me eripiat. Sine veniat! t. t.
Atqui si illam digito attigerit uno: oculi illico effodientur!
Usque adeo illius ferre ego possum ineptiam et magnifica verba,
Verba dum sint; verum enim si ad rem conferentur: vapulabit.
C. Thaïs, ego jamdudum hic adsum. T. O mi Chreme, te ipsum expeto. t. t. c.
Scin' tu, turbam hanc propter te esse factam et adeo ad te attinere hanc t. t.
Omnem rem? C. Ad me? qui, quaeso, istuc? T. Quia, dum tibi sororem studeo
Reddere ac restituere, haec atque hujusmodi sum multa passa.
C. Ubi ea est? T. Domi apud me . . . C. Hem, quid est? t. d. c.
T. Educta ita, uti teque illaque dignum est. C. Quid ais? T. Id quod res est. t. t.
Hanc tibi dono do, neque repeto pro illa quidquam abs te preti. t. t. c.
C. Et habetur et referetur, Thaïs, ita uti merita es, gratia.

10. nisi quia, πλὴν ὅτι. Cf. litteratissimi Boettigeri specimen edit. Terentii pagg. 4, 5. 12. V.: S. eccam ipsam: miror. Frib.: S. e. nobis: miror. Utrumque, et nobis et ipsam, genuinum videtur, cum praesertim hoc modo restituatur versus i. t.

A. IV. SC. VI, 3. Libri: ineptias. Juvatur metrum Bentlejano ineptiam. 5. Sic nostri. V.: Chremes. Expeto est a Bentlejo. Scripti: expecto. V.: expectabam. Ceterum Berol. B et Guelf.: O Thais. 7. Sic Bentleji Reg. chartac. et Acad. a m. 2. Male libri tralaticii: qui? quasi istuc. 8. ac fere codd., vel atque, ut A Berol. V.: et. 12. Ita Bemb. Helmstad. aliique vett. Faërn. Guyet. Bentl. V.: refertur, quod fieri jam non poterat.

T. At enim cave, ne prius, quam hanc a me accipias, amittas, Chreme:
Nam haec ea est, quam miles a me vi nunc ereptum venit.
Abi tu, cistellam, Pythias, domo effer cum monumentis. i. t. c.
C. Viden' illum, Thaïs... P. Ubi sita est? T. In risco. Odiosa, cessas?
C. Militem secum ad te quantas copias adducere? t. t. c.
Attat! T. Num formidolosus, obsecro, es, mi homo? C. Apage sis!
Egon' formidolosus? Nemo est hominum, qui vivat, minus. i. t.
T. Atque ita opust. C. Ah, metuo, qualem tu me esse hominem existumes. t. t. c.
T. Imo hoc cogitato: quicum res tibi est, peregrinus est,
Minus potens quam tu, minus notus, minus amicorum hic habens.
C. Scio istuc; sed tu quod cavere possis, stultum admittere est. i. t.
Malo ego nos prospicere, quam hunc ulcisci accepta injuria. t. t. c.
Tu abi atque ostium obsera intus, dum ego hinc transcurro ad forum:
Volo ego adesse hic advocatos nobis in turba hac. T. Mane.
C. Melius est. T. Mane. C. Omitte: jam adero. T. Nil opus est istis, Chreme;
Hoc modo dic, sororem esse illam tuam, et te parvam virginem
Amisisse, hunc cognosse; signa ostende. P. Adsunt. T. Cape.
Si vim faciet: in jus ducito hominem. Intellextin'? C. Probe.
T. Fac, animo haec praesenti ut dicas. C. Faciam. T. Attolle pallium.
Perii, huic ipsi est opus patrono, quem defensorem paro!

## ACTUS IV. SCENA VII.

THRASO, GNATHO, SANGA, CHREMES, THAIS.

THR. Hanccine ego ut contumeliam tam insignem in me accipiam, Gnatho? i. t.

18. num. Frib.: tum. Ferrem tun'. 19. Helmstad. Frib. Ascens. metuat pro vivat. Pro hominum Frib.: horum, Ascens.: omnium. 29. Sic fere Faërniani. V.: hau. Frib.: haud. 31. Attolle pallium. Adscriptum in A Berol.: succinge, ne impediat te.

Mori me satiust. Simalio, Donax, Syrisce, sequimini!
Primum aedis expugnabo. G. Recte. THR. Virginem eripiam. G. Probe.
THR. Male mulcabo ipsam. G. Pulchre. THR. In medium huc agmen cum vecti, Donax;
Tu, Simalio, in sinistrum cornu; tu, Syrisce, in dexterum!
Cedo alios! Ubi centurio Sanga et manipulus furum? S. Eccum adest!
THR. Quid, ignave? peniculon' pugnare, qui istum huc portes, cogitas?
S. Egone? Imperatoris virtute noveram et vi militum
Sine sanguine hoc fieri non posse: qui abstergerem volnera?
THR. Ubi alii? S. Qui, malum, alii? Solus Sannio servat domi.
THR. Tu hosce instrue; ego ero post principia; inde omnibus signum dabo.
(G. Illuc est sapere: ut hosce instruxit, ipsus sibi cavit loco.)
THR. Idem hoc jam Pyrrhus factitavit. C. Viden' tu, Thaïs, quam hic rem agit?
Nimirum consilium illud rectum est de occludendis aedibus.
THA. Sane, qui tibi nunc vir videtur esse, hic nebulo magnus est:
Ne metuas. THR. Quid videtur? G. Fundam tibi nunc nimis vellem dari,
Ut tu illos procul hinc ex occulto caederes: facerent fugam.
THR. Sed eccam Thaïdem ipsam video. G. Quam mox irruimus? THR. Mane:
Omnia prius experiri quam arma sapientem decet.
Qui scis, an, quae jubeam, sine vi faciat? G. Di, vostram fidem,
Quanti est sapere! Nunquam accedo, quin abs te abeam doctior.
THR. Thaïs, primum hoc mihi responde: cum tibi do istam virginem,
Dixtin' hos dies mihi soli dare te? THA. Quid tum postea?

A. IV. SC. VII, 6. Ita Frib., plene exaudito verbo centurio. V.: cent. est. Vett. plerique apud Guyetum: cornum. 8. V.: virtutem nov. et vim mil., quae est arena sine calce. Virtute, vi, propter virtutem, propter vim. 10. Sic Eugraph. Guyet. Bentl. Cf. Plaut. Amph. 196. etc. V.: domum. 11. Ita Bentl. secundum cod. Petrensem. V.: hic ego. 12. C Berol. et Frib.: Istuc. 15. Ita plerique libri vett. V.: videatur. 19. Ita Bentl. secundum cod. Acad. 900. annorum, in quo legitur: armas sap. B et C Beroll., item Helmstad.: experiri verbis. Scripti 5, Frib., Nonius: exp. consilio. Glossemata. Obsecutus Bentlejo est Brunck. in ed. Basil. a. 1797.

Thr. Rogitas, quae mi ante oculos coram amatorem adduxti tuum ....
Tha. Quid cum illoc agas? Thr. Et cum eo clam te subduxti mihi?
Tha. Lubuit. Thr. Pamphilam ergo huc redde, nisi si mavis eripi.
C. Tibi illam reddat, aut tu tangas, omnium ...? G. Ah, quid agis? Tace. i. t.
Thr. Quid tu tibi vis? ego non tangam meam? C. Tuam autem, furcifer? as. t. d. i. d.
G. Cave sis: nescis, cui maledicas nunc viro. C. Non tu hinc abis? t. t. c.
Scin' tu, ut tibi res se habeat? Si quidquam hodie hic turbae coeperis:
Faciam, ut hujus loci dieque meique semper memineris. as. t. d. i. d.
G. Miseret tui me, qui hunc tantum hominem facias inimicum tibi. i. t.
C. Diminuam ego caput tuum hodie, nisi abis! G. Ain' vero, canis? t. t. c.
Siccine agis? Thr. Quis tu homo es? quid tibi vis? quid cum illa rei tibi est?
C. Scibis. Principio eam esse dico liberam .... Thr. Hem!
C. Civem Atticam ... Thr. Hui! i. t.
C. Meam sororem. Thr. Os durum! C. Miles, nunc adeo edico tibi,
Ne vim facias ullam in illam. Thaïs, ego eo ad Sophronam t. t. c.
Nutricem, ut eam adducam et signa ostendam haec. Thr. Tun' me prohibeas,
Meam ne tangam. C. Prohibeo, inquam. G. Audin' tu? Hic furti se adligat. i. t.
Satis hoc tibi est? Thr. Idem hoc ais tu? Tha. Quaere, qui respondeat.
Thr. Quid nunc agimus? G. Quin redimus? Jam haec tibi aderit supplicans t. t. c.

25. Quid c. i. a.? Quid tali homine facias, tam impudente? Cf. Heaut. 3, 5, 29, etc. Non tribuenda haec Thrasoni. 26. Ita scripti 6 apud Guyetum. Alii: nisi si vi. Sequor Georg. et Franc. Fabricios, Bergium, Guyetum, Bentlejum. V.: nisi vi m. e. 27. Libri: aut tu illam tangas? Alii: a. tu eam t., quos sequitur Bentl. Sed utrumque pronomen a glossatoribus profectum est. 39. Inepte quidam MSS., in his B Berol., et vett. commentatores: H. f. te a. In codice B Berol. scriptum ad marginem: Vult probare tibi, quod tu es furatus eam. 40. Ita Frib. V., insuavi ὁμοιοτελεύτῳ: Idem hoc tu ais, Thaïs?

Ultro. Thr. Credin'? G. Imo certe: novi ingenium mulierum.
Nolunt, ubi velis; ubi nolis, cupiunt ultro. Thr. Bene putas.
G. Jam dimitto exercitum? Thr. Ubi vis. G. Sanga, ita ut fortis decet
Milites, domique focique fac vicissim ut memineris.
S. Jamdudum animus est in patinis. G. Frugi es. Thr. Vos me hac sequimini.

---

# ACTUS V.

## SCENA I.

### THAIS, PYTHIAS.

T. Pergin', scelesta, mecum perplexe loqui? i. s.
*Scio; nescio; abiit; audivi; ego non adfui.*
Non tu istuc mihi dictura aperte es, quidquid est?
Virgo conscissa veste lacrumans obticet;
Eunuchus abiit. Quamobrem? quid factum est? — Taces?
P. Quid tibi ego dicam misera? Illum eunuchum negant
Fuisse. T. Quis fuit igitur? P. Iste Chaerea.
T. Qui Chaerea? P. Iste ephebus frater Phaedriae.
T. Quid ais, venefica? P. Atqui certo comperi.
T. Quid is, obsecro, ad nos? quamobrem adductus. P. Nescio,
Nisi amasse credo Pamphilam. T. Hem, misera occidi,
Infelix, si quidem tu istaec vera praedicas!
Num id lacrumat virgo? P. Id, opinor. T. Quid ais, sacrilega?
Istucne interminata sum hinc abiens tibi?
P. Quid facerem? Ita ut jussisti, soli credita est.
T. Scelesta ovem lupo commisi. Dispudet,
Sic mihi data esse verba. Quid illuc hominis est?
P. Hera mea, tace, tace, obsecro! Salvae sumus:

---

45. Ita Helmstad. Frib. V.: domi.

A. V. SC. I, 5. Guelf.: factum? 10. Ita Frib. V.: adductus est. Plurimi codd.: aut quam., unde Bentl.: — ad me, aut quam. 14. V.: Istucine. Frib.: Istuccine. 15. Jussisti MS. Reg. Lindenbrog. nostri et Frib. V.: ut tu justi. Berol. C et Frib.: ut jussisti. Non placet justi propter ambiguum. 16. Ita Bentl. Libri: commisisti. V.: lupo ovem commisisti.

Habemus hominem ipsum. T. Ubi is est? P. Hem, ad sinisteram!
Videsne? T. Video. P. Prendi jube, quantum potest!
T. Quid illo faciemus, stulta? P. Quid facias, rogas?
Vide amabo, si non, cum adspicias, os inpudens
Videtur. T. Tace! Non. P. Tum quae confidentia est!

## ACTUS V. SCENA II.

### CHAEREA, THAIS, PYTHIAS.

C. Apud Antiphonem uterque, mater et pater,
Quasi dedita opera, domi erant, ut nullo modo
Introire possem, quin viderent me. Interim,
Dum ante ostium sto, notus mihi quidam obviam
Venit. Ubi vidi: ego me in pedes, quantum queo,
In angiportum quoddam desertum, inde item
In aliud, inde in aliud; ita miserrimus
Fui fugitando, ne quis me cognosceret.
Sed estne haec, quam video, Thaïs? — Si ipsa est: haereo,
Quid faciam. — Quid mea autem? quid faciet mihi?
T. Adeamus. Bone vir Dore, salve. Dic mihi:
Aufugistine? C. Hera, factum. T. Satin' id tibi placet?
C. Non. T. Credin' te inpune habiturum? C. Unam hanc noxiam
Amitte; si aliam admisero unquam: occidito.
T. Num meam saevitiam veritus es? C. Non. T. Quid igitur?

19. Sic idem. Codd. ἀμέτρως: sinistram. 20. Ita B Berol. V.: comprehendi. 23. Tace accessit ex Guelferbytano. V.: Videtur. non est? tum quae ejus conf. e.? Meliores libri post Videtur personam Thaïdis inserunt. V. haec omnia ancilla. Recte Guyetus: τὸ ejus, inquit, quanquam ferri potest, si in unam syllabam contrahatur: tamen insititium glossema esse puto et e versu ejiciendum.

A. V. SC. II, 5. Ita cum Donato, ut ait, Guyet., Bentl. Libri: Egomet. V.: ego med secundum Lolgium, cum hiatus sit nullus. 9. V.: Sed estne haec Thaïs, quam video? Ipsa est. Haereo, etc. Liber quidam Guyeti, ipso recte probante: S. estne haec, quam video, Thaïs. „Τὸ d," inquit Guyetus, „in sed hic eliditur, ut in sexcentis aliis locis apud Terentium." Sed hoc parum. Nomen quoque Thaïdis jam potiore versus sede collocatum est, ut fieri debet. Si addendum vidi propterea, quod haud novit Thaïdem Chaerea: vide 2, 3, 67. seqq. Rapta vox a litteris utrinque vicinis. 14. Sic plerique libri, quos sequitur Bentl. Alii cum Donato Mitte, vix quidem latine. V.: Omitte. 15. Sic Donat. et A Berol. V. es desideratur. Frustra Bentl.: — veritu's? C. Non. T. Non? q. i.?

C. Hanc metui, ne me criminaretur tibi.
T. Quid feceras? C. Paulum quiddam. P. Eho, paulum, inpudens?
An paulum hoc esse tibi videtur, virginem
Vitiare civem? C. Conservam esse credidi.
P. Conservam? Vix contineo me, quin involem in
Capillum. Monstrum etiam ultro derisum advenit!
T. Abi hinc, insana! P. Quid ita vero? Debeam,
Credo, isti quidquam furcifero, id si fecerim;
Praesertim cum se servom fateatur tuum.
T. Missa haec faciamus. Non te dignum, Chaerea,
Fecisti: nam si ego digna hac contumelia
Sum maxime, at tu indignus qui faceres tamen.
Neque edepol, quid nunc consili capiam, scio,
De virgine istac: ita conturbasti mihi
Rationes omnes, ut eam non possim suis
Ita, ut aequom fuerat atque ut studui, tradere:
Ut solidum parerem hoc mihi beneficium, Chaerea.
C. At nunc dehinc spero aeternam inter nos gratiam
Fore, Thaïs. Saepe ex hujusmodi re quapiam et
Malo ex principio magna familiaritas
Conflata est. Quid, si hoc quispiam voluit deus?
T. Equidem pol in eam partem accipioque et volo.
C. Imo ita quaeso. Unum hoc scito, contumeliae
Non me fecisse causa, sed amoris. T. Scio,
Et pol propterea mage nunc ignosco tibi.

17. Ἀμέτρως libri paululum utroque loco. Correxit Bentl. secundum Bembinum et ipsius unum codicem. 20. Libri me contineo. B Berol. a m. 1: continuo, quasi pro contino, quemadmodum tetini, tetinisse, attini leguntur apud veteres: vide Non. Mercer. p. 178, Meurs. Exercc. crit. p. 166. 21. Malim sane: Capillum monstro. Etiam u. d. a. Et versûs rationi magis id convenit, et minuitur numerus ὁμοιοτελεύτων. 22. Debeam Donat. Libri Terentiani: Q. ita vero abeam? Credo etc. quae et obscura sunt, et ἄμετρα. Faërn. Bentl.: Quid ita? vero debeam etc. Sequor Guyetum. 35. Plurimi codd.: Ex malo. Bentl. Malo ex. In vulgatis libris praepositio non geminatur. 40. Ita Guyet., cum vulgo legatur magis; qui in nota ad 2, 1, 21: Mirum, inquit, videtur, τὸ mage, quod in omnibus Latinis poëtis legitur, apud Terentium solum nec semel usurpatum inveniri. Cuius causa afferri potest, ultimam in magis, ut et similibus dictionibus apud Terentium, elisa S finali tam facile corripi, quam si brevis esset. Unde librarii scriptores, qui omnia plana volunt et communia, τὸ mage, quasi non necessarium apud Terentium esset et superfluum videretur, prorsus eliminarunt. Apud Plautum non item. In quibusdam enim locis, quanquam paucis, τὸ mage comparet. Quamobrem hoc versu,

Non adeo sum inhumano ingenio, Chaerea,
Neque tam imperita, ut, quid amor valeat, nesciam.
C. Te quoque jam, Thaïs, ita me di bene ament, amo.
P. Tum pol, hera, ab istoc tibi cavendum intellego.
C. Non ausim. P. Nil tibi quidquam credo. T. Desinas.
C. Nunc ego te in hac re mi oro ut adjutrix sies.
Ego me tuae commendo et committo fide;
Te mihi patronam cupio, Thaïs; te obsecro.
Emoriar, si non hanc uxorem duxero.
T. Tamen si pater quid... C. Ah, volet, certo scio,
Civis modo haec sit. T. Paululum opperirier
Si vis: jam frater ipse hic aderit virginis.
Nutricem arcessitum it, quae illam aluit parvolam.
In cognoscendo tute ipse aderis, Chaerea.
C. Ego vero maneo. T. Visne interea, dum venit,
Domi opperiamur potius quam hic ante ostium?
C. Imo percupio. P. Quam tu rem actura, obsecro, es?
T. Nam quid ita? P. Rogitas? hunc tu in aedis cogitas
Recipere posthac? T. Cur non? P. Credo hoc meae fide,
Dabit aliquam hic pugnam denuo. T. Au, tace, obsecro!
P. Parum perspexisse ejus videre audaciam.
C. Non faciam, Pythias. P. Non pol, credo, Chaerea,
Nisi si commissum non erit. C. Quin, Pythias,
Tu me servato. P. Neque pol servandum tibi
Quidquam dare ausim, neque te servare. Apage te!
T. Optime adest ipse frater. C. Perii hercle! Obsecro,
Abeamus intro, Thaïs: nolo me in via
Cum hac veste videat. T. Quamobrem tandem? an quia pudet?
C. Id ipsum. P. Id ipsum! Virgo vero. T. I prae; sequor.
Tu istic mane, ut Chremem introducas, Pythias.

ut et aliis similibus, ubi τὸ S in magis eliditur, τὸ mage revocandum videtur. 42. Ita Donat. B Berol. Guelf. Frib. V.: ita imperita, quod κακόφωνον. 47. Ita Guyet., quem vide, si otium est. V.: fidei. 48. Sic libri quidam Donati, A et C Beroll. Frib., quod aptius vulgato capio. Misceri autem solent a et u litterae in MSS. 50. Ita Bentl. V.: T. Tamen si pater. C. quid? ah, etc. 53. Sic quidam MSS. apud Guyetum, in his Regius a m. 1. V.: iit. 54. B Berol.: tu; A, C, Helmstad. Frib.: ipse hic aderis, quod sublectum videtur in praegressis. 58. A Berol.: aedem. 60. Berol. B: ay; Frib.: an, pro ah, nisi fallor. Donat.: Au interjectio est perturbatae mulieris, ut apud Graecos ἰού. 65. Non male Guyet.: N. si c. nil erit. Helmstad. et Frib.: Nisi id comm. non erit. Latet aliquid.

## ACTUS V. SCENA III.

### PYTHIAS, CHREMES, SOPHRONA.

P. Quid, quid venire in mentem nunc possit mihi,
Quidnam, qui referam sacrilego illi gratiam,
Hunc qui supposuit nobis? C. Move vero ocius,
Nutrix, te. S. Moveo. C. Video, sed nil promoves.
P. Jamne ostendisti signa nutrici? C. Omnia.
P. Amabo, quid ait? cognoscitne? C. Ac memoriter.
P. Bene edepol narras: nam illi faveo virgini.
Ite intro: jam dudum hera vos expectat domi.
Virum bonum eccum huc Parmenonem incedere
Video. Vide, ut otiosus it, si dis placet!
Spero me habere, qui hunc meo excruciem modo.
Ibo intro, de cognitione ut certum sciam;
Post exibo atque hunc perterrebo sacrilegum.

## ACTUS V. SCENA IV.

### PARMENO.

Reviso, quidnam Chaerea hic rerum gerat.
Quodsi astu rem tractavit: di, vostram fidem,
Quantam et quam veram laudem capiet Parmeno!
Nam ut mittam, quod ei amorem difficillimum et
Carissimum ab meretrice avara, virginem,
Quam amabat, eum confeci sine molestia,
Sine sumtu, sine dispendio: tum hoc alterum,
Id vero est, quod ego mihi puto palmarium,
Me reperisse, quo modo adolescentulus
Meretricum ingenia et mores posset noscere,
Mature ut cum cognorit, perpetuo oderit.
Quae dum foris sunt: nil videtur mundius;
Nec mage compositum quidquam nec magis elegans,
Quam cum amatore coenam quum ligurriunt.

A. V. SC. III, 3. V.: Qui hunc; unde Bentl.: Qui hanc supposivit. Multi codd. Rivii: Move vero ocius te, mea nutrix, quibus fretus Palmerius Lamp. Gruter. 4. p. 868. ponit Move vero ocius, Mea nutrix, ἐλλειπτικῶς, quem usum activorum apud Latinos non paucis scriptorum exemplis illustrare studet. Vide ipsum. 9. huc vulgo non legitur; sed Helmstad. Frib.: inced. huc. 11. Vetus cod. Prisciani, quem codicem Bentl. sequitur: q. h. excr. meo modo. 13. Faërn. Bentl.: exeo, ut 5, 2, 40.

A. V. SC. IV, 6. Sic Engraph. Bentl. V.: eam. 14. Omnino male libri: — elegans: (vel:) Quae cum amatore suo quum coenant, liguriunt. Delent versum Guyet. et Bentl. Male id quoque.

Harum videre inluviem, sordes, inopiam;
Quam inhonestae solae sint domi atque avidae cibi;
Quo pacto ex jure hesterno panem atrum vorent;
Nosse omnia haec saluti est adolescentulis.
Ego pol te pro istis dictis et factis, scelus,
Ulciscar, ut ne inpune in nos inluseris!

## ACTUS V. SCENA V.

### PYTHIAS, PARMENO.

Py. Proh fidem deum, facinus foedum! o infelicem adolescentulum! as. t. d. i. d.
O scelestum Parmenonem, qui istum huc adduxit! Pa. Quid est? t. t. c.
Py. Miseret me: itaque, ut ne viderem, misera huc effugi foras,
Quae futura exempla dicunt in eum indigna. Pa. O Jupiter,
Quid illic turbae est? numnam ego perii? Adibo. Quid istuc Pythias? i. t.
Quid ais? in quem exempla fient? Py. Rogitas, audacissume?
Perdidisti istunc, quem adduxti pro eunucho, adolescentulum.
Dum studes dare verba nobis. Pa. Quid ita, aut quid factum est? cedo.
Py. Dicam. Virginem istam, Thaïdi hodie quae dono data est,
Scis, eam esse hinc civem et fratrem suum esse adprime nobilem? as. t. d. i. d.
Pa. Nescio. Py. Atqui sic inventum est. Eam iste vitiavit miser.
Ille ubi id rescivit factum frater violentissimus . . . t. t. c.
Pa. Quidnam fecit? Py. Conligavit primo eum miseris modis . . .
Pa. Hem, conligavit? Py. Atque equidem orante, ut ne id faceret, Thaïde.
Pa. Quid ais? Py. Nunc minitatur porro, sese id, quod moechis solet;

18. Ita Bentl. Inusitate legitur salus.
A. V. SC. V, 5. Frib.: Quid illec turba est? V.: Quae illaec turba est? Cf. Andr. 4, 5, 6. etc. 10. suum A Berol. V.: ejus. Frustra Bentl.: eji. 11. V.: inventa est. 12. Sic tantum non omnes codd. Vulgati id non habent. 13. Sic A Berol., vitato ὁμοιοτελεύτῳ et in litterarum numero minuto. C Berol.: prius. V.: primum. 14. faceret. Helmstad.: fieret. 15. Sic nostri praeter Guelferbytanum, neque aliter Frib. Ascens. V.: minatur.

Quod ego nunquam vidi fieri, neque velim. Pa. Qua audacia audet t. t.
Tantum facinus? Py. Quid ita tantum? Pa. Annon hoc tibi vel maxumum est? as. t. d. i. d.
Quis unquam homo pro moecho vidit in domo meretricia i. t.
Deprendi quemquam? Py. Nescio. Pa. At ne hoc nesciatis, Pythias,
Dico, edico vobis, nostrum esse illum herilem filium.... Py. Hem, t. t. c.
Obsecro, an is est? Pa. Ne quam in illum Thaïs vim fieri sinat.
Atque adeo autem cur non egomet intro eo? Py. Vide, Parmeno,
Quid agas, ne neque illi prosis, et tu pereas: nam hoc putant,
Quidquid factum est, a te esse ortum. Pa. Quid igitur faciam miser,
Quidve incipiam? Ecce autem rure video redeuntem senem.
Dicam hoc huic, an non dicam? Dicam hercle, etsi mihi magnum malum i. t.
Scio paratum; sed necesse est, huic ut subveniat. Py. Sapis.
Ego abeo intro; tu isti narrato ordine, ut factum siet. t. t. c.

16, 17. V.:

— — Pa. *Qua audacia*
*Tantum facinus audet?* Py. *Quid ita tantum?* Pa. *Annon tibi hoc maximum est?*

Sed Berol. B: annon tibi hoc vel max. est? Frib.: hoc tibi. Bentl. excludendo tibi effecit trochaïcum t. c. Verum id glossematis speciem non magis habet quam vel illud elegans. Quare mutando metro utrumque servavimus. 19. Ita scripti a nobis usurpati omnes, item vett. edd., in his Frib. Ascens., neque aliud invenisse videtur Eugraphius. V.: Prehendi. Faërn. Bentl.: Prendi, ut versus sit trochaïcus t. c. 24. Sic fere Bentlejani, quibuscum facit C Berol. V.: ex te. 25. Sic idem codex et Ascens. V.: vid. rure red., quod κακόφωνον. 26. hoc debetur C Berolinensi. Ceterum sic plane Frib., ut legendum esse metri gratia viderunt Guyet. et Bentl., nisi quod ille: D. huic, a. n.? dicam hercle, dicam; etsi etc. 28. V.: narra omnem rem ordine etc. Sed nostri MSS. Frib. Ascens.: narrato. Codex unus Faërni, quem codicem sequitur Bentl.: omne ordine; A et B Beroll.: omnem ord. Nempe utrumque, et omne et omnem rem, adscriptum explicationis causa, legendumque est cum libris, quos diximus, narrato. Omne si genuinum esset, meliore id loco posuisset Terentius.

## ACTUS V. SCENA VI.

### LACHES, PARMENO.

L. Ex meo propinquo rure hoc capio commodi: I. 6.
Neque agri neque urbis odium me unquam percipit.
Ubi satias coepit fieri, commuto locum.
Sed estne ille noster Parmeno? Et certe ipsus est.
Quem praestolare, Parmeno, hic ante ostium?
P. Quis homo est? Hem, salvom te advenisse, gaudeo.
L. Quem praestolare? P. Perii, lingua haeret metu! L. Hem,
Quid est, quod trepidas? Satine salve? dic mihi.
P. Here, primum te arbitrari id, quod res est, velim:
Hujus quidquid factum est, culpa non factum est mea.
L. Quid? P. Recte sane interrogasti: oportuit
Rem praenarrasse me. Emit quendam Phaedria
Eunuchum, quem dono huic daret. L. Cui? P. Thaïdi.
L. Emit? Perii hercle! Quanti? P. Viginti minis.
L. Actum est! P. Tum quandam fidicinam amat hinc
Chaerea.
L. Hem, quid? amat? an scit jam ille, quid meretrix siet?
An in astu venit? Aliud ex alio malum!
P. Here, ne me spectes: me inpulsore haec non facit.
L. Omitte de te dicere. — Ego te, furcifer,
Si vivo....! Sed istuc, quidquid est, primum expedi.
P. Is pro illo eunucho ad Thaïdem deductus est,
L. Pro Eunuchon'? P. Sic est. Hunc pro moecho postea
Comprendere intus et constrinxere. L. Occidi!
P. Audaciam meretricum specta. L. Numquid est
Aliud mali damnive, quod non dixeris,
Reliqüom? P. Tantum est. L. Cesso huc introrumpere?
P. Non dubium est, quin mihi magnum ex hac re sit malum;
Nisi quia necessum fuit hoc facere. Id gaudeo,

A. V. SC. VI, 6. Ita Bentl. secundum 5 codd., a quibus stat etiam Helmstad. V.: advenisse, here, gaudeo. 8. Sic Donat. Helmstad. Frib. Bentl. secundum aliquot codd.: quod tu trep., sicut legitur etiam in A et C Beroll. V.: quid est? quid trep.? 9. Sic plerique codd. MSS., in quibus 5 Beroll. et Helmstad., item Frib. Ascens. V. id non legitur. 10. Hujus μονοσύλλαβον est hoc loco, sicut passim. Libri metro durissimo, vel potius nullo: Quicquid hujus fact. est. 15. Sic plane Frib., ut edidit Bentl. Hinc, a meretrice Thaïde. Cf. Plaut. Poen. 946, Parei lexic. Plaut. v. A et Ab, etc. 20. Frib.: illud. 21. Aliquot libri, in his B et C Beroll. Guelf. Frib.: Thaïdem hanc. Bentl.: Th. huc. Neutrum horum habent Donat. Ascens. et vulgo edd., nec quis desideret. 28. Ita Bentl. verbo vetere et Plautino. Bemb.: necessus. V.: necesse.

Propter me hisce aliquid esse eventurum mali:
Nam jamdiu aliquam causam quaerebat senex,
Quamobrem insigne aliquid faceret his; nunc reperit.

## ACTUS V. SCENA VII.

### PYTHIAS, PARMENO.

Py. Nunquam edepol quidquam jamdiu, quod mage vellem evenire, I. t. c.
Mi evenit, quam quod modo senex intro ad nos venit errans.
Mihi solae ridiculo fuit, quae, quid timeret, sciebam.
Pa. Quid hoc autem est? Py. Nunc id prodeo, ut conveniam Parmenonem.
Sed ubi, obsecro, est? Pa. Me quaerit haec. Py. Atque eccum video: adibo.
Pa. Quid, inepta, est? quid vis? Py. Hahahe! Pa. Quid rides? pergin'? Py. Perii,
Defessa jam sum misera te ridendo! Pa. Quid ita? Py. Rogitas?
Nunquam pol hominem stultiorem vidi, nec videbo. Ah,
Non possum satis narrare, quos ludos praebueris intus!
At te etiam primo callidum et disertum credidi hominem.
Quid? illicone credere ea, quae dixi, oportuit te?
An poenitebat flagiti, te auctore quod fecisset
Adolescens, ni miserum insuper etiam indicares patri?
Nam quid illi credis tum animi fuisse, ubi vestem vidit
Illam esse eum indutum pater? Pa. Quid iam? Py. Scis, te perisse?
Pa. Hem, quid dixisti, pessuma? an mentita es? etiam rides?

31. Sic Helmstad. V.: iis. Miro prolubio Bentl.: Qu. al. aegre fac. iis.

A. V. SC. VII, 6. V.: Quid est, inepta? quid tibi vis? quid rides? pergin? Py. Perii. In Helmstadiensi tibi non legitur. Deinde A et C Beroll. Helmstad. et vett. edd., in quibus Frib.: hahahe, perii, quod non videtur esse de nihilo, nisi quod mota suo loco est interjectio. Bentl. metri gratia: quid tibi est? quod eo sensu, qui hic requiritur, alibi me legere non memini. 10. Non habetur te in vulgatis libris, raptum illud procul dubio a vocabulis vicinis: nam eo carere non potest sententia, habetque Guelf., sed post credidi. 13. Ita Frib., bene collocato verbo patri. V.: patri indic. 15. V.: — pater? quid est? iam scis te per.? omnia sub Pythiadis persona. Bentl.: quid? iam etc., plane ut B Berol. Sed friget Quid? non friget, servo tributum, Quid iam? (quid ita? quo modo?) miranti, de veste tantum dicere nunc Pythiadem, non de capite adolescentis sicut antea.

Itan' lepidum tibi visum est, scelus, nos inridere? Py. Nimium.

Pa. Siquidem istuc inpune habueris. Py. Verum. Pa. Reddam hercle. Py. Credo;

Sed in diem istuc est fortasse, quod minitare, Parmeno; i. t.

Tu jam pendebis, stultum qui nobilitas adolescentulum

Flagitiis et patri indicas: uterque exempla in te edent. i. t. c.

Pa. Nullus sum! Py. Pro illo munere hic tibi honos est habitus; abeo.

Pa. Egomet meo indicio miser, quasi sorex, hodie perii!

## ACTUS V. SCENA VIII.

### GNATHO, THRASO.

G. Quid nunc? qua spe aut quo consilio huc imus? quid coeptas, Thraso? i. t. c.

T. Egone? Ut Thaidi me dedam et faciam, quod jubeat. G. Quid est?

T. Qui minus, quam Hercules servivit Omphalae? G. Exemplum placet.

(Utinam tibi conmitigari videam sandalio caput!)

Sed fores crepuerunt ab ea. T. Perii, quid hoc autem est mali?

19. Ita Frib., metro usurpato graviore, quod pulcre convenit sententiae. V.: Sed in d. ist., Parmeno, est fortasse, quod minitare. (Bentl. secundum Faërni et plerosque suos codd.: minare. C Berol. et Helmstad.: minitaris.) 20. Frib.: Tu j. p.: qui stultum istum denobilitas adol. V.: Tu j. p., qui st. adol. nob., qui versus pessimus est. Nec multo melius Bentl.: Tu j. p., stulte, qui adol. nob. Quod stultum vocari Bentlejus vetat Chaeream, non meminerat locorum, quales sunt Plaut. Bacch. 23, Cistell. 63. seqq., ubi vidd. interpp. Cf. Parei lexic. Plaut. v. Stulte facere. 21. V.: Flag., et eundem indicas, in qua lectione obscuri aliquid habet vocabulum uterque, quod sequitur. Atqui duo codd. Bentleji: et eundem patri ind.; ipse: et patri indicas. Helmstad.: utrique, unde fuit aliquando, cum legendum existimarem:

*Flagitiis, et eundem indicas: utique in te exempla edent.*

22. V.: Py. Hic pro illo mun. tibi honos est hab. Helmstad.: H. p. i. mun. hic hon. est hab.

A. V. SC. VIII, 1. Ita B et C Beroll., item Helmstad. et Frib., nisi quod habent ceptas. Recte Bentl.: coeptas. V.: inceptas. 2. Quid est? cur? quomodo? ut apud Plautum Asin. 851, Aul. 505, Curc. 60. Male Bentl.: Quid ais? quod neque sententia requirit, neque fert metrum, cum ais nusquam sit [illegible]. 3. Omphalae. Mire Helmstad.: Iolae. 4. Quod vocabant [illegible]. Vide Clariss. C. A. Boettigeri Specimen editionis Terentii, Lips. 1795.

Hunc ego nunquam videram etiam hic. Quidnam properans prosilit?

## ACTUS V. SCENA IX.

### CHAEREA, PARMENO, GNATHO, THRASO.

C. O populares, ecquis me hodie vivit fortunatior? t. t. c.
Nemo hercle quisquam: nam in me plane di potestatem suam i. t.
Omnem ostendére, cui tam subito tot congruerint commoda.
PA. Quid hic laetus est? C. O Parmeno mi, o mearum voluptatum omnium
Inventor, inceptor, perfector, scin' me, in quibus sim gaudiis?
Scis, Pamphilam meam inventam civem? PA. Audivi. C. Scis, sponsam mihi?
PA. Bene, ita me di ament, factum! G. Audin' tu, hic quid ait? C. Tum autem meo t. t. c.
Fratri gaudeo esse amorem omnem in tranquillo: una est domus;
Thaïs patri se commendavit, in clientelam et fidem
Nobis dedit se. PA. Fratris igitur Thaïs tota est? C. Scilicet. i. t.
PA. Iam hoc aliud est, quod gaudeamus: miles pelletur foras.
C. Tu, frater, ubiubi est, fac quamprimum haec audiat. PA. Visam domum.

## ACTUS V. SCENA X.

### THRASO, GNATHO, CHAEREA.

T. Numquid, Gnatho, tu dubitas, quin ego nunc perpetuo perierim? i. t.

6. Inepte legitur: — videram: et jam hic quidnam pros.? Beutl.: — videram etiam (h. e. adhuc): quidnam hic p. p.? ut hic sit pronomen, quod quidem vocabulum non legitur in C Berolinensi.

A. V. SC. IX, 3. Ita Faërnus ex libris melioribus. B Berol.: congruerunt. V.: contigerint. 5. B Berol.: scis me. 7. V., continuatis iambicis tetrametris:

PA. *Bene, ita me di ament, factum!* G. *Audin' tu, hic quid ait?* C. *Tum autem Phaedriae*
*Meo fratri gaudeo* etc.

quae lectio si genuina est, Terentius, artifex metricus, extra ictum posita verba graviora Bene et hic pessime deproperavit. Vel eo indicio supposititium agnoscas istud Phaedriae, quod e glossemate irrepsit.

A. V. SC. X, 1. tu accessit ex Bembino. V. abest, ruente quidem versu.

G. Sine dubio, opinor. C. Quid commemorem primum aut laudem maxume,
Illum, qui consilium mihi dedit, ut facerem, an me, qui ausus sum
Incipere? An Fortunam conlaudem, quae gubernatrix fuit,
Quae tot res tantas tam opportune in unum conclusit diem,
An mei patris festivitatem et facilitatem? O Jupiter,
Serva, obsecro, haec bona nobis!

## ACTUS V. SCENA XI.

### PHAEDRIA, CHAEREA, PARMENO, GNATHO, THRASO.

PH. Di, vostram fidem, incredibilia i. t.
Parmeno modo quae narravit! Sed ubi est frater? C. Praesto adest. t. t. c.
PH. Gaudeo. C. Satis credo. Nihil est Thaïde hac, frater, tua
Dignius, quod ametur: ita nostrae omni est fautrix familiae.
PH. Hui, mi illam laudas? T. Perii, quanto minus spei est, tanto magis amo. i. t.
Obsecro, Gnatho, in te spes est. G. Quid vis faciam? T. Perfice hoc t. f. c.
Precibus, pretio, ut haeream in parte aliqua tandem apud Thaïdem.
G. Difficile est. T. Si quid conlubitum est, novi te. Hoc si effeceris:
Quodvis donum praemio a me optato; id optatum feres.
G. Itane? T. Sic erit. G. Si efficio hoc: postulo, ut tua mihi domus
Te praesente, absente, pateat; invocato ut sit locus
Semper. T. Do fidem, futurum. G. Accingar. PH. Quem ego hic audio?
Eho, Thraso... T. Salvete. PH. Tu fortasse, quae facta hic sient,

3. Ita 3 Beroll. Helmst. vett. edd., in his Frib. Guelf.: an illum. V.: illumne. Sum pro sim vulgato Bentl. dedit ex uno cod., quicum facit A Berol. Bentl.: qui id ausus sum.

A. V. SC. XI, 5. minus ἐμμέτρως libri spei, quae est interpretatio. 8. Ita Bentl. secundum Bembinum, Donatum MS. et edd. vett., consentientibus B Berol. et Helmstadiensi. V.: collibuit. 9. Hoc invenisse Eugraphium apparet. V.: donum et praemium, nec satis est copulam omittere cum Bentlejo. 12. Helmstad. et Frib.: ita futurum. 13. Minus apte libri: O Thraso. Non ita raro hae voculae inter se commutantur.

Nescis. T. Scio. Ph. Cur te ergo in his ego conspicor regionibus?
T. Vobis fretus. Ph. Scin', quam fretus? Miles, edico tibi:
Si te in platea offendero hac post unquam: quod dicas mihi
*Alium quaerebam; iter hac habui:* periisti! G. Heja, haud sic decet.
Ph. Dictum est. G. Non cognosco vostrum tam superbum. Ph. Sic erit.
G. Prius audite paucis; quod cum dixero, si placuerit,
Facitote. Ph. Audiamus. G. Tu concede paulum istuc, Thraso.
Principio ego vos credere ambos hoc mihi vehementer volo,
Me, hujus quidquid faciam, id facere maxume causa mea;
Verum idem si vobis prodest, vos non facere inscitia est.
Ph. Quid id est? G. Militem ego rivalem recipiundum censeo.
Ph. Hem, recipiundum? G. Cogita modo. Tu hercle cum illa, Phaedria,
Ut lubenter vivis (etenim bene lubenter victitas),
Quod des paulum est, et necesse est multum accipere Thaïdem.

15. Vobis fretus. Intellige Sum, quae ellipsis verbi substantivi frequens est apud Hunc nostrum, Plautum et Latinos, Graecorum more. Vid. de his vel unus Jacobs. in indice Anthologiae Palat. v. εἰμί. Ex Latinis exemplo sint Ennius Andromacha apud Cic. Tusc. Quaest. 1, 44. (Vidi, videre quod me passa aegerrume); Plautus Amph. 171, Rud. 358, 595 et passim; hic ipse noster Andr. 5, 5, 15; 4, 2, 19 etc.; Sallust. Jug. 75. (nam rati sese diis immortalibus curae esse) et saepius; Horat. Sat. 1, 4, 6. (Hosce secutus); 1, 7, 19. (uti non Compositum [sit] melius cum Bitho Bacchius), 2, 8, 2. (Nam mihi dictus [es] — potare); Statius Achill. 2, 45. (si latens [est], 61. (cum Grajus [sis]), 69, 106 (Saltem si soboles [esset]), 664 etc. Cf. Priscian. pagg. 1178. sequ. Male Donati simia ἀνακόλουθον hic crepat et soloecismum, quem subodorari visus sibi etiam Bentl. Praeter rem suadet fretum, utroque loco. Recte Guyetus: Vobis fretus. Id est ὑμῖν πεποιθώς. i. e. τῇ ὑμῶν χάριτι, εὐνοίᾳ. τὸ sum subauditur post fretus. 21. Sic vett. Lindenbrogii et Bentleji, item Helmstad. Frib. Ascens. V.: velim. 22. Sic libri plurimi, etiam nostrorum quos modo diximus et A Berol. V.: facio. Sequor Bentlejum. 23. Ita Donat. Guyet. Minus eleganter libri vulgati: si idem. 24. Ita Bentl. ex libris 5 et edd. vett., neque aliter B Berol. Helmstad. Frib. et Guyeti vett. Ἀμέτρως legitur Quid est? 26. Ut (prout) vetus quidam liber Guyeti, Bentleji Regius, B Berol. Meroe. Et vulgato id praetulere Gallus Anglusque doctissimi. 27. Item 5 Bentleji. V.: paululum. Legitur quoque, omissa copula: paululum est, necesse est.

Ut tuo amori suppeditari possit sine sumtu tuo ad
Omnia haec, magis opportunus, nec magis ex usu tuo
Nemo est. Principio et habet, quod det, et dat nemo largius;
Fatuus est, insulsus, tardus, stertit noctes et dies;
Neque istum metuas, ne amet mulier: facile pellas, ubi velis. i. t.
PH. Quid agimus? G. Praeterea hoc etiam, quod ego vel primum puto: t. t. c.
Accipit homo nemo melius prorsum, neque prolixius.
PH. Mirum, ni illoc homine quoque pacto opust. G. Idem ego arbitror.
G. Recte facitis. Unum etiam vos oro, ut me in vostrum gregem
Recipiatis: satis diu hoc jam saxum volvo. PH. Recipimus.
C. Ac lubenter. G. At ego pro istoc, Phaedria, et tu, Chaerea,
Hunc comedendum et ebibendum vobis propino. C. Placet.
PH. Dignus est. G. Thraso, accede, ubi vis. T. Obsecro te, quid agimus?
G. Quid? Isti te ignorabant. Postquam eis mores ostendi tuos, i. t.
Et conlaudavi secundum facta et virtutes tuas: t. t. c.
Impetravi. T. Bene fecisti: gratiam habeo maxumam.
Nunquam etiam fui usquam, quin me amarint omnes plurimum.

28. Ita Rivii plerique MSS., Bentleji 2, Guyet. V.: suppeditare. Bentl.: Ut t. am. suppeditare (suppetere) possint s. s. tuo Omnia haec etc. Nec displicet. Ortum fortasse tuo ad ex tuo d. Vidd. Charis. p. 87. Putsch., Lips. Antiqu. Lectt. 2, 14. 31. Frustra Bentl.: bardus. Noctes Bemb. aliique Faërno visi codd., A et C Beroll., neque aliter Bentl. V.: noctesque. 33. Pr. hoc, Pr. hoc cogita. Cf. 25. 34. Sic quidam codd., Guyet. Bentl. V.: A. hominem. Prorsum pro vulgato prorsus vett. nonnulli, in quibus Regius Guyeti, Servii liber MS. apud Franc. Fabricium, Ascens. Probant Guyetiet Bentl., ὁμοιοτέλευτον atque ingratum sibilum vitaturi. 36. Ita Bentl. secundum suos MSS, et edd. vett. Sic etiam A Berol. Helmstad. V.: etiam hoc vos. 39. Sic itidem Bentl. secundum Nonium v. Propinare, qui: Terentius, inquit, Eunucho: Hunc vobis comedendum et bibendum et deridendum propino. V.: H. c. et deridendum v. prop. 40. Expressimus scripturam Friburgensem. V.: ubi vis, accede. Donat.: „Honorifice revocat ablegatum cum injuria (20.), dicendo Ubi vis: quia Accede imperativum erat.“ 43. Sine causa idonea Bentl.: fecistis. Quod offenderet in viro prudente, gratias ipsum agere de re tali parasito suo coram rivali, idem placet in milite inepto, tanquam χαρακτηριστικόν. 44. Ita Bentl. secundum codd. suos, neque aliter A et C Beroll. Frib. Ascens. V.: amarent. Dedi amarint omnes (nam vulgo legitur: omnes am.), ne omnes in syllaba posteriore acuendum esset contra artem, praesertim Terentii.

G. Dixin' ego, in hoc esse vobis Atticam elegantiam?
PH. Nil praeter promissum est. Ite hac. CANTOR. Vos valete et plaudite.

45. Sic Bentl. ex Faërni libris vett. V.: eloquentiam. 46. A Berol.: — hac. U. Vos etc. Codex C: — hac. Co. Vos etc. Frib.: — hac. O. Vos etc. Vid. not. ad Andriam extremam. Similiter autem liber C in reliquis fabulis Terentianis, neque aliter in fine Adelphorum Helmstadiensis. A signum suum iterum habet in extrema Heautontimorumeno. Subscriptum fabulae in B Cod. Berol.: Quorum tempore erubeo (rubeo), cum librarium poeniteret, credo, temporis describendae huic comoediae insumti. Aliter sensisse videtur, qui haec subscripsit in C Berol.:

*Eunuchus mentis dulcorem tollit abunde.*

Quanquam de hoc nihil affirmem.

# P. TERENTI
# HEAUTONTIMORUMENOS.

GRAECA EST MENANDRU, ACTA LUDIS MEGALENSIBUS, L. CORNELIO LENTULO, L. VALERIO FLACCO, AEDILIBUS CURULIBUS. EGIT AMBIVIUS TURPIO. MODOS FECIT FLACCUS CLAUDI. ACTA PRIMUM TIBIIS IMPARIBUS, DEINDE DUABUS DEXTRIS. ACTA TERTIO, M. IUVENTIO, TI. SEMPRONIO, COSS.

**Acta primum.** Post haec verba in A Berolinensi legitur: acta secunda (secundo) apud latinos.

## PERSONAE.

CHREMES, senex.
MENEDEMUS, senex.
CLITIPHO, adolescens.
CLINIA, adolescens.
SYRUS, servus.
DROMO, servus.
SOSTRATA, matrona.
PHRYGIA, ancilla.
BACCHIS, meretrix.
ANTIPHILA, Chremetis filia.
NUTRIX.

## C. SULPITII APOLLINARIS

### PERIOCHA IN HEAUTONTIMORUMENON.

---

In militiam proficisci gnatum Cliniam, i. s.
Amantem Antiphilam, compulit durus pater;
Animique sese angebat, facti poenitens.
Mox ut, reversus clam patrem, divortitur
Ad Clitiphonem (is amabat scortum Bacchidem),
Cum arcesseret cupitam Antiphilam Clinia:
Ut ejus Bacchis venit amica, ac servolae
Habitum gerens Antiphila, factum id quo patrem
Suum celaret Clitipho. Hic technis Syri
Decem minas meretriculae aufert a sene.
Antiphila Clitiphonis reperitur soror.
Hanc Clinia, aliam Clitipho uxorem accipit.

Versu 4. legitur reversus est, quod ne metro quidem convenit, nisi ponas patre, quod habetur in B et C Beroll. et Friburgensi libro. Verum glossema id videtur.

---

# M. ANT. MURETI

# ARGUMENTUM.

Chremes Sostratae uxori gravidae imperat, si puellam pareret, ut eam statim interficeret. Fuit haec immanitas in veterum moribus, ut, cum fera nulla sit, quae foetus suos non diligat, ipsi quos alere nollent liberos, eos recens natos aut interficere, aut exponere fas putarent. Sostrata puellam enixa (ut est maternus semper animus clementior) vitam ei adimere non sustinuit; sed pauperculae cuidam anui Corinthiae, Philterae nomine, exponendam dedit; etiamque, muliebri quadam superstitione, annulum de digito detractum suo jussit ut una cum puellâ exponeret. Id, quod tum stulte factum videri poterat, postea puellae saluti fuit: ejus enim annuli ope tandem agnita est a suis. Anus acceptam puellam Antiphilam nominat, educatque ut suam. Eam, cum adolevisset, anûsque illius filia putaretur, Menedemi filius Clinia perdite amare coepit, prope jam ut pro uxore haberet. Quod, ubi rescivit, pater ita violenter tulit, ut filium assiduitate jurgandi clam militatum in Asiam abire coëgerit. Tum vero, qui filii amorem iniquo animo tulerat, multo iniquiore ejusdem absentiam ferre coepit. Itaque, ut de se supplicium absenti filio daret, qui eum saevitia sua exegisset ex aedibus, aedes, supellectilem, familiam vendit, praeter, qui servi ad opus ruri faciundum utiles erant, ingentemque sibi agrum comparat, ubi a prima luce ad noctem non servos modo exerceret, verum etiam, homo sexagenarius, senectutem miseris modis excruciaret suam. Profecto Clinia Philtera, quae, ut dixi, Antiphilae putabatur mater, extremum vitae diem morte confecit. Clinia, cum jam menses tres abfuisset, amicae desiderio reversus, non ausus est patri se in conspectum dare, antiquam illius asperitatem veritus; sed ad Clitiphonem, Chremetis filium, divertit, quicum magna ipsi

*a puero familiaritas intercesserat. Clitipho, sodalis reditu laetus, Syrum et Dromonem servos (jam autem advesperascebat) in urbem ad arcessendam Antiphilam mittit. Exposuerat eo ipso die Menedemus Chremeti, quanto sibi desiderio esset filius: parum ut abfuerit, quin Chremes, cum primum de reditu Cliniae accepit, mitteret, qui ei nuntiaret. Continuit tamen se in diem posterum, quod ita magis e re illius fore censeret Syrus, summa servus et audacia et astutia, qui cum Antiphilam tantum arcessere jussus esset, etiam Bacchidem adduxit. Erat haec meretrix procax, potens, sumptuosa, nobilis, cujus se amore haud ita pridem irretierat Clitipho. Quo autem res Chremetem lateret, hoc consilium capiunt, ut Bacchidem quidem amicam Cliniae, Antiphilam vero unam de illius ancillis esse simularent. Postridie mane Chremes ad Menedemum diluculo proficiscitur, et rediisse Cliniam nuntiat. Ille gaudio amens filium jamjam videre, jamjam amplecti, jamjam ei se suaque omnia permittere cupiebat. At Chremes, Cave, inquit, faxis: istoc enim modo et te et eum et rem una perdideris tuam. Simul ei ostendit, quot incommoda capturus sit, si tam molli esse se tamque infracto animo ostenderit. Cliniae amicam (eam enim Bacchidem existimabat) non jam pauperculam esse, aut parvo contentam, ut antea; sed sumptuosam, gemmis atque auro collucentem, cum familia numerosissima. Una, inquit, mihi nox tantum non paupertatem attulit, nedum tu te censeas oneri ferundo fore, si te illi perpetuo sumptibus suppeditare oporteat. Quin tu ita potius agito: humane quidem et comiter excipito filium; istud tamen tam impotens illius desiderium occultum habeto; tum si ille, quod amicae det, ut habeat, machinam adversum te aliquam struet, falli te sinito. Ita et eum commodius retinebis apud te, et sumptuum facies minus. Haec Chremes, nescius (ut sunt humana), oculatum foris esse se, caecum domi. Interea enim meditabatur Syrus, decem minas, quas Bacchidi pollicitus erat dare, eas quomodo illi a Chremete ipso conficeret; jamque inibi erat, cum eum Chremes arreptum blande compellat, hortaturque aliquam ad Menedemum fallaciam moliatur. Iniecit in sermone Syrus mendacium a se pro tempore confictum: anum Corinthiam, Antiphilae (ita enim putabatur) matrem, mille drachmarum mutuo accepisse a Bacchide: ea mortua puellam pro pecunia illa arrha-*

*boni relictam. Dum haec aguntur, annulum suum agnovit Sostrata, ejusque indicio Antiphilam filiam suam esse cognovit. Gaudio exsiliens omnem rem defert ad virum; qui, ea leviter objurgata, repertam tamen filiam ipse quoque gavisus est. Jam omnia in tranquillo erant, absque Bacchide fuisset; sed et illi quoquo modo decem excudendae erant argenti minae, et periculum erat, ne aliqua eam Chremes filii amicam esse resciscerett. Ibi Syrus audax consilium init, quomodo et utrique seni rem, ut erat, patefaceret, et commode se tam impedito negotio expediret. Primum igitur Chremeti, Reperi, inquit, quomodo argentum a Menedemo eripiam. Dicemus ei, Bacchidem hanc tui Clitiphonis amicam esse; orabimusque, ut eam domi suae dies aliquot esse patiatur, teque id celatum velit. Porro Clinia filiae tuae, quae modo reperta est, formam sibi complacitam esse dicet, eamque petet uxorem. — Quid tum? — Pecuniam, inquit, petet a patre suo, qui novae nuptae ornamenta coëmat; eam pecuniam numeraturus est Bacchidi. Jam autem ad Menedemum, Syri hortatu, transierat Bacchis, et eo pompam omnem suam transduxerat. Chremes primo non satis consilium illud probare; At illam certe, inquit Syrus, pecuniam, pro qua filia tua opposita est pignori, quin dissolvas, facere honeste non potes. Ego vero, inquit Chremes, et libenter quidem. Immo vero, infit Syrus, dato eam Clitiphoni, qui ad Bacchidem deferat: ita enim facilius credet Menedemus, eam illius esse. — Sit ita sane. — Numeratur a patre Clitiphoni pecunia, quam ad meretricem perferret. Interea tota res detegitur. Indignari Chremes et fremere et minitari, se omnia atrocissima exempla editurum; tandem, cum prius Antiphilam Cliniae collocasset, partim Menedemi, partim uxoris, precibus delenitus ignoscit. Clitipho se, relictis meretriciis amoribus, uxorem ducturum pollicetur. Cum autem ceterarum fabularum argumentum uno die contineri soleat, hujus non nisi biduo explicari potest.*

---

# PROLOGUS.

Ne cui sit vostrum mirum, cur partis seni i. s.
Poëta dederit, quae sunt adolescentium,
Id deinde dicam; primum, quod veni, eloquar.
Ex integra graeca integram comoediam
Hodie sum acturus Heautontimorumenon;
Simplex quae ex argumento facta est duplici.
Novam esse ostendi, et, quae esset; nunc, qui scripserit,
Et cuja graeca sit, ni partem maxumam
Existumarem scire vostrum, id dicerem;
Nunc, quamobrem has partis didicerim, paucis dabo.
Oratorem esse voluit me, non prologum;
Vostrum judicium fecit, me actorem dedit,
Si hic actor tantum poterit a facundia,
Quantum ille potuit cogitare commode,
Qui orationem hanc scripsit, quam dicturus sum.
Nam quod rumores distulerunt malevoli,
Multas contaminasse graecas, dum facit
Paucas latinas, factum id esse hic non negat,
Neque se pigere, et deinde facturum autumat.
Habet bonorum exemplum, quo exemplo sibi
Licere id facere, quod illi fecerunt, putat.
Tum quod malevolus vetus poëta dictitat,
Repente ad studium se adplicasse hunc musicum,

Prologi versu 3. Guyetum secutus sum et Palmerium Lamp. Gruter. 4. p. 845: nam vulgo legitur: *Id primum dicam; deinde, quod veni, eloquar.* Guyetus: „Voces, inquit, „illae duae *primum* et *deinde* loca invicem permutarunt. — Id autem factum est ab ineptis librariis, qui τὸ *primum* primo loco ponendum esse arbitrati sunt, et τὸ *deinde* altero.“ Male Bentlejus in verbis *deinde, quod veni, eloquar,* ipsam fabulam intelligit, ad quam agendam huc venerit Ambivius post prologi recitationem: siquidem nunc *venit*, h. e. in scenam prodiit, dux ille et dominus gregis habitu prologi ad *eloquendum* ea, quae prologo dicenda erant, nomen atque argumentum fabulae, et quis scripsisset; quo facto scenam reliquit et induta Menedemi persona post intervallum rediit cum altero sene; quae res duae sunt, minime confundendae. 4. Glossator Bemb.: *integra*, a nullo tacta. Cf. 7. 6. Ita Bentl. V.: *Duplex q. ex a. f. e. simplici.* Bemb. a manu 1: *Duplex q. ex a. f. e. duplici.* 12. *actorem* sensu forensi. Vid. Clav. Cic. h. v. 13. Inepte libri: *Sed hic actor.* Correxit Bentl., 15. *orationem hanc*, reliqua hujus prologi. 19. Plerique libri, in his nostri: *Neque se id pigere*, quod placet Guyeto.

Amicûm ingenio fretum, haud natura sua:
Arbitrium vostrum, vostra existumatio
Valebit. Quare omnis vos oratos volo,
Ne plus iniquûm possit quam aequûm oratio.
Facite aequi sitis; date crescendi copiam,
Novarum qui spectandi faciunt copiam
Sine vitiis: ne ille pro se dictum existumet,
Qui nuper fecit servo currenti via
Decesse populum. Cur insano serviat?
De illius peccatis plura dicet, cum dabit
Alias novas, nisi finem maledictis facit.
Adeste aequo animo; date potestatem mihi,
Statariam agere ut liceat per silentium:
Ne semper servus currens, iratus senex,
Edax parasitus, sycophanta autem inpudens,
Avarus leno, adsidue agendi sint mihi
Clamore summo, cum labore maxumo.
Mea causa causam hanc justam esse animum inducite,
Ut aliqua pars laboris minuatur mihi.
Nam nunc novas qui scribunt, nil parcunt seni:
Si quae laboriosa est, ad me curritur;
Si lenis est, ad alium defertur gregem.
In hac est pura oratio: experimini,
In utramque partem ingenium quid possit meum.
Si nunquam avare pretium statui arti meae,
Et eum esse quaestum in animum induxi maxumum,
Quam maxume servire vostris commodis:
Exemplum statuite in me, ut adolescentuli
Vobis placere studeant potius quam sibi.

26. Ita Bentl., neque aliter libri vetustiores. V.: V. Quamobrem etc. 30. Vitio malebat Guyetus (sicut Horat. Od. 3, 27, 39. Bentl. et Cuninghamus). Sine vitio, inquit, id est ἀσινής, ἀβλαβής. Tò sine vitio quasi proverbiale fuisse videtur. Gallice: sans si, sain et net. Comoediae sine vitio, id est, in quibus nihil sit absurdi, nihil a moribus abhorrens, sed omnia verisimilia appareant. Sine vitiis autem hic pro sine vitio scriptum ab imperitis correctoribus: quod enim de comoediis in plurali sermo est, putarunt etiam sine vitiis in plurali scribi oportere. 31. Sic idem vir doctus, sicut via decedere dicuntur consuli vel praetori, honoris causa; quod ineptum in servo. V.: currenti in via. 39. C Berol.: ag. sint seni. Sed cf. 37 et 43. 43. A Berol. et Frib.: — scribunt, parcunt mihi nihil. E et Helmst.: nihil parcunt mihi. Glossema.

# ACTUS I.

## SCENA I.

### CHREMES, MENEDEMUS.

C. Quanquam haec inter nos nuper notitia admodum est,
Inde adeo quod agrum in proxumo hic mercatus es,
Nec re fere sane amplius quidquam fuit:
Tamen vel virtus tua me, vel vicinitas,
Quod ego in propinqua parte amicitiae puto,
Facit, ut te audacter moneam et familiariter,
Quod mihi videre praeter aetatem tuam
Facere et praeter quam res te adhortatur tua.
Nam, proh deum atque hominum fidem! quid vis tibi?
Quid quaeris? Annos sexaginta natus es,
Aut plus, ut conjicio; agrum in his regionibus
Meliorem neque preti majoris nemo habet:
Servi compluris: proinde quasi nemo siet,
Ita tute attente illorum officia fungere.
Nunquam tam mane egredior, neque tam vesperi
Domum revortor, quin te in fundo conspicer
Fodere, aut arare, aut aliquid facere denique;
Nullum remittis tempus, neque te respicis.
Haec non voluptati esse satis certo scio.
At dices: Enim me, quantum hic fiat, poenitet,

A. I. SC. I, 1. Ὑφ' ἓν accipienda verba nuper notitia, sicut semper lenitas Andr. 1, 2, 4. Aliis placuit nupera, nec per se male, sed nescio qua auctoritate. 3. Ita Guyet. V.: rei. 5. Guyet.: Pars hic pro loco positum, ut in illo versu Facilitas animi ad partem stultitiae rapit, etc. amicitiae est dativus. Cf. Plaut. Trin. 1, 2, 56. 9. tibi aut B et C Beroll. Guelf. Frib. 11. Ita Bentl. Libri male deproperato verbo agrum: Aut plus eo, ut conjicio, etc. 13. V.: Servos. Correxit Guyet. Bentl.: Servos non pluris. 17. Ita Bentleji liber unus, nostrorum duo, B Berol. et Helmstad., item edd. vett. Bentlejo visae et Palmerio Lamp. Gruter. 4. p. 846. Adde Eugraphium hoc loco et Donatum ad Phorm. 1, 2, 71, quibus obtemperans Anglus sagacissimus dedit facere, τῷ denique ad praecedentia relato, sicut Phormionis l. l. Eun. 1, 2, 78. Vulgo legitur: F., a. ar., a. al. ferre: denique Nullum etc., verbo denique cum sequentibus conjuncto, sicut Andr. 1, 1, 120, Eun. prol. 40, Adelph. 5, 4, 51; quam rationem per se non malam male defendit Guyetus, nec multo melius Zeunius, qui testem ejus lectionis laudat etiam Ciceronem de Fin. 1, 1, quo loco alii legunt ferre, alii facere: quemadmodum haec vocabula commutari inter se solent, ut monet Palmer. l. l. Cf. Lindenbrog. 19. Sic vett. quaedam edd., Guyeto merito probante. V.: volupt. tibi esse, numeris durissimis. 20. Ἀμέτρως legi-

Quod in opere faciundo operae consumis tuae,
Si in illis exercendis sumas, plus agas.
M. Chreme, tantumne ab re tua est oti tibi,
Aliena ut cures ea, quae nihil ad te attinent?
C. Homo sum: humani nihil a me alienum puto.
Vel me monere hoc, vel percontari puta:
Rectum est? ut faciam ego; non est? te ut deterream.
M. Mihi sic est usus; tibi ut opus facto est, face.
C. An cuiquam est usus homini, se ut cruciet? M. Mihi.
C. Si quid labori est: nollem; sed quid istuc mali est?
Quaeso, quid de te tantum meruisti? M. Eheu!
C. Ne lacruma, atque istuc, quidquid est, fac me ut sciam.
Ne retice; ne verere; crede, inquam, mihi,
Aut consolando, aut consilio, aut re juvero.
M. Scire hoc vis? C. Hac quidem causa, qua dixi tibi.
M. Dicetur. C. At istos rastros interea tamen
Adpone; ne labora. M. Minume. C. Quam rem agis?
M. Sine me, vocivom tempus ne quod dem mihi
Laboris. C. Non sinam, inquam. M. Ah, non aequom facis.
C. Hui, tam gravis hos, quaeso! M. Sic meritum est meum.
C. Nunc loquere. M. Filium unicum adolescentulum
Habeo. At quid dixi habere me? imo habui, Chreme;

At enim dices, quantum hic operis fiat, poenitet. Bentl. cum Mureto. At enim me, quant. h. op. f., poen. Guyeto placet te; sed me habent plurimi codd., te ne unus quidem. Ceterum dices servandum videbatur; expuncto autem operis, quod facile subauditur, legendum secundum C Berol. 4 At dices: Enim (Enimvero) me, quantum, etc. 24. Ita Bentl. codd. secutus suos et vett. edd., quibus secundas facit A Berol. V.: A. ut c., eaque, nihil quae ad te att.? Frib.: A. ut c., et ea, nihil quae ad te att.? 29. Frib.: crucietur? An scriptum alicubi fuit: — homini, ut crucietur? 30. Vel sic legendum esse vidit Bentl., vel sic: Si quid laboris, nollem, quod ipse excudi jussit. V.: Si q. laboris est, nollem, versu pessumdato. 31. Hiatum Bentlejus metuens O ei. Cf. Eun. 4, 4, 48. Sed juvat interpunctio: vid. not. ad Andr. 2, 2, 8. 35. A Berol. a manu 1. et B: quam dixi. 36. Sic fere libri, etiam A Berol. Helmstad. Frib., Bentl. Vulgo At non legitur. 37. Sic meliores codd., non Depone, ut Calpurn. aliique. Sequor Faernum, Bentlejum etc. 40. Hui, t. gr. hos, quaeso. Sic A Berol. et Frib., non — quaeso? sicut alibi. Guyetus: Hui, inquit, est mirantis. tam graves hos, sub.: tractas. Hoc dicit Chremes, tractans ipsos rastros; deinde subjungit quaeso, sub.: vide, videte hoc. Gallice dicimus: Je vous prie, id est voyez, je vous prie; voyez cela, je vous prie. 42. Sic vett. aliquot edd. V.: Ah, quid d. h. me? Sed frequentius Ah infertur.

Nunc, habeam necne, incertum est. C. Quid ita istuc?
M. Scies.
Est e Corintho hic advena anus paupercula;
Ejus filiam ille amare coepit virginem,
Prope jam ut haberet pro uxore; haec clam me omnia.
Ubi rem rescivi: coepi non humanitus,
Neque ut animum decuit aegrotum adolescentuli,
Tractare, sed via pro volgata patrum.
Quotidie accusabam: hem, tibine haec diutius
Licere speras facere me vivo patre,
Amicam ut habeas prope jam in uxoris loco?
Erras, si id credis, et me ignoras, Clinia.
Ego te meum esse dici tantisper volo,
Dum, quod te dignum est, facies; sed si id non facis:
Ego, quod me in te sit facere dignum, invenero.
Nulla adeo ex re istuc fit, nisi nimio ex otio.
Istuc aetatis non operam amori dabam,
Sed in Asiam hinc abii propter pauperiem, atque ibi
Simul rem et gloriam armis belli reperi.
Postremo adeo res rediit: adolescentulus
Saepe eadem et graviter audiendo victus est;
Putavit me et aetate et benevolentia
Plus scire et providere quam se ipsum sibi:
In Asiam ad regem militatum abiit, Chreme.
C. Quid ais? M. Profectus clam me est; mensis tris abest.
C. Ambo accusandi; etsi illud inceptum tamen
Animi est pudentis signum et non instrenui.
M. Ubi comperi ex iis, qui fuere ei conscii:
Domum revortor moestus atque animo fere

45. V.: Ej. fil. ille am. coepit perdite, Prope etc. Virginem extremo versu tantum non omnes habent libri; habent etiam perdite, sed incerto loco. Quamobrem recte hoc a Bentlejo expunctum censeo et illud positum, ne de meretrice cogitemus. 49. V.: Tr., sed vi et via pervolgata p., vocabulo vi, eliso et male collocato, τῷ via vero in μονοσύλλαβον contracto, quod nusquam fit. Recte Guyet. verba vi et addititia censuit et recidenda. Verum sic quoque versus (Tractare, sed via pervolgata patrum) invenustus est, ut qui legitima carere videatur caesura. Frib.: provulgata. 58. V.: Ego istuc aet. non am. op. dabam. Versum vitans pronomen expunximus, et meliore loco posuimus amori, verbum gravius. 60. Hoc est gloriam belli armis reperi. Trajecta verba, sicut passim in Comico utroque. Perperam hoc mirati quidam mutant. 69. Frib. Ascens.: his. Ceterum Berol. B: fuerunt, idque fortasse recipiendum est in ordinem, deleto ei, quod non legitur in Ascensiana. 70. Quam potestatem habere hoc loco dicemus fore? Guyetus suadet bene pro valde. Sed ea medicina vio-

Conturbato atque incerto prae aegritudine.
Adsido: adcurrunt servi, soccos detrahunt;
Inde alii festinare, lectos sternere,
Coenam adparare; pro se quisque sedulo
Faciebant, quo illam mihi lenirent miseriam.
Ubi video haec, coepi cogitare: Hem, tot mei
Soli solliciti sint causa, ut me unum expleant,
Ancillae tot me vestiant, sumtus domi
Tantos ego solus faciam, si gnatum unicum,
Quem pariter uti his decuit, aut etiam amplius,
Quod illa aetas magis ad utenda haec idonea est,
Ego eum hinc ejeci miserum injustitia mea?
Malo quidem me dignum quovis deputem,
Si id faciam. Nam usque dum ille vitam illam colet
Inopem, ob meas injurias patria carens,
Interea usque illi de me supplicium dabo,
Laborans, quaerens, parcens, illi serviens.
Ita facio prorsum: nil relinquo in aedibus,
Nec vas, nec vestimentum; conrasi omnia.
Ancillas, servos, nisi eos, qui opere rustico
Faciundo facile sumtum exsercirent suum,
Omnis produxi ac vendidi; inscripsi illico
Aedis mercede; quasi talenta ad quindecim
Coëgi. Agrum hunc mercatus sum; hic me exerceo.
Decrevi tantisper me minus injuriae,
Chreme, meo facere gnato, dum fiam miser,
Nec fas esse ulla me voluptate hic frui,
Nisi ubi ille huc salvos redierit meus particeps.
C. Ingenio te esse in liberos leni puto et
Illum obsequentem, si quis recte aut commode
Tractarit; verum nec satis tu illum noveras,

lentior. Verum videtur *fero*. Ferus (cf. 47, 48.) Menedemi animus conturbatus est. Non semel e et o litterae permixtae. 73. Ita Bentl. Libri: *Video alios festinare*, quod minus convenit versui 76. 75. Sic idem, et prius secundum codicem Stanaei Palmer. Lamp. Gruter. 4. p. 841. V.: *Faciebat*. 77. Ita Frib., prisce. V.: *Solius*. 79. Libri: *sed gnatum*, lapsu frequentissimo. Si, etsi. Bentl. pro arbitrio: — *faciam, qui gnatum* etc. 81. Fort.: *utendum*. 88. V.: *prorsus*, — *aedibus*, quod vitari inprimis solet genus homoeoteleuti. 89. *conrasi*. Frib. non male: *contraxi*. 91. Ita Palmer. l. l. ad 75, secundum cod. Colon. a m. 1. Stanaei liber apud eundem ostendebat *exerciunt*, quod item fuisse videtur initio *exercirent*. Eugraphius, monente Guyeto: Servos universos produxit et vendidit, exceptis his, qui suo opere *suos sumtus tolerarent*. Libri: *exercerent, exerceant, exercent*. 93. Helmstad. et Frib.: *A. merc. talenta duodecim Coegi*. Etiam in A Berolinensi *ad* omissum, sed male. 101. Soloece legitur *Tra-*

Nec te ille. Hoc ubi fit, ibi non vere vivitur.
Tu illum nunquam ostendisti quanti penderes,
Nec credere ausus tibi ille est, quae est aequom patri.
Quodsi esset factum, haec nunquam evenissent tibi.
M. Ita res est, fateor: peccatum a me maxume est.
C. Menedeme, at porro recte spero, et eum tibi
Salvom adfuturum esse hic confido propediem.
M. Utinam di faxint! C. Facient. Nunc, si commodum est
(Dionysia hic sunt), hodie apud me sis volo.
M. Non possum. C. Curnon? Quaeso, tandem aliquantulum
Tibi parce! idem absens facere te hoc volt filius.
M. Non convenit, qui illum ad laborem impellerem,
Nunc me ipsum fugere. C. Siccine est sententia?
M. Sic. C. Bene vale. M. Et tu. C. Lacrumas excussit
mihi,
Miseretque me ejus; sed, dici ut tempus est,
Monere oportet me hunc vicinum Phaniam,
Ad coenam ut veniat. Ibo; visam, si domi est. —
Nil opus fuit monitore: jamdudum domi
Praesto apud me esse ajunt; egomet convivas moror.
Ibo adeo hinc intro. Sed quid crepuerunt fores
Hinc a me? quisnam egreditur? Huc concessero.

## ACTUS I. SCENA II.

### CLITIPHO, CHREMES.

Cl. Nihil adhuc est, quod vereare, Clinia: haud quaquam
etiam cessant,
Et ego illam simul cum nuntio hic tibi scio hodie adfuturam.

ctaret. Ceterum sic plane Frib., nisi quod habet neque. Etiam Helmstad.: satis illum. Bentl.: v. neque illum tu satis n., dure correpta in medio versu pronominis illum syllaba priore, V.: v. neque tu illum sat. nov. 102. Sic Helmstad. Berol. C. ut quidam Bentleji: Hoc ibi fit, ubi non v. v. V.: hocque fit, ubi non v. v. 106. Ita MS. Victor. V.: maxumum. Cf. Plaut. Pseud. 1, 5, 80. 107. eum Ascens. Guyet. V.: illum. 109. Ita Calpurn. V.: Ut ita di f. 113. Vatic. et Victor.: impellerim, quod ipsum frustra tuentur Faërn. et Guyetus; nec placet Bentleji ratio ponentis ad lab. hinc pepulerim. Impellerem, impellere solerem. Litteras e et i commutari inter se tralatitium est. 122. Frib. Guyet.: quinam.

A. I. SC. II, 2. Vulgo sic legitur: Et illam simul cum nuntio tibi hic ego adfuturam hodie scio, quemadmodum librarii notiores versuum formas sectari solent. Est hic versus antecedenti similis, neque verba hic ego delenda sunt propter metrum secundum 2 codd.; id quod fecit Bentlejus. Omissa videntur ista verba a correctore, et alia transposita, dum catalecticum efficere studet versum troch. tetram. Cf. Plaut. Am. 970.

Proin tu sollicitudinem istam falsam, quae te excruciat,
mittas.
Ch. Quicum loquitur filius?
Cl. (Pater adest, quem volui: adibo.) Pater, opportune
advenis.
Ch. Quid id est? Cl. Hunc Menedemum nostin' nostrum
vicinum? Ch. Probe.
Cl. Huic filium scis esse? Ch. Audivi esse in Asia. Cl. Non
est, pater;
Apud nos est. Ch. Quid ais? Cl. Advenientem, e navi
egredientem illico
Abduxi ad coenam: nam mihi cum eo jam inde usque
a pueritia
Fuit semper familiaritas. Ch. Voluptatem magnam nuntias.
Quam vellem Menedemum invitatum, ut nobiscum esset,
amplius,
Ut hanc laetitiam nec opinanti primus objicerem domi!
Atque etiam nunc tempus est. Cl. Cave faxis: non opus
est, pater.
Ch. Quapropter? Cl. Quia enim incertum est etiam, quid
se faciat: modo venit:
Timet omnia, patris iram et animum amicae, se erga ut
sit, suae.
Eam misere amat; propter eam haec turba atque abitio
evenit. Ch. Scio.
Cl. Nunc servolum ad eam in urbem misit, et ego nostrum una Syrum.
Ch. Quid narrat? Cl. Quid? ille? Se miserum esse. Ch. Miserum? quem minus credere est?
Quid reliqui est, quin habeat, quae quidem in homine
dicuntur bona,

8. Malim Adv. et navi egr., vel sic: — ais? Advenitne? Cl. E navi etc. 9. Ita Bemb. Ascens. Bentl. V.: Adduxi. Legitur quoque nam mihi magna cum eo etc., sed non habebatur magna in Bentleji veteribus, quibuscum sentiunt Guyeti 4, A Berol., Ascens. Recte delevit Anglus, cum praesertim sequatur Voluptatem magnam. 12. Frib.: prius obiectem ei domi. V. legitur primus ei obiicerem, et in melioribus obiicerem ei. Elegans objectem Plautoque usitatum, ei glossema est. 13. Sic editi, in his Frib. Ascens. et vetusti. Alibi legitur satis tempus est, quod Bentl. mutavit in satis tempori est. 18. V.: Quid ille? h. e. Quid ille agit? sententia inepta. Vide Plaut. Aul. 140, Capt. 210 seqq. etc. Xenophon Cyrop. 3, 19, 20: τί δὲ σύ, Ἀρμένιε; — τί δὲ ὑμεῖς, ὦ Χαλδαῖοι; Et sic passim utraque gens; neque ignotum Quid? τί δέ; τί δαί; initio orationum, velut Eun. 3, 1, 29, Phorm. 4, 1, 1, etc.

Parentes, patriam incolumen, amicos, genus, cognatos, divitias?
Atque haec perinde sunt, ut illius animus, qui ea possidet:
Qui uti scit, ei bona; illi, qui non utitur recte, mala.
Cl. Imo ille senex fuit inportunus semper, et nunc nil magis
Vereor, quam ne quid in illum iratus plus satis faxit pater.
Ch. Illene? (Sed reprimam me: nam in metu esse hunc, illi est utile.)
Cl. Quid tute tecum? Ch. Dicam. Utut erat, mansum tamen oportuit.
Fortasse aliquantum iniquior erat praeter ejus lubidinem.
Pateretur: nam quem ferret, si parentem non ferret suum?
Hunccine erat aequom ex illius more, an illum ex hujus vivere?
Et quod illum insimulant durum, id non est: nam parentum injuriae
Hujusmodi sunt ferme, paulo qui est homo tolerabilis:
Scortari crebro nolunt, nolunt crebro convivarier;
Praebent exigue sumtum. Atque haec sunt tamen ad virtutem omnia.
Verum animus ubi semel se cupiditate devinxit mala,
Necesse est, Clitipho, consilia consequi consimilia. Hoc
Scitum est, periclum ex aliis facere, tibi quod ex usu siet.
Cl. Ita credo. Ch. Ego ibo hinc intro, ut videam, coenae nobis quid siet;
Tu, ut tempus est diei, vide sis, ne quo hinc abeas longius.

## ACTUS I. SCENA III.

### CLITIPHO.

Quam iniqui sunt patres in omnis adolescentis judices, i.t.
Qui aequom esse censent, nos a pueris illico nasci senes,

20. divitias pronuntiandum ut ditias, u liquescente, non sic scribendum, quod volebat Guyetus. 27. Ita Bemb. Berol. B, Guelf. Bentl., qui confert Eun. 1, 2, 51. Alienum est, quod alibi legitur aliquanto. Male C Berol.: nequior; B et Helmstad.: propter ejus lub. 30. Ita Bemb. Bentl., h. e. quod vulgus insimulat: nam si Cliniam tantum et Clitiphonem (23.) intelligeret senex, quod vult Bentl., nimirum diceret insimulatis. 31. Ita B Berol. Helmstad. Frib., sicut olim G. Canteri MS. Nov. Lect. 7, 12, ipso quidem Cantero atque Guyeto probantibus. V.: Uniusmodi sunt. Tolerabilis, tolerans, aequus, mitis. 34. Sic plurimi codd., in his A et C Beroll. Ascens. Bentl. V.: ubi animus. 35. Sic Eugraph. scripti nostri praeter Guelferbytanum, Frib. Bentl. V.: Hoc non legitur. 37. Sic A Berol. V.: ut vid., nobis quid coenae s.

Neque illarum esse adfines rerum, quas fert adolescentia.
Ex sua libidine moderantur, nunc quae est, non quae olim fuit.
Mihi si unquam filius erit, nae ille facili me utetur patre:
Nam et cognoscendi et ignoscendi dabitur peccati locus;
Non ut meus, qui mihi per alium ostendit suam sententiam.
Perii, is mihi, ubi adbibit plus paulo, sua quae narrat facinora!
Nunc ait, periclum ex aliis facito, tibi quid ex usu siet.
Astutus! Nae ille haud scit, quam mihi nunc surdo narret fabulam.
Mage nunc me amicae dicta stimulant *da mihi* atque *adfer mihi;*
Cui quod respondeam, nil habeo, neque me quisquam est miserior.
Nam hic Clinia, etsi is quoque suarum rerum sat agitat, tamen.
Bene habet ac pudice eductam, meretriciae ignaram artis; as. t. d. i. d. c.
Mea est procax, potens, magnifica, sumtuosa, nobilis. i. t.
Tum quod dem ei, *recte* est: nam *nihil* esse, mihi religio est dicere.
Hoc ego mali non pridem inveni, neque etiam dum scit pater.

A. I. SC. III, 3. Ita Frib. V.: adf. esse. 6. Ita Bentl. aliique. Confert Bentl. Amph. 104. Helmstad.: peccandi; Frib.: peccanti. V.: peccatis, oratione soloeca. 10. Recte Guyet.; id est: astutus est, εἰρωνικῶς etc. Vid. not. ad Eun. 5, 11, 15. 11. Sic idem. V.: Magis. 11. C Berol.: instimulant. 12. Sic aliquot libri, quos sequitur Bentl. V.: C. quid resp. 13. Ita Bentl., Brunck., secundum Charisium p. 193. Putsch. V.: satagit, attamen. Sed recte monet Bentl., post etsi inferri tamen. 14. V.: Habet bene ac p. ed., ign. artis mer., male acuta posteriore syllaba verbi artis, quae res male habebat etiam Bentlejum, rei pro artis poni jubentem, quod durissimum. Ejusmodi versus asynartetos etiam alibi Hic usurpat. 15. procax. Guelf.: petax. Bentl.: Mea est petax, procax, m., s., n. Sed petax videtur esse glossema τοῦ procax. Legitur autem vulgo: potens, procax, vocabulis potens et magn. non recte separatis; id quod sensit etiam Aristarchus Anglus. Male Guyet.: patens, aditu facilis. Cf. Eun. 4, 6, 22.

# ACTUS II.

## SCENA I.

### CLINIA, CLITIPHO.

Clin. Si mihi secundae res de amore meo essent, jam dudum, scio, i. t.

Venisset; sed vereor, ne mulier me absente hic corrupta sit.

Concurrunt multa, opinionem quae mihi animo exaugeant;

Occasio, locus, aetas, mater, cujus sub imperio est mala,

Cui nil jam praeter pretium dulce est. Clit. Clinia. Clin. Hei misero mihi!

Clit. Etiam caves, ne videat forte hic te a patre aliquis exiens?

Clin. Faciam; sed nescio quid profecto mi animus praesagit mali.

Clit. Pergin' prius dijudicare, quam scis, quid rerum siet? t. t. c.

Clin. Si nil mali esset, jam hic adesset. Clit. Jam aderit. Clin. Quando istuc erit?

Clit. Non cogitas, hinc longule esse; et nosti mores mulierum:

Dum moliuntur, dum conantur: annus est. Clin. O Clitipho, Timeo! Clit. Respira: eccum Dromonem cum Syro una: adsunt tibi.

A. II. SC. I, 3. V.: C. multae opiniones, q. m. animum ex. Secutus sum Bentlejum, nisi quod hanc, quod ille inseruit post opin., intelligi malim quam perscribi. Legi quoque haud inepte possit: q. m. nimium ex. Non ita raro confusa animus et nimius, et animus dicitur versu 7. 4. Calpurn. Frib.: Locus, occasio. 6. Sic fere vett., in quibus A Berol. Helmstad. Frib., neque aliter Bentl. secundum suos. V.: hinc. 8. Libri intruso glossemate, quod tollit etiam Guyetus: P. istuc prius d.; deinde: scis (vel scias, ut Bentl. edidit, vel scies, quod ostendit Guelf. noster), quid veri siet, quod ne latinum quidem est. Guyetus igitur et Bentl.: quid rei siet. Sed immane quantum discrepant vocabula rei et veri; rerum et veri, quod fuerit verum, vicina sunt, et mixta saepius. Quid rerum non uno loco Plautus. 9. Liber Stanaei apud Palmerium Lamp. Gruter. 4. p. 846: Quando istuc jam erit? quod, valde elegans Palmerio visum et receptum a Bentlejo in ordinem, friget, atque ecthlipsi asperat extremum versum, quem minime scabrum esse decet. Ceterum meliores libri adesset, aderit, quos sequitur Bentl. V.: adessent, aderunt, contra οἰκονομίαν fabulae: vid. scen. sequ. 11. Ita Bemb. Basilic. Victor. C Berol. et optimi quique codd. Alii: comantur, vel comuntur. Conantur etiam Bentl.

## ACTUS II. SCENA II.

### SYRUS, DROMO, CLINIA, CLITIPHO.

S. Ain' tu? D. Sic est. Verum interea dum sermones caedimus, t. t.
Illae sunt relictae. Clit. Mulier tibi adest. Audin', Clinia?
Clin. Ego vero audio nunc demum et video et valeo, Clitipho.
D. Minime mirum: adeo impeditae sunt: ancillarum gregem
Ducunt secum. Clin. Perii, unde illi sunt ancillae? Clit. Men' rogas?
S. Non oportuit relictas: portant' quid rerum! Clin. Hei mihi!
S. Aurum! vestem! et vesperascit, et non noverunt viam.
Factum a nobis stulte est. Abidum tu, Dromo, illis obviam
Propere! quid stas? Clin. Vae mihi misero! quanta de spe decidi!
Clit. Quid istuc? quae res te sollicitat autem? Clin. Rogitas, quid siet? i. t.
Viden' tu ancillas, aurum, vestem, quam ego cum una ancillula
Hic reliqui? unde esse censes? Clit. Vah, nunc demum intellego. t. t. c.
S. Di boni, quid turbae est! Aedes nostrae vix capient, scio.
Quid comedent! quid ebibent! quid sene erit nostro miserius?
Sed video, eccos, quos volebam. Clin. O Jupiter, ubinam est fides?
Dum ego propter te errans patria careo demens, tu interea loci i. t.
Conlocupletasti, Antiphila, te, et me in his deseruisti malis,
Propter quam in summa infamia sum, et meo patri minus obsequens;
Cujus nunc pudet me et miseret, qui harum mores cantabat mihi,
Monuisse frustra, neque eum potuisse unquam ab hac me expellere;

A. II. SC. II, 1. Sic idem. Male verba Verum — relictae Syro tribuuntur. 3. Praeter rem Bentl.: et vivo et valeo. 9. Sic Bentl. secundum libros plurimos, quibuscum facit C Berol. V.: — obviam. Propera: quid stas? 10. Bentl.: Qui istuc? sicut Eun. 4, 6, 7. et alibi. Frib.: sollicitant. 14. Ita C Berol., ut legendum vidit Bentl. V.: sene nostro erit mis.? 18. Ita plerique vett. Rivii et Guyeti, Bentleji et nostri omnes praeter Guelf., item Frib. et Ascens. V.: minus sum obs., quam lectionem cur alteri praeferat Bentl., nescio.

Quod tamen nunc faciam; tum, cum gratum mi esse potuit, nolui.
Nemo est miserior me! S. Hic de nostris verbis errat videlicet,
Quae hic sumus locuti. Clinia, aliter tuum amorem, atque est, accipis:
Nam et vita est eadem et animus te erga idem ac fuit,
Quantum ex ipsa re conjecturam fecimus.
CLIN. Quid, obsecro, est? nam mihi nunc nil rerum omnium est,
Quod malim, quam me hoc falso suspicarier.
S. Hoc primum, ut ne quid hujus ignores: anus,
Quae dicta ei esse mater antehac, non fuit.
Ea obiit mortem. Hoc, ipsa in itinere alterae
Dum narrat, forte audivi. CLIT. Quaenam est altera?
S. Mane: hoc, quod coepi, primum enarrem, Clitipho;
Post istuc veniam. CLIT. Propera. S. Jam primum omnium,
Ubi ventum ad aedis est: Dromo pultat foris;
Anus quaedam prodit. Haec ubi aperuit ostium:
Continuo hic se conjecit intro; ego consequor;
Anus foribus obdit pessulum, ad lanam redit.
Hic sciri potuit, aut nusquam alibi, Clinia,
Quo studio vitam suam te absente exegerit,
Ubi de inproviso est interventum mulieri.
Nam ea tum res dedit existumandi copiam
Quotidianae vitae consuetudinem,
Quae, cujusque ingenium ut sit, declarat maxume:
Texentem telam studiose ipsam offendimus,
Mediocriter vestitam veste lugubri,
Ejus anuis causa, opinor, quae erat mortua,
Sine auro; tum ornata ita, uti, quae ornantur sibi,
Nulla mala re esse expolita muliebri;

25. Ita Bemb., recte Bentlejo suffragante. Helmstad.: facimus. V.: cepimus. 28. Ita Guyet, secundum libros quosdam Fr. Fabricii. „Hujus," inquit, „pro hujus rei frequens occurrit apud Plautum et Terentium." Id explicare Eugraphium verbis harum rerum, et ex utroque mixtum esse, quod vulgo legitur, ut ne quid hujus rerum ignores. 29. V.: Quae est dicta mater esse ei ant. Calpurn.: Q. dicta est. Agnosceres glossema. 34. A et B Berolin.: pulsitat. 35. Bentl.: aperit, et sequ. versu: C. hic se i. conjicit. 41. Sic idem ex cod. Regio. Deteriores numeri sunt vulgatae lectionis hujus: N. ea res dedit tum e. c. 47, 48. Libri ornatam, expolitam. Bentl. Nulla m. re interpolatam mul., excluso esse. Cf. Eun. 5, 1, 1, Plaut. Bacch. 31 sequ., et quae sunt alia exempla infinitivi historici. Ceterum Faërniani codd. praeter unum Bemb., Bentleji 6, 4 nostrorum (nam Guelf. nihil mutat), item edd. vett., in his Frib. et Ascens.: malam, quod fuit cum ex malaca ortum existimarem; necdum poenitet suspicionis. Vox Plautina.

Capillus passus prolixe, et circum caput
Rejectus neglegenter. CLIN. Pax, Syre mi, obsecro,
Ne me in laetitiam frustra conjicias. S. Anus
Subtemen nebat; praeterea una ancillula
Erat; ea texebat una pannis obsita,
Neglecta, inmunda inluvie. CLIT. Si haec sunt, Clinia,
Vera, ita uti credo, quis te est fortunatior?
Scin' tu hanc, quam dicit sordidatae sordidam?
Magnum hoc quoque signum est, dominam esse extra noxiam,
Cum ejus tam negleguntur internuntii:
Nam disciplina est eisdem, munerarier
Ancillas primum, ad dominas qui adfectant viam.
CLIN. Perge, obsecro te, et cave ne falsam gratiam
Studeas inire! Quid ait, ubi me nominas?
S. Ubi dicimus rediisse te et rogare, uti
Veniret ad te: mulier telam desinit
Continuo et lacrumis opplet os totum sibi,
Ut facile scires desiderio id fieri
Tuo. CLIN. Prae gaudio (ita me di bene ament), ubi sim, nescio: i. t.
Ita timui. CLIT. At ego nil esse scibam, Clinia. i. s.
Agedum vicissim, Syre, dic, quae illa est altera.

49. Libri numeris Terentio indignis: Cap. passus, prolixus; nec juvat Bentleji ratio ponentis Cap. p., promissus. Prolixe, sequente verbo, quod incipit a vocali littera, retrahit accentum. 50. Pax vulgo desideratum legitur in libris melioribus, etiam 3 Beroll., nisi quod C habet pas, Friburgensi, Ascens., Bentl. etc., sed male servo attribuitur. Est autem interjectio silentium imperantis, sive qua cessare praecipimus, ut ait glossator Mediolanensis apud Majum. 55. Vet. cod. Lindenbrogii et nostri omnes scripti, item Frib.: ita ut hic dicit, ut hic dicit (A Berol.), ut ita hic dicit (C Berol.). Διττογραφία. 56. Inepte libri: sordidatam et sordidam. Scriptum forte sordidatam emendavit, opinor, librarius *e* littera adjecta, ut fieret sordidatae, eaque littera habita deinceps fuit pro et. Vide notata ad Eun. 1, 2, 15. et indicem Plaut. v. librarii. Sordidatam, pullatam propter luctum: vid. 45. Cf. Liv. 45, 28. Scin' tu nostri MSS., cum a Guelferbytano discesseris, et Regius Lindenbrogii. V.: Scin' hanc. 58. Bentleji tantum non omnes: C. tam negliguntur int.; ipse: C. t. negligitur ejus internuntia. 64. desinit, h. e. intermittit, Bemb., Guyet., Bentl. V.: deserit, quod majus videtur Bentlejo, quam requiritur. Cui assentior. 66. Vulgo vocabulum Tuo huic versui additur, quem cum ὑπέρμετρον videret Bentl., minus recte posuit scias. Usurpandum gravius metrum, quo exprimatur gliscens adolescentuli affectus. 67. gaudio non eliditur propter interpunctionem: vid. not. ad Andr. 2, 2, 8. Tò bene suppeditavit A Berol. et Frib. Vulgo non habetur.

S. Adducimus tuam Bacchidem. Clit. Hem, quid? Bacchidem?
Eho, sceleste, quo illam ducis? S. Quo ego illam? Ad nos scilicet. i. t.
Clit. Ad patremne? S. Ad eum ipsum. Clit. O hominis inpudentem audaciam! S. Heus tu, t. t.
Non fit sine periclo facinus magnum, nec memorabile. t. t. c.
Clit. Hoc vide! in mea vita tu tibi laudem is quaesitum, scelus,
Ubi si paululum modo quid te fugerit, ego perierim?
Quid illo facias? S. At enim... Clit. Quid enim? S. Si sinis: dico. Clin. Sine. i. t.
Clit. Sino. S. Ita res est haec nunc, quasi cum ... Clit. Quas, malum, ambages mihi t. t. c.
Narrare occipit! Clin. Syre, verum hic dicit. Mitte; ad rem redi.
S. Enimvero reticere nequeo. Multimodis injurius
Clitipho, es, neque ferri potis es. Clit. Tace! Clin. Audiundum hercle est. Clit. Quid est? as. t. d. i. d.
S. Vis amare; vis potiri; vis, quod des illi, effici; t. t. c.
Tum, esse in potiundo periclum, non vis. Haud stulte sapis,
Si quidem id sapere est, velle te id, quod non potest contingere.
Aut haec cum illis sunt trahenda, aut illa cum his mittenda sunt.
Harunc duarum conditionum nunc utram malis, vide; i. t.

71. Eho posteriore syllaba longa legendum est, sicut Trinum. 53. et alibi. 73. Sic aliquot libri, quorum Bentl. meminit. V.: magn. et mem. Bentl., hiatum vitaturus: m. et commemorabile. 76. Quid illo facias? Syro, tam impudente, tam stulto? Cf. Eun. 4, 7, 25; 5, 2, 21. Frustra Bentl.: Q. illa (Bacchide) fac.? 76. Sic idem, et sinis quidem legitur in B Berol., dico in 2 Bentleji codicibus. V.: sinas, dicam. 80. V.: — hercle est: tace. Sr. Vis amare etc. Sed Reg. Lindenbrogii, Bentleji omnes scripti, item nostri: tace. Clit. quid (B Berol.: quid id) est? Sr. Vis etc. Quin A et C Beroll. et Helmstad. et isto loco habent verba Quid est? et ante Vis etc. sub Syri persona. Frib. autem liber hanc scripturam ostendit: — hercle est. Clit. quid est? Tace. Sr. quid est? vis etc. Haec de nihilo esse, non persuadet Bentl.; sed turbatum est, cum paulo insolentius metri genus mirati correctores verbum tace loco suo moverent, ut notissimus scilicet ipsis versus troch. t. cat. efficeretur. Quid est? cur? vid. index Plaut. h. v. Quaerit Clitipho, cur injurius videatur. Nihil clarius. 82. Ita Helmstad. et Frib. V.: Tuum esse etc. 84. trahenda Helmstad., h. e. sumenda. V.: habenda, quae est interpretatio lectioris verbi. Ceterum recte Bemb., Bentl.: mittenda, cum vulgato amittenda evertatur metrum.

Etsi consilium hoc, quod cepi, rectum esse et tutum scio. t. t. c.
Nam ad patrem tua amica tecum sine metu ut sit, copia est;
Tum quod ei argentum es pollicitus, eadem hac inveniam via,
Quod ut efficerem orando surdas jam auris reddideras mihi.
Quid aliud tibi vis? Clit. Si quidem hoc fit. S. Si quidem, experiundo scies.
Clit. Age, age, cedo istuc tuum consilium! Quid id est? S. Adsimulabimus,
Tuam amicam hujus esse. Clit. Pulchre! Cedo; quid hic faciet sua?
An ea quoque dicetur hujus, si una haec dedecori est parum?
S. Imo ad tuam matrem deducetur. Clit. Quid eo? S. Longum est, Clitipho, i. t.
Tibi si narrem, quamobrem id faciam. Vera causa est. Clit. Fabulae! t. t. c.
Nil satis firmi video, quamobrem accipere hunc mi expediat metum.
S. Mane: habeo aliud, si istuc metuis, quod ambo confiteamini as. t. d. i. d.
Sine periclo esse. Clit. Istiusmodi, obsecro, aliquid reperi! t. t. c.
S. Maxume; ibo huic obviam; dicam, ut revortatur domum. Clit. Hem,
Quid dixti? S. Ademtum tibi jam faxo omnem metum, i. a.
In aurem utramvis otiose ut dormias.
Clit. Quid ago nunc? Clin. Tune? Quod boni... Clit. Syre, dic modo
Verum! S. Age modo; hodie sero, ac nequidquam, voles.
Clin. Datur, fruare, dum licet: nam nescias....
Clit. Syre, inquam! S. Perge porro; tamen istuc ago.

86. Ita Bentl. Vett., etiam nostri praeter Guelf., item Frib. et Ascens.: E. hoc cons. V. hoc non legitur. 87. Secutus sum Guyetum. Similiter 3, 4, 14. eidem visi codd. antiqui 6, in his Regius: ad uxorem, ubi vulgo legitur apud ux., quemadmodum hoc loco: apud patrem. 88. ei. Libri minus ἐμμέτρως: illi. Haec nulla non pagina miscentur. 90. Frustra Bentl.: Q. aliud t. v. Clit. si qu. hoc fiet. Ceterum Beroll. 3. et Frib.: exper. hoc sc. 94. Sic fere scripti, etiam nostri et vett. edd., in his Frib. Ascens. V.: abducetur. 95. Vera, justa. Confert Guyet. Andr. 5, 4, 46. 98. Istiusmodi vetus cod. Lindenbrog., nostri MSS., Frib. V.: Hujusmodi, et verbum Maxume huic versui adnumerant. 99. Sic Eugraph., Bentl. V.: revortantur, cum de solius Bacchidis reditu agatur. 103. Age modo. Loquere, quantum libet. 104. Bentl.: Di dant, fruare. 105, 6. Sic idem ordinat hos versus: nam vulgo 105. post alterum le-

Clin. Ejus sit potestas posthac, an nunquam, tibi.
Clit. Verum hercle istuc est. — Syre, Syre, inquam!
heus, heus, Syre!
S. (Concaluit.) Quid vis? Clit. Redi, redi! S. Adsum:
dic, quid est.
Jam hoc quoque negabis tibi placere. Clit. Imo, Syre,
Et me et amorem et famam permitto tibi.
Tu es judex; ne quid accusandus sis, vide.
S. Ridiculum est, te istuc me admonere, Clitipho,
Quasi istic mea res minor agatur, quam tua.
Hic si quid nobis forte advorsi evenerit,
Tibi erunt parata verba, huic homini verbera.
Quapropter haec res ne utiquam neglectu est mihi.
Sed istum exora, ut suam esse adsimulet. Clin. Scilicet
Facturum me esse: in eum res rediit jam locum,
Ut sit necessum. Clit. Merito te amo, Clinia.
Clin. Verum illa ne quid titubet. S. Perdocta est probe.
Clit. At ego hoc demiror, qui tam facile potueris
Persuadere illi, quae solet quos spernere.
S. In tempore ad eam veni, quod rerum omnium est
Primum: nam quendam miserum offendi ibi militem
Ejus noctem orantem; haec arte tractabat virum,
Ut illius animum cupidum inopia incenderet,
Eademque ut esset apud te hoc quam gratissuma.
Sed heus tu, vide sis, ne quid inprudens ruas!

gitur. Locus paulo intricatior propterea quod Clitiphonis et Syri verbis oratio Cliniae interpellatur, quae quidem talis est: Quod boni datur, fruare, dum licet: nam nescias, ejus sit potestas posthac, an nunquam, tibi. Tamen istuc ago, tamen abeo, Bacchidemque redire jubeo. 110. V.: et meum amorem, pronomine me eliso vixque audito, quod verbum grave jam non liquescit, sed graeco more corripitur. Cf. 119. Glossema meum. 111. Judicem appellat Syrum, qui judicavit, eam rem fore utilem. Frustra Bentl.: inlex. 116. Sic plane B et C Beroll. et Helmstad., non conjuncte, ut vulgo, neutiquam, et recte! siquidem ne eliditur, animadvertente etiam Faërno. Alioqui versus pessum it. Cf. Andr. 2, 1, 62. 117. Ita B, C, et Frib. Metro impeditiore edunt istunc. 118. Sic unus Bentleji liber. V.: in eum jam res red. loc. 119. Ita Bentl. secundum Bembinum, qui habet necessus. Priscae formae interpretamentum est, quod vulgo legitur, necesse. 121. V.: At hoc dem. Helmstad.: At ego dem. 124. miserum fere MSS., etiam nostri praeter Guelf., item Frib. Ascens., sed ibi neglecto, quod in aliis libris legitur, in quibus est misere. Frib.: nam qu. misere offendi ubi mil. Sed Ascens.: nam miserum quendam offendi ibi mil. V.: n. qu. misere off. mil. Collocavi miserum potiore sede versus. 127. Perperam Bentl. secundum Bembinum: gratissimum.

Patrem novisti, ad has res quam sit perspicax;
Ego te autem novi, quam esse soleas inpotens.
Inversa verba, eversas cervices tuas,
Gemitus, screatus, tussis, risus, abstine.
Clit. Laudabis. S. Vide, sis. Clit. Tutemet mirabere.
S. Sed quam cito sunt consecutae mulieres!
Clit. Ubi sunt? cur retines? S. Jam nunc haec non est tua.
Clit. Scio, apud patrem; at nunc interim. S. Nihilo magis.
Clit. Sine! S. Non sinam, inquam. Clit. Quaeso, paulisper! S. Veto.
Clit. Saltem salutare! S. Abeas, si sapias. Clit. Eo.
Quid istic? S. Manebit. Clit. O hominem felicem! S. Ambula.

## ACTUS II. SCENA III.

### BACCHIS, ANTIPHILA, CLINIA, SYRUS.

B. Edepol, te, mea Antiphila, laudo et fortunatam judico, t. t. c.
Id cum studuisti, isti formae ut mores consimiles forent;
Minimeque (ita me di ament) miror, si te sibi quisquam expetit,
Nam mihi, quale ingenium haberes, fuit indicio oratio;
Et cum egomet nunc mecum in animo vitam tuam considero,
Omniumque adeo vostrarum, volgus quae ab se segregant:
Et vos esse istiusmodi, et nos non esse, haud mirabile est:
Nam expedit vobis bonas esse; nos, quibuscum est res, non sinunt. as. t. d. i. d.
Forma quippe inpulsi nostra nos amatores colunt; t. t. c.

139. O interjectio vocali sequente corripitur, Graecorum more, sicut 5, 6, 9, Trin. Plaut. 26 etc. Alibi coalescit cum vocali sequente, ut videre est Andr. 5, 3, 5, Ad. 3, 4, 44; 5, 3; Ph. 2, 3, 13, 29; quod et I patitur nonnunquam, velut Ad. 5, 1, 68. Denique aliis in locis neque corripitur, neque eliditur, velut Andr. 4, 6, 22.

A. II. SC. III, 2. isti omissum in A Berol., nec sane placet ὁμοιοτέλευτον. Dederat hoc fortasse Afer: Illud cum studuisti, formae ut m. c. f. Commutari inter se solent haec pronomina. Cf. 3, 1, 58, ubi Frib. id habet pro illud, etc. 3. Sic nostri MSS. praeter Guelf., item Frib. V.: quisque, minus recte, cum unus tantummodo Antiphilam sibi expetat, Clinia. 8. V.: N. exp. bonas esse vobis, correpta priore syllaba in esse; id quod vix licet in primis versibus, in mediis autem prorsus inauditum est. Non insolens hoc metri genus etiam apud hunc nostrum: vid. not. ad Andr. 2, 1, 2. Bentl.: bonis. Sequimur libros.

Haec ubi imminuta est, illi suum animum alio conferunt:
Nisi prospectum interea a nobis est, desertae vivimus.
Vobis cum uno simul ubi aetatem agere decretum est viro,
Cujus mos maxume est consimilis vostrum: hi se ad vos adplicant.
Hoc beneficio utrique ab utrisque vero devincimini,
Ut nunquam ulla amori vostro incidere possit calamitas.
A. Nescio alias; me quidem semper scio fecisse sedulo,
Ut ex illius commodo meum compararem commodum.
C. Ah! i. t.
Ergo, mea Antiphila, tu nunc sola reducem me in patriam facis:
Nam dum abs te absum, omnes mihi labores fuere, quos cepi, leves,
Praeterquam tui carendum quod erat. S. Credo. C. Syre, vix suffero!
Hoccine me miserum non licere meo modo ingenium frui?
S. Imo, ut patrem tuum vidi esse habitum diu, etiam duras dabit.
B. Quisnam hic adolescens est, qui intuitur nos? A. Ah, retine me obsecro!
B. Amabo, quid tibi est? A. Disperii! perii misera! B. Quid stupes,
Antiphila? A. Videon' Cliniam, an non? B. Quem vides?
C. Salve, anime mi!
A. O mi expectate Clinia, salve! C. Ut vales? i. s.
A. Salvom advenisse gaudeo. C. Teneone te,
Antiphila, maxume animo exoptatam meo?
S. Ite intro: nam vos jamdudum expectat senex.

11. Ita Bentl., cum reperisset in quibusdam codd. a nobis. V.: Nisi si prosp. interea aliquid est, des. viv. Nostri: N. si pr. int. aliquid (A Berol.: aliud) nobis (Guelf.: nolis) est, d. v. 12. Praeter necessitatem Bentl. semel posuit pro simul, quae librorum vett. omnium est lectio; quem Zeun. aliique sunt secuti. 22. H. e.: Imo, qualem diu (usque ad senectutem) habitum sive existimatum esse vidi tuum patrem (cf. 3, 1, 26), etiam (adhuc) duras dabit; in quibus paulo insolentius dictum ut habitum pro qualem habitum turbavit viros doctos, quorum Guyetus versum censet spurium ac delendum, Bentlejus emendare sibi videtur scribendo: I., ut p. tuum vidi, partes diu et. d. d. Verum excusari potest ille mos loquendi, et duras dabit recte accipietur per ellipsin, quam figuram Hic frequentat, pro eo, quod est duras pugnas dabit. Cf. Eun. 5, 2, 60. et Parei lexic. Plaut. v. dare pugnam. Modeste haec servus prudens de patre adversus filium obedientem.

# ACTUS III.

## SCENA I.

### CHREMES, MENEDEMUS.

C. Luciscit hoc jam: cesso pultare ostium i. s.
Vicini, primum ex me ut sciat, sibi filium
Rediisse? etsi adolescentem hoc nolle intellego;
Verum cum videam miserum hunc tam excruciarier
Ejus abitu, celem tam insperatum gaudium,
Cum illi pericli nihil ex indicio siet?
Haud faciam: nam, quod potero, adjutabo senem.
Ita, filium ut meum amico atque aequali suo
Video inservire et socium esse in negotiis.
Nos quoque senes est aequom senibus obsequi.
M. Aut ego profecto ingenio egregio ad miseriam
Natus sum, aut illud falsum est, quod volgo audio
Diem dici adimere aegritudinem hominibus.
Nam mihi quidem quotidie augescit magis
De filio aegritudo, et quanto diutius
Abest, mage cupio tanto, mage desidero.
C. Sed ipsum foras egressum video; ibo, adloquar.
Menedeme, salve. Nuntium adporto tibi,
Cujus maxume te fieri participem cupis.
M. Numquidnam de gnato meo audisti, Chreme?
C. Valet atque vivit. M. Ubinam est, quaeso? C. Apud me hic domi.
M. Meus gnatus... C. Sic est. M. Venit? C. Certe. M. Clinia
Meus venit? C. Dixi. M. Eamus! duc me ad eum, obsecro!
C. Non volt te scire se redisse etiam, et tuum

A. III. SC. I, 4. Ita Faërn. Bentl., neque aliter B et C Beroll., Helmstad., Frib. V.: cruciarier. 6. Ita Guyet. Bentl., cujus cum codicibus facit A Berol., item Ascens. V.: nihil per. 8. Libri asperato versu sine necessitate: Ita ut fil. Consuetus hic est ordo verborum, quem sectari solent librarii. 11. Sic Bentleji tantum non omnes, A Berol., Helmstad., Frib., Ascens., Bentl. V.: miserias. Miseriam, moerorem, aegritudinem, ut explicat Bentl. Ceterum B Berol.: genio, quod praefert Palmer. Spicil. Lamp. Gruter. 4. p. 849. egregio ex Bembino arcessivi cum Brunckio. Sic etiam C Berol. V.: egregie. 16. Ita C Berol., nisi quod is quoque liber ostendit magis utroque loco, sicut ceteri codd. Mage hic quoque posuit Guyetus. 21. Quod vulgo abest, hic legitur in plerisque omnibus libris antiquis, unde petivit Bentl. Sed legitur in libris: hic ap. me d., quod ἄμετρον facile Anglus correxit.

Conspectum fugitat: propter peccatum hoc timet
Ne tua duritia antiqua illa etiam adaucta sit.
M. Non tu ei dixti, ut essem? C. Non. M. Quamobrem, Chreme?
C. Quia pessume istuc in te atque illum consulis,
Si te tam leni et victo esse animo ostenderis.
M. Non possum! satis jam, satis pater durus fui! C. Ah,
Vehemens utramque in partem, Menedeme, es nimis,
Aut largitate nimia, aut parsimonia.
In eandem fraudem ex hac re atque ex illa incides.
Primum olim, potius quam paterere filium
Commetare ad mulierculam, quae paululo
Tum erat contenta, cuique erant grata omnia,
Proterruisti hinc. Ea coacta ingratiis
Postilla coepit victum volgo quaerere.
Nunc, cum sine magno intertrimento non potest
Haberi, quidvis dare cupis. Nam, ut tu scias,
Quam ea nunc instructa pulchre ad perniciem siet,
Primum jam ancillas secum adduxit plus decem,
Oneratas veste atque auro. Satrapa si siet
Amator, nunquam sufferre ejus sumtus queat,
Nedum tu possis. M. Estne ea intus? C. Sit, rogas?
Sensi: nam ei unam coenam atque ejus comitibus
Dedi; quodsi iterum mihi sit danda, actum siet.
Nam, ut alia omittam, pytissando modo mihi
Quid vini absumpsit, *Sic hoc*, dicens; *asperum,*
*Pater, hoc est: aliud lenius, sodes, vide.*
Relevi dolia omnia, omnis serias;
Omnis sollicitos habui. Atque haec una nox;

25. Ita haec distinxit Bentl. V.: C. f. propter peccatum: hoc t. 27. dixti C Berol. Frib., Eugraph., Calpurn.; B Berol.: disti pro eodem. V.: dixisti, quod commentum puto de metro perperam sollicitorum. Non eliditur sub ictu positum tu pronomen. 28. Ita Guyet. Libri, in ordinem recepto glossemate κακομέτρω: atque in illum. Cf. Andr. 5, 1, 11. 35. Ita Bentl. versus gratia. V.: Commeare. 37. Onomast. Guyeti: Proterreo, ἀποφοβέω. 48. Guyet.: Pytissare, inquit, est vinum gustandi causa ore sumptum, postquam degustatum est, exspuere, quod in κοτταβισμῷ fieri solebat. Vetus Bembini glossa apud Faërn.: pytissando, expressis labris spuendo, dum vini saporem probat. A πυτίζω, id est πτύω, ἐκπτύω, Tarentinorum dialecto fit πυτίσσω, unde latinum pytisso etc. 49. Sic hoc, Sic hoc est, mediocre est. Cf. Faërn. Bentl. infra 4, 1, 22, Donat. ad Phorm. 1, 2, 95. 50. vide, provide. Cic. ad Att. 5, 1: Statium servum praemisimus, ut prandium nobis videret. 52. habui non liquescit: vid. not. ad Andr. 2, 2, 8. Temere mutatur.

Quid te futurum censes, quem adsidue exedent?
Sic me di amabunt, ut me tuarum miseritum est,
Menedeme, fortunarum. M. Faciat, quod lubet;
Sumat, consumat, perdat; decretum est pati,
Dum illum modo habeam mecum. C. Si certum est tibi
Sic facere, illud permagni referre arbitror,
Ut ne scientem sentiat te id sibi dare.
M. Quid faciam? C. Quidvis potius, quam quod cogitas:
Per alium quemvis ut des; falli te sinas
Technis per servolum; etsi subsensi id quoque,
Illos ibi esse, id agere inter se clanculum:
Syrus cum vostro consusurrant, conferunt
Consilia ad adolescentes; et tibi perdere
Talentum hoc pacto satius est, quam illo minam.
Non nunc pecunia agitur, sed illud, quomodo
Minumo periclo id demus adolescentulo.
Nam si semel tuum animum ille intellexerit,
Prius proditurum te tuam vitam, et prius
Pecuniam omnem, quam abs te amittas filium: hui,
Quantam fenestram ad nequitiem ei patefeceris,
Tibi autem porro ut suave non sit vivere!
Nam deteriores omnes sumus licentia;
Quod cuique cunque inciderit in mentem, volet,
Neque id putabit pravumne an rectum siet.

54. Versus lenius curreret, si abesset me posterius, quod intelligendum ἀπὸ κοινοῦ. Cf. Ph. 1, 2, 49. 59. Ita Palmer. Lamp. Gruter. 4. p. 733; Guyet. Bentl. Inepte legitur nescientem. 63. „ibi esse, in hac cogitatione esse, hoc agitare animo, hoc meditari, ut te decipiant.“ Guyet. Cf. 5, 4, 6. Vulgati autem libri: et id ag. Sequor meliores cum Guyeto et Bentlejo. 64. V.: S. cum illo vestro, foedo deproperato nomine Syri, cujus persona gravis est in hac fabula, ut ambitiose significetur servus, qui vix semel aut bis prodit in scenam. Non talem artificem novi Afrum. Sublectum, ut videtur, pronomen 5, 2, 4. 65. Quod vulgo desideratur, ad, cum id ipse versus sibi poscat, recte additum est a Bentlejo. Rapuerat vox sequens. 67. id dictum πρὸς τὸ σημαινόμενον: nam intelligitur pecunia. Quodsi quis glossema putet, non repugnarim. Cf. Eun. 5, 10, 30, Phorm. 3, 5, 48. 72. Durissime Bentl.: Q. ei fen. ad n. p. Dedimus hoc: Q. f. ad nequ. ei p., ut vox nequ., sequente vocali, accentum retrahat, congruatque cum ictu metrico, quo ictu bis feritur absque eo remedio; id quod vitiosum. 74. sumus A Berol. Helmstad., Frib., Ascens., Bentl. etc. V.: fimus, invenustis quidem numeris. 75. 76. Descriptio hominum licentia corruptorum; quod miror non vidisse Bentlejum, sed delere hos versus, tanquam eos, qui a proposito abhorreant. Recte autem MS. Reg. et alius vetus, Lindenbrogii uterque: Quod cuique cunque, B quoque Berol.: Q. cuique; A et a 1. m. C Berol., item Frib.: Q. cui-

Tu, rem perire et ipsum, non poteris pati;
Dare denegaris: ibit ad illud illico,
Qui maxume apud te se valere sentiet:
Abiturum se abs te esse illico minitabitur.
M. Videre verum atque ita, uti res est, dicere.
C. Somnum hercle ego hac nocte oculis non vidi meis,
Dum id quaero, tibi qui filium restituerim.
M. Cedo dextram! Porro te oro, idem ut facias, Chreme.
C. Paratus sum. M. Scin', nunc quid facere te volo?
C. Dic. M. Quod sensisti illos me incipere fallere,
Id ut maturent facere; cupio illi dare,
Quod volt; cupio ipsum jam videre. C. Operam dabo.
Paulum hoc negoti mi obstat: Simus et Crito
Vicini nostri hice ambigunt de finibus;
Me cepere arbitrum: ibo ac dicam, ut dixeram
Operam daturum me, hodie non posse his dare.
Continuo hic adero. M. Ita, quaeso. — Di, vostram fidem,
Ita comparatam esse hominum naturam omnium,
Aliena ut melius videant et dijudicent,
Quam sua! An eo fit, quia re in nostra aut gaudio

cunque. Vulgo hujusmodi obtinet interpretatio κακόμετρος, vel potius ἄμετρος:

*Quodcunque inciderit in mentem, volet: neque id*
*Putabit pravom* (cod. Faërn.: **pravumne**) *an rectum siet,*
*quod petet.*

Quod cuique cunque pro eo, quod est Quodcunque cuique, per tmesin. 79. Qui pro vulgato Quo Guyeti Reg., Rubricat., et edd. 2 Mediol., item B Berol. Frib. Ascens., quod recte Guyetus praetulit. 80. Sic bona pars scriptorum et vett. edd., in his Frib. Asc. Vulgatae lectionis minabitur et numeri sunt debiliores, et, quod maximum est, speciem habet ea interpretationis. 83. restituerim A Berol., ut legi malebat Guyet., qui: „restituerim," inquit, „hic pro restituam positum est, ut dixerit aliquis pro dicat aliquis et similia. τὸ restituerem autem (vulgatum) nullo modo hic quadrare videtur." 84. Sic fere scripti, etiam nostri, et vett. edd. V.: porro te idem oro, quod et ipsum non malum est, in qua lectione te ictum excipiens non eliditur. 85. Ita Frib., quod efficacius lectiusque vulgato quid nunc. 88. Versum Syrus etc. et 2 seqq., qui vulgo post hunc versum leguntur, in fine scenae collocandos esse intellexit Bentl. Desideratur autem in vulgatis libris ipsum, quod additum a Bentlejo, versuique non minus necessarium quam sententiae, habetur in A Berol. Frib. Ascens. 89. Ita Bentlejani, A et B Beroll., edd. vett. V.: Paululum. 90. hice. A Berol. hi, quae est minus consuetae formae interpretatio. Lindenbrog. liber vetus: hinc. V.: hic, quod nullam vim habet. Hic pronomen usitatum in vicinis et familiaribus. 92. his A Berol. Helmstad. Ascens. Frib.: hijs. B et C Beroll.: eis. V.: iis. 96. Frib.: an eo hoc fit. Bentl.: re in. V.: in re, quod versui minus convenit.

Sumus praepediti nimio, aut aegritudine?
Hic mihi nunc quanto plus sapit, quam egomet mihi!
C. Dissolvi me, otiosus operam ut tibi darem.
Syrus prehendendus atque adhortandust mihi. —
A me nescio quis exit. Concede hinc domum,
Ne nos inter nos h o c congruere sentiant.

## ACTUS III. SCENA II.

### CHREMES, SYRUS.

S. Hac illac circumcursa: inveniendum es tamen,
Argentum! intendenda in senem est fallacia.
C. Num me fefellit, hosce id struere? Videlicet
Est Cliniae ille servos tardiusculus:
Idcirco huic nostro tradita est provincia.
S. Quis hic loquitur? (Perii! numnam haec audivit?)
C. Syre! S. Hem!
C. Quid tu istic? S. Recte equidem. Sed te miror, Chreme,
Tam mane, qui heri tantum biberis. C. Nil nimis.
S. Nil narras? Visa vero est, quod dici solet,
Aquilae senectus. C. Heja! S. Mulier commoda et
Faceta haec meretrix.... C. Sane idem visa est mihi.
S. Et quidem hercle forma luculenta. C. Sic satis.

99. Ita Bentl. ex optimis codd. C Berol.: o c i o s i u s. V.: o c i u s. 100. Nostri MSS. Frib.: a p p r e h e n d e n d u s, idque invenerat etiam Calpurnius, qui tamen sic in nota posteriore: P r e h e n d e n d u s. Deest (?) a d. Sed ideo praetermisit, quia dicturus erat A d h o r t a n d u s. 102. h o c, in hoc, quod ad hoc attinet, sicut Graeci dicunt τȣ̃το pro κατὰ τȣ̃το, ellipsi perquam familiari in utraque lingua. Offecisse videtur voculae simile n o s: siquidem constat, et commutari inter se H et N, item h et n, litteras, et C pro S scribere solitos fuisse, praesertim in fine verborum: qua de re vid. Mabillon. de re diplom. ad seculum 10. Eam autem voculam inserere, labanti versui succurrentes, maluimus, quam vel admittere c o n g r u é r e secundum alteram declinationem, cujus usus, quamvis ἀναλόγȣ, exempla non suppeditant Guyetus et Muret., vel aliud verbum sufficere pro arbitrio cum Bentlejo, c o n s e n t i r e.

A. III. SC. II, 1. Codd. praeter A Berol., in quo copula omissa est: i n v. e s t t a m e n. Correxit Bentl. 4. V.: I l l e C l i n i a e s e r v. t a r d. e s t. Bentl.: I. C l i n i a i s. t a r d i u s c u l u s t; sed minus exploratae fidei est illa forma genitivi apud Terentium. Quare transpositione usus sum. 6. Malim: n u m n a m h i c a u d.? 7. S e d non habetur in quibusdam libris, quorum e numero sunt A Berol. Helmstad. Frib. Ascens. Alii, in his nostri, cum a Guelferbytano discesseris: d e m i r o r. Inde Bentl.: R e c t e e q u i d e m t e d e m i r o r. Verum sed illo eleganti aegre caruerim. 9. Helmstad.: q u a e d. s o l. 11. Ita codd. praeter Bemb., qui habet t i b i. V.: C. S a n e. S. I d e m v. e. t i b i? Sequimur Bentlejum. 12. A Berol.: E q u i d e m.

S. Ita, non ut olim, sed uti nunc, sane bona;
Minimeque miror, Clinia hanc si deperit.
Sed habet patrem quendam avidum, miserum, atque aridum,
Vicinum hunc; nostin'? At quasi is non divitiis
Abundet, gnatus ejus profugit inopia.
Scin' esse factum, ut dico? C. Quid ego ni sciam?
Hominem pistrino dignum. S. Quem? C. Istunc servolum
Dico adolescentis ... S. (Syre, tibi timui male!)
C. Qui passus est id fieri. S. Quid faceret? C. Rogas?
Aliquid repperiret; fingeret fallacias,
Unde esset adolescenti, quod amicae daret,
Atque hunc difficilem invitum servaret senem.
S. Garris. C. Haec facta ab illo oportebat, Syre.
S. Eho, quaeso, laudas, qui heros fallunt? C. In loco
Ego vero laudo. S. Recte sane. C. Quippe qui
Magnarum saepe id remedium aegritudinum est.
Huic jam mansisset unicus gnatus domi.
S. (Iocone, an serio ille haec dicat, nescio;
Nisi mihi quidem addit animum, quo lubeat magis.)
C. Et nunc quid expectat, Syre? An, dum hinc denuo
Abigat, cum tolerare illius sumtus non queat?
Nonne ad senem aliquam fabricam fingit? S. Stolidus est.

15. B Berol.: sed uti modo. Idem et C Berol.: bona est. 16. At conjungit, sicut Plaut. Aul. 13 etc. Nisi legendum sit: C. At quasi. S. Is nunc div. Abundat, etc. Ceterum A Berol.: atqui si is; B, C, Frib.: atque si is. Divitiis vel v liquescente pronuntiandum est, ut ditiis, quod ipsum ponebat Guyetus, sed sine exemplo; vel potius sic legendum quasi esset divitis, quemadmodum gratis dicitur pro gratiis, abit pro abiit, et similia pleraque, de quibus nuper ad Senecae Herculem furentem. 18. Ita Erasm. R. Stephan. Berg. etc., probante Guyeto. Helmstad. Frib.: Scisne. V.: Scis. Quid ego ni sciam? per tmesin Palmer. Lamp. Gruter. 4. p. 733, Bentl. C Berol.: quid enim ego nesciam? Helmst.: qui ego nesciam? V.: quid ego nesc.? 23. V.; amicae quod daret. Frib.: quod daret amicae. Potiore jam sede positum amicae. 26. Libri plurimi: oportebant, sicut oportent Andr. 3, 2, 1, quae non erat quod defenderet Guyetus. 27. quippe qui legitur in Frib. et antiquissimis libris, notumque est ex Plauto; quod verbum minus intelligentes fecere quippe quia. Schol. Bemb.: Παρέλκον: abundat qui. 29. Ita Guyet. Bentl. Libri vulgati, minus expedito versu: Jam huic. Vet. cod. Lindenbrog.: Nam huic. Guelf.: Jam primum huic. Legendum fortasse est: Namque huic, ut huic acuatur. 30. Ita Bentleji 2 codd. et A Berol. B: ille dicat. V.: illaec dicat. 33. Ita Bentl. V.: Abeat. Idem illius, et sic fere libri, non hujus, sicut vulgo.

C. At te adjutare oportet adolescentuli
Causa. S. Facile equidem facere possum, si jubes:
Etenim, quo pacto id fieri soleat, calleo.
C. Tanto hercle melior. S. Non est mentiri meum.
C. Fac ergo. S. At heus tu, facitodum eadem haec memineris,
Si quid hujus simile forte aliquando evenerit,
Ut sunt humana, tuus ut faciat filius.
C. Non usus veniet, spero. S. Spero hercle egó quoque;
Neque eo nunc dico, quo quidquam illum senserim;
Sed si quid, ne quid (quae sit ejus aetas, vides),
Et ne ego te, si usus veniat, magnifice, Chreme,
Tractare possim. C. De istoc, cum usus venerit,
Videbimus quid opus sit; nunc istuc age.
S. Nunquam commodius quidquam herum audivi loqui,
Nec, cum malefacere crederem mi inpunius
Licere. Quisnam a nobis egreditur foras?

## ACTUS III. SCENA III.

### CHREMES, CLITIPHO, SYRUS.

Ch. Quid istuc, quaeso? qui istic mos est, Clitipho? itane fieri oportet? i. t. h.
Cl. Quid ego feci? Ch. Vidin' ego te modo manum in sinum huic meretrici t. t.
Ingerere? S. Acta haec res est! perii! Cl. Mene? Ch. Hisce oculis: ne nega. t. t. c.
Facis adeo indigne injuriam illi, qui non abstineas manum: i. t.
Nam istaec quidem contumelia est, i. d.
Hominem amicum recipere ad te, atque ejus amicam subigitare. t. t.

48. quicquam dilucide C Berol. Ceteri soloece: Nunquam comm. unquam h. a. l. 49. Ita Muret. Bentl. Libri malefacerem.

A. III. SC. III, 1. Hoc metri genus et Plauto usitatum est, et hic invenitur etiam 13, 21; 3, 5, 13; 3, 6, 10; etc., nec causam video, cur ejusmodi versus habeantur potius pro trochaïcis tetrametris acat. 3. Ita Bemb. Guyetus: „Osculum," inquit, „ingerere apud Suetonium legitur." (oggerere osculum apud Plautum.) Seneca ad Marciam: „Ingeruntur lacerato pectori manus." Qui praefert vulgato Inserere, tanquam elegantius. Et recte. Sed eo vehementius quoque est, propterea que aptius irato seni. Guelf. non habet haec. 5. Eugraph.: Istae qu. contumeliae. Helmstad.: N. ist. cont est. 6. Guyet.: Subagitare seu subigitare hic non est ὀχεύειν,

Vel heri in vino quam immodestus fuisti! S. Factum. Ch. Quam molestus!
Ut equidem, ita me di ament, metui, quid futurum denique esset!
Novi ego amantis: animum advortunt graviter, quae non censeas. t. t. c.
Cl. At mihi fides apud hunc est, nil me istius facturum, pater. i. t.
Ch. Esto; at certe ut hinc concedas aliquo ab eorum ore aliquantisper. t. t.
Multa fert lubido; ea facere prohibet tua praesentia. t. t. c.
Ego de me facio conjecturam: nemo est meorum amicorum hodie, i. t. h.
Apud quem expromere omnia mea occulta, Clitipho, audeam. i. t.
Apud alium prohibet dignitas; apud alium ipsius facti pudet,
Ne ineptus, neu protervos videar. Quod illum facere credito;
Sed nostrum est intelligere, utcunque atque ubicunque opus est, obsequi.
S. Quid istic narrat? Cl. Perii! S. Clitipho, haec ego praecipio tibi?
Hominis frugi et temperantis functus officium! Cl. Tace, sodes! t. t.
S. Recte sane. Ch. Syre, pudet me. S. Credo; neque id injuria. t. t. c.
Quin mihi molestum est. Cl. Pergin'? S. Hercle verum dico quod videtur. i. t. h.
Cl. Nonne accedam ad illos? Ch. Eho, quaeso, una accedendi via est? t. t. c.

ut perperam accepit Eugraphius, sed protervius et nequius scortum attrectare. Itali dicunt strappazzar una donna. Plaut. Mil.: Neque egod unquam alienum scortum subigito in convivio. 7. in vino Bemb., Lindenbrogii Reg., Bentleji omnes, nostri A et C, item Frib. Αμετρον est, quod vulgo legitur, in convivio. Adscripsit explicator. 9. Sic Palmer., Bentl. V.: amantium. Minus usitatum priscis advertere pro animum advertere. 11. Ita Bentl. secundum 3 codd. vett. V. ut desideratur. 15. pudet Bemb. Berol. C, Guelf., neque aliter Bentl. Vulgus codicum ostendit piget. 16. Ita Guyet., cum in 3 MSS. invenisset Neu ineptus, ne prot. vid. V. ne legitur utroque loco. 17. V.: opus sit, quod ne latinum quidem est. Correxit Bentl. 21. Ita Bentl. V.: Cl. Pergis hercle? Bemb.: perdis, quod tuetur Guyetus: „id est," inquit, „enecas me, cum sic ab amica me prohibes." Sed non placet. 21. una acc. via est? id est, lascivia et protervia sola. Guyet., qui haec inserebat post accedendi.

S. Actum est: hic prius se indicarit, quam ego argentum effecero.
Chreme, vin' tu homini stulto mi auscultare? Ch. Quid faciam? S. Jube hunc i. t.
Abire hinc aliquo. Cl. Quo ego hinc abeam? S. Quo lubet. Da illis locum.
Abi deambulatum. Cl. Deambulatum? quo? S. Vah, quasi desit locus.
Abi sane istac, istorsum, quo vis. Ch. Recte dicit: censeo.
Cl. Di te eradicent, Syre, qui me hinc extrudis! S. At i. a.
Tu pol tibi istas posthac comprimito manus.

## ACTUS III. SCENA IV.

### SYRUS, CHREMES.

S. Censen' vero? Quid illum porro credis facturum, Chreme, t. t. c.
Nisi eum, quantum tibi opis di dant, servas, castigas, mones?
Ch. Ego istuc curabo. S. Atqui nunc, here, hic tibi adservandus est.... i. t.
Ch. Fiet. S. Si sapias: nam mihi jam minus minusque obtemperat.
Ch. Quid tu? ecquid de illo, quod dudum tecum, egisti, aut reperisti, t. t.
Syre, tibi quod placeat, an nondum etiam? S. De fallacia t. t. c.

28, 29. Bentl. cum in suis omnibus invenisset, quod et nos in A. Berol. Helmstad. Frib., istinc, et in duobus libris extrudas, ita haec digessit:

Cl. *Di te eradicent, qui istinc me extrudas, Syre!*
S. *At tu tibi istas posth. compr. m.*

Verum non est quod offendamur τῷ extrudis, neque repudiandum videtur pol, quod Bentl. quidem nusquam reperiebat, sed nos in omnibus, qui ad manum fuerunt, scriptis offendimus, versui illud quidem, prout in libris habetur, necessarium.

A. III. SC. IV, 1. Censen' vero? Familiaris compellatio, quasi dicas: Cogita modo! hoccine credidisses? quam inexpectatum hoc accidit! Cf. Ad. 4, 5, 26. Temere Clitiphoni tribuit Guyetus. 5 — 7. V., receptis in ordinem glossematis ἀμέτροις: — quod dudum tecum egi, egisti, Syre, aut Repperisti, — Dicis? est, inveni nuper quandam. Quidam codd. Faërni et A Berol.: Dicis? inventa est, unde superesse Guyetus censet insulsum istud est. Bentl.: — qu. dudum tecum egi, egisti, Syre, Aut est tibi, quod plac., a. n. e.? — Dicis? est etc.

Dicis? Est inventa nuper quaedam. Ch. Frugi es! Cedo, quid est?
S. Dicam; verum, ut aliud ex alio incidit. Ch. Quidnam, Syre?
S. Pessuma haec est meretrix. Ch. Ita videtur. S. Imo si scias.
Vah, vide, quod inceptet facinus. Fuit quaedam anus Corinthia
Hic; ei drachmarum haec argenti mille dederat mutuum.
Ch. Quid tum? S. Ea mortua est; reliquit filiam adolescentulam; i. t.
Ea relicta huic arrhaboni est pro illo argento. Ch. Intelligo. t. t. c.
S. Hanc secum huc adduxit, eam, quae est nunc ad uxorem tuam.
Ch. Quid tum? S. Cliniam orat, sibi ut id nunc det: illum ipsi tamen
Post daturum mille nummum. Poscit. Ch. Et poscit quidem? S. Hui.
Dubium id est? Ego sic putavi. Ch. Quid nunc facere cogitas?
S. Egone? Ad Menedemum ibo; dicam, hanc esse captam e Caria,

10. Vah vide Bentleji cod. Petrensis et B Berol. Etiam 2 Mediolanenses apud Guyetum: Vah, quod inceptat facinus. Vulgas librorum: Hoc vide. Frib.: Vide hoc. Scires, pronomen esse addititium. Sentimus cum Bentlejo et Zeunio. 11. Putine libri: Hic; huic drachm. haec arg. Ei, sicut Ea 12. 14. Ita Bentl. V.: ea quae, quod soloecum; nec placet codicum quorundam, in his Frib., scriptura eaque. Ad ux. plurimi, in his Reg. Guyeti et nostri praeter Guelf. V.: apud ux. 15, 16. Locus difficilior et procul dubio affectus, quem alii aliter emendare studuerunt. Legitur autem: — nunc det: illam illi tamen P. daturam m. n. Sed A Berol. Guelf. Frib. Ascens.: daturum, quamobrem posui etiam illum, quod illi respondeat, et ipsi pro illi, ne Antiphila intelligatur, sed Bacchis, cui Syrus decem minas, h. e. mille drachmas seu nummos, promiserat: vide 5, 8, 1. Commutari autem solent inter se haec pronomina. Bentlejus (alios ut omittamus) nimio conatu: illa (Antiphila) illi (Cliniae) tamen Post datum iri mille numum praes (arrhaboni) sit. Ch. Et praes sit quidem. In quibus post datum iri accipiendum est pro redditum iri, quod vix fieri posse arbitror. Neque probabiliter fingitur, meretricem id argentum reddere velle amatori, qui numerasse videtur ei mercedis annuae 20. minarum (vid. Plaut. Asin. 1, 3, 77 etc.) alterum dimidium, alterum adhuc debere, quod ipsum quoque Bacchis jam poscit praesente pecunia, ut videri quidem vult Syrus, et arrhaboni relinquere vult Cliniae Antiphilam, non pro eo argento, sed pro fide sua in praestanda per annum totum opera meretricia, quo anno elapso receptura nimirum est puellam oppigneratam.

Ditem et nobilem: si redimat; magnum inesse in ea lucrum.
CH. Erras. S. Quid ita? CH. Pro Menedemo nunc tibi ego respondeo:
Non emo. S. Quid ais? Optata loquere. CH. Atqui non est opus.
S. Non opus est? CH. Non hercle vero. S. Qui istuc, miror. CH. Jam scies.
Mane, mane: quid est, quod tam a nobis graviter crepuerunt fores?

## ACTUS III. SCENA V.

### CHREMES, SYRUS, SOSTRATA, NUTRIX.

So. Nisi me animus fallit, hic profecto est annulus, quem ego suspicor,
Is, quicum exposita est gnata. C. Quid volt sibi, Syre, haec oratio?
So. Quid? isne tibi videtur? N. Dixi equidem, ubi ostendisti, illico,
Eum esse. So. At ut satis contemplata modo sis, mea nutrix. N. Satis.
So. Abi nunc jam intro, atque, illa si jam laverit, mihi nuntia.
Hic ego virum interea opperibor. Sy. Te volt: videas, quid velit.
Nescio quid tristis est; non temere est. Metuo, quid sit. C. Quid siet?
Nae ista hercle magno jam conatu magnas nugas dixerit.
So. Hem, mi vir! C. Hem, mea uxor! So. Te ipsum quaero. C. Loquere, quid velis.
So. Primum hoc te oro, ne quid credas me advorsum edictum tuum

19. A Berol.: magnum in ea lucrum. Helmstad.: magn. ef esse lucrum. Frib.: m. in ea magnum (sic) esse l. Ascens., ut Bentleji omnes: m. in ea esse l. Ipse Bentl.: m. esse in ea re l. 21. Opt. loqu., benedicito, εὐφήμει. 22. Qui istuc C Berol., ut legitur apud Bentl. pro vulgato Quid istuc.
A. III. SC. V, 3. V.: Quid est? quod nihil aliud est quam glossema. Noti usus in prima oratione, qua aliquid quaeritur, Latinorum Quid? Graecorum Τί δέ; Τί δαί; Cf. Plaut. passim, Terent. Eun. 3, 1, 29. Phorm. 4, 1, 1 etc. 5. Ita Faërni et Bentleji omnes, Helmstad. Frib. V.: iam nunc. 7. Guelf.: Timeo. 9. Sic fere nostri. V. Ehem utroque loco, cum alterum metro magis conveniat. 10. C Berol.: Fr. id.

Facere esse ausam. C. Vin' me istuc tibi, etsi incredibile
est, credere? as. t. d. i. d.
Credo. Sy. Nescio quid peccati portat haec purgatio. t. t. c.
So. Meministin', me esse gravidam, et mihi te maxumo
opere interminatum, i. t. h.
Si puellam parerem, nolle tolli? C. Scio, quid feceris: t. t. c.
Sustulisti. Sy. (Sic si factum: dominae ergo herus damno
auctus est.) as. t. d. i. d.
So. Minume; sed erat hic Corinthia anus haud inpura;
ei dedi t. t. c.
Exponendam. C. O Jupiter, tantamne esse in animo inscitiam? as. t. d. i. d.
So. Perii, quid ego feci? C. At rogitas? So. Si peccavi,
mi Chreme: t. t. c.
Insciens feci. C. Id quidem ego, si tu neges, certo scio,
Te inscientem atque inprudentem dicere ac facere omnia:
Tot peccata in hac re ostendis. Nam jam primum, si meum
Imperium exsequi voluisses: interemtam oportuit;
Non simulare mortem verbis, re ipsa spem vitae dare.
At id omitto: misericordia, animus maternus; sino.
Quam bene vero abs te prospectum est, quod voluisti,
cogita.

12. portat Faërniani atque Bentlejani, item A et B Berol. Brunianus liber ap. Palmer. Lamp. Gruter. 4. p. 844: portendat. V.: portet, quod vix latinum. 13. Sic libri, cum a Bembino Victoriano et Guelferbytano discesseris, in quibus pro interm. legitur edicere, quod speciem glossematis habet subiecti versu 10. 15. Inepte libri vulgati: Sy. Sic est factum, domina. ergo h. d. a. est. Factum hoc ita scire Syrus non potuit. Quod animadvertens Acidalius in notis ad Vellejum Sostratae haec tribuit, legitque: domina ego (sum). Bentlejo autem hoc ponere visum est: Sic est f.: minor ergo herus d. a. est. Sed recte Guyetus: „Erusne, inquit, „Clitipho, an Chremes damno auctus est? nam utriusque servus Syrus dici potest. Clitiphonem Eugraphius intelligit, quod ei puella cohaeres venerit. Malim hic Chremetem accipi: filiarum enim dotes domos etiam opulentas exhauriunt.“ Apage igitur minorem herum, codicesque potius sequamur illos, in quibus legitur si sic factum est, quorum e numero librorum sunt A Berol. Helmstad. Ascens. Deinde legendum haud dubie est dominae ergo, h. e. dominae causa, propter dominam. Ceterum Guyetus non male: Idem Eugraphius τὸ damno auctus est nove positum hic putat; sed phrasis vetus est mactare malo, damno, infortunio, et similes: mactare autem est augere. 17. Sic fere codd., non tantam, ut Calphru. Bentl., merum illi trochaicum versum propinantes, quo nihil opus est. Frib.: tantamne esse a. i., exclusa praepositione. 18. At rogitas? etiam Frib. A Berol. et Helmstad.: at rogas? V.: Rogitas? Alterum majoris indignationis esse monet Bentl. 19. Libri bene multi: etsi. Glossema. 23. re ipsa. Malim reapse. 25. V.: — prosp. est! quid vo-

Nempe anui illi prodita abs te filia est planissume,
Per te vel uti quaestum faceret, vel uti veniret palam.
Credo id cogitasti: quidvis satis est, dum vivat modo.
Quid cum illisce agas, qui neque jus, neque bonum atque aequum sciunt?
Melius, pejus, prosit, obsit: nil vident, nisi quod lubet.
So. Mi Chreme, peccavi, fateor; vincor. Nunc hoc te obsecro,
Quanto tuus est animus gravior, tanto sit ignoscentior: as. t. d. i. d.
Ut meae stultitiae justitia tua sit aliquid praesidi. t. t. c.
C. Scilicet equidem istuc factum ignoscam; verum, Sostrata,
Mala docet te mea facilitas multa. Sed istuc, quidquid est,
Quaque occeptum est causa, eloquere. So. Ut stultae et misere omnes sumus
Religiosae, cum exponendam do illi, de digito annulum
Detraho et eum dico ut una cum puella exponeret;
Si moreretur, ne expers esset partis de nostris bonis.
C. Istuc recte: conservasti te atque illam. So. Hic est annulus.
C. Unde habes? So. Quam Bacchis secum adduxit adolescentulam . . . Sy. Hem!
C. Quid ea narrat? So. Ea, lavatum dum it, servandum mihi dedit.
Animum non advorti primum; sed postquam adspexi: illico
Cognovi, ad te exilui. C. Quid nunc suspicare, aut invenis
De illa? So. Nescio, nisi ex ipsa quaeras, unde hunc habuerit.

Iuisti? cogita. Quae est arena sine calce. Prosp. est pro subjunctivo positum graeco more, quem mirati librarii haec mutaverint. 29. Libri: illis. Recte Bentl.: illisce, ut syllaba -lis acuatur sequente enclitica. 32. V., nulla sententia: Q. t. est an. natu grav., ign. MS. Reg. Lindenbrog. et C Berol.: ignos. tanto sit. Helmstad.: tanto sit ign. B Berol. et Frib.: tanto ign. Margo codicis A: al'.: tanto esto ign., homoeoteleuto minus suavi. Bentl.: Q. tu me es annis grav., tanto es ign., cum satis esset tolli ἄμετρον glossema natu. 33. Ita Bentleji codd. Helmstad. Frib. Ascens. V.: in justitia, quod Anglus verebatur ne acciperetur pro similii injustitia. 35. Mala, malefacta. Perperam libri: Male. 36. V.: Qua hoc occ. est c., simul illatis istuc et hoc in una oratione, quo etiam Guyetus offendebatur. De causa ejus peccati se non quaerere ostendit Chremes 24. Eloquere Bentl. ex cod. Regio. V.: loquere. 40. Bentl. secundum suos: Hic is est ann. Sic etiam B, C, Beroll. Frib. Sed Helmstad. Ascens.: hic est is ann. V.: Is hic est ann., sicut vagari solent glossemata. Recte A Berol.: Hic est ann. 45. Ita Bemb. Guelf. Bentl. Zeun. B Berol.: nisi ut de ipsa. Alibi legitur: nisi ut ex ipsa. Nisi, sed, ut monet Bentl.

Si potis est reperiri. Sy. (Interii; plus spe video, quam volo.
Nostra est, si ita est.) C. Vivitne illa, cui tu dederas?
So. Nescio.
C. Quid renuntiavit olim? So. Fecisse id, quod jusseram.
C. Nomen mulieris cedo quod sit, ut quaeratur. So. Philtere.
Sy. (Ipsa est! Mirum, ni illa salva est, et ego perii.)
C. Sostrata,
Sequere me intro hac. So. Ut praeter spem evenit! Quam timui male,
Ne nunc animo ita esses duro, ut olim in tollendo, Chreme.
C. Non licet hominem esse saepe ita ut volt, si res non sinit:
Nunc ita tempus est, mi ut cupiam filiam; olim nil minus.

## ACTUS III. SCENA VI.

### SYRUS.

Nisi me animus fallit, haud a me multum aberit infortunium: i. t.
Ita hac re in angustum oppido nunc meae coguntur copiae,
Nisi aliquid video, ne esse amicam hanc gnati resciscat senex.
Nam quod de argento sperem aut posse postulem me fallere,
Nihil est; triumpho, si licet me latere tecto abscedere.
Crucior, bolum mihi tantum ereptum tam desubito e faucibus.
Quid agam, aut quid comminiscar? Ratio de integro ineunda est mihi.
Nil tam difficile est, quin quaerendo investigari possit. i. t. c.
Quid, si hoc sic incipiam? — Nihil est. — Quid si sic? — Tantundem egero. as. t. d. i. d.
At sic opinor. — Non potest. — Imo optume est! Euge, optumam habeo! i. t. h.

46. V.: spei, quae videtur esse interpretatio. 52. Codd. Beroll. B, C, Guelf. Helmstad. Frib. Ascens.: tollenda. A Berol.: tollendam. 54. est. Bentl.: fert.

A. III. SC. VI, 2. hac re. MSS. nostri praeter Guelf., Frib. Ascens. Calpurn.: hercle. 3. A Berol.: provideo. Glossema. Bentl.: aliqua (ratione). 4. A Berol.: fallere herum. 6. desub. ex nostris MSS. unus Guelf., ceteri: subito. Ascens.: mihi esse er. tam sub. Beroll. A et C: ex fauc. Guelf.: a fauc. 8. Sic A et C Beroll. et Helmstad. Ascens. miro prohibiet queat, quod si quis est qui tueatur, ei adoptandum erit, quod offert Frib., inquirendo. Sed neutro opus. V.: possiet. Versu catalectico transitus munitur ad aliud metri genus. 9. Sic A Berol. V.: Q., si hoc nunc sic inc.? Pro egero Bentl. ago, cum non agnosceret asynartetum. 10. optumam, ratio-

Retraham hercle, opinor, ad me idem illud fugitivum argentum tamen. i. t.

## ACTUS III. SCENA VII.

### CLINIA, SYRUS.

C. Nulla mihi res posthac potest jam intervenire tanta, i.t.e.
Quae mi aegritudinem adferat: tanta haec laetitia oborta est.
Dedo patri me nunc iam, ut frugalior sim, quam volt.
S. (Nil me fefellit: cognita est, quantum audio hujus verba.)
Istuc tibi ex sententia tua obtigisse laetor.
C. O mi Syre, audisti obsecro? S. Quidni, qui usque una adfuerim?
C. Cui aeque audisti commode quidquam evenisse? S. Nulli.
C. Atque ita me di ament, ut ego nunc non tam meapte causa
Laetor, quam illius, quam scio esse honore quovis dignam.
S. Ita credo; sed nunc, Clinia, age, da te mihi vicissim:
Nam amici quoque res est videnda, in tuto ut conlocetur:
Ne quid de amica nunc senex. C. O Jupiter!... S. Quiesce!
C. Antiphila mea nubet mihi! S. Siccine mi interloquere?
C. Quid faciam, Syre mi? Gaudeo. Fer me. S. Fero hercle vero.
C. Deorum vitam apti sumus! S. Frustra operam, opinor, sumo.
C. Loquere: audio. S. At jam hoc non ages. C. Agam. S. Videndum est, inquam,
Amici quoque res, Clinia, tui in tuto ut conlocetur.
Nam si nunc a nobis abis, et Bacchidem hic relinquis,
Noster resciscet illico, esse amicam hanc Clitiphonis.
Si abduxeris: celabitur itidem, ut celata adhuc est.
C. At enim istoc nihil est magis, Syre, meis nuptiis advorsum:

nem, viam, stropham, fallaciam etc. Habeo, teneo, inveni. Guyet. Ceterum nostri praeter Guelf., item Frib.: optime est. euge opt. habeo; et similiter cod. Brun. apud Palmer. Lamp. Gruter. 4. p. 743: euge optime habet. V.: imo optume. euge! habeo optumam.

A. III. SC. VII, 7. Bentl., versui prospiciens: Cuiquam aeque. Sed ferendum videtur Cui non liquescens. Commode Bemb. Victor. Bentl., alii. V.: commodi. Vetus cod. Palat. apud Pareum: evenire, quod arridebat Guyeto, sicut etiam multorum librorum lectio commodius. 9. Sic B Berol. V.: quam ego scio. 11. Bentl.: videndum, ut 16.

Nam quo ore adpellabo patrem? Tenes, quid dicam? S. Quidni?
C. Quid dicam? quam caussam adferam? S. Quin nolo mentiare;
Aperte, ita ut res sese habet, narrato. C. Quid ais? S. Jubeo:
Illam te amore et velle uxorem; hanc esse Clitiphonis.
C. Bonam atque justam rem oppido imperas et factu facilem;
Et scilicet jam me hoc voles patrem exorare, ut celet
Senem vostrum. S. Imo, ut recta via rem narret ordine omnem. C. Hem,
Satin' sanus es, aut sobrius? Tu quidem illum plane prodis:
Nam qui ille poterit esse in tuto, dic mihi? i. t.
S. Huic equidem consilio palmam do, hic me magnifice effero, t. t. c.
Qui vim tantae in me et potestatem habeam tantae astutiae,
Vera dicendo ut eos ambo fallam: ut, cum narret senex
Voster nostro, esse istam amicam gnati, non credat tamen.
C. At enim istoc pacto spem mihi rursum nuptiarum omnem eripis: i. t.
Nam dum amicam hanc meam esse credet, non committet filiam.
Tu fortasse, quid me fiat, parvi, dum illi consulas. t. t. c.
S. Quid, malum, me aetatem censes velle id adsimularier?

22. Post verbum patrem haec addita leguntur in codice A Berol.: dare mihi uxorem, Cum viderit me habere amicam? Glossema. 24. Bentl.: narrare, quod ad Jubeo referatur. Verum neque necesse est ita legi, neque tale quid audendum videtur sine auctoritate codicum. 29. Minus recte Bemb. et quidam apud Calpurnium: perdis. Cf., monente Bentlejo, 3, 1, 70, Hec. 4, 1, 50. 31. Helmstad.: Huic quidem, quod non deterius. 32. Qui. Helmstad.: Quod. Glossema. V. autem legitur Qui vim tantam. Malebat Bentl.: tantam astutiae. Sed vexat ὁμοιοτέλευτον. 33. V.: eos ambos, quod eodem nomine reprehendendum est. 35. V.: At enim spem ist. p. rurs. nupt. o. er., omisso mihi, quod post omnem habent B et C Beroll. Helmstad. Frib. Ascens., et verbo gravissimo spem ita eliso, ut vix audias; neque usurpato alio eoque vehementiore metro in tanto affectu. A Berol.: eripias. 36. dum sub ictu collocatum non eliditur. 37. V.: Tu fort., quid me f., parvi pendis. Libri Muret., quos immerito Guyetus contemnit, Reg. Lindenbrog., nostri praeter Guelf., Frib. Ascens.: parvi curas. Et pendis et curas glossema est, nec legendum cum Guyeto et Bentlejo fors pro fortasse, sed in parvi intelligendum facis, more Graecorum, de quo vid. Bos v. ποιεῖν. Scatet ellipsibus hic noster. 38. Male nostri praeter Guelf. et vett. edd., in his Frib. Ascens.: Q., m., me tandem censes etc.

Unus est dies, dum argentum eripio: pax! nihil amplius.
C. Tantum sat habes? Quid tum quaeso, si hoc pater resciverit?
S. Quid, si redeo ad illos, qui ajunt, quid si nunc coelum ruat?
C. Metuo, quid agam. S. Metuis? quasi non ea potestas sit tua,
Quo velis in tempore ut te exsolvas, rem facias palam.
C. Age, age, traducatur Bacchis. S. Optume ipsa exit foras.

## ACTUS III. SCENA VIII.

### BACCHIS, CLINIA, SYRUS, DROMO, PHRYGIA.

B. Satis pol proterve me Syri promissa huc induxerunt, i. t. c.
Decem minas quas mihi dare est pollicitus. Quodsi is nunc me
Deceperit: saepe obsecrans me, ut veniam, frustra veniet;
Aut, cum venturam dixero et constituero, cum is certo
Renuntiarit, Clitipho cum in spe pendebit animi:
Decipiam ac non veniam; Syrus tergo mihi pendet poenas.
C. Satis scite promittit tibi. S. Atqui tu hanc jocari credis;

39. eripio. Guelf.: efferto, quod fuisse videatur efficio. Cf. 5, 3, 23, ubi pro effecero scripti nostri et vett. edd.: effero, Helmst.: effro. Non displicet efficio cum per se, tum propterea quod eripis habetur in vicinis., 41. Guyet.: Notus est ex Aristotele et aliis ridiculus veterum timor de coeli casu, et Atlante coeli tibicine. 44. Optume ipsa exit foras. Recte haec conjungit Calpurnius: cf. Andr. 2, 1, 37, Eun. 5, 2, 66 etc. Vulgo distinguitur post Optume.

A. III. SC. VIII, 1. A Berol.: adduxerunt. 2. Decem minas quas pro dec. minae quas. Confert Guyet. Eun. 4, 3, 11, Plaut. Amph. 4, 1, 1, Capt. prol. 1; Bentl. 3, 5, 41, Andr. prol. Notum etiam Maronis illud Aen. 1, 573: Urbem quam statuo, vestra est. 4. Guyet.: Constituere ἐλλειπτικῶς dicitur pro constituere diem, horam etc. rei alicui agendae scilicet. Forense vocabulum videtur; quod a foro litium ad Veneris forum traductum est. Juvenalis (3, 12.): Huc, ubi nocturnae Numa constituebat amicae. — Certo Govean. Guyet. Bentl. alii. V.: certe. 5. Bentl.: Renuntiabit, ut pendebit, et id velle videatur Berolinensis B lectio Renuntiauit. Sed rectius est Renuntiarit: pendebit Clitipho, cum Syrus renuntiarit. 6. Ita Helmstad. Frib. V.: poenas pendet, minus bene collocato verbo poenas. 7. promittit, minatur. Virg. Aen. 2, 96: Promisi ultorem. Monuit Guyet. Male Calpurn.: Prom. Scilicet, venturam. Itidem recte criticus Andegavus: Hic, inquit, omnes interrogationis notam post credis ponunt; sed perperam. Subauditur fortasse. Tu hanc jocari credis fortasse; faciet revera, quod minatur, nisi caveo.

Faciet, nisi caveo. B. Dormiunt; pol ego istos commovebo.
Mea Phrygia, audistin', modo quam villam demonstravit
Charini... P. Audivi. B. Proxumam esse huic fundo ad dextram? P. Memini.
B. Curriculo percurre: apud eum miles Dionysia agitat.
S. Quid haec coeptat? B. Dic me hic oppido esse invitam, atque adservari;
Verum aliquo pacto verba me his daturam esse et venturam.
S. Perii hercle! Bacchis, mane; mane! quo mittis istam, quaeso?
Jube maneat. B. I! S. Quin est paratum argentum... B. Quin ego maneo.
S. Atqui jam dabitur. B. Ut lubet. Num ego insto? S. At scin' quid, sodes?
B. Quid? S. Transeundum nunc tibi ad Menedemum est, et tua pompa
Eo traducenda est. B. Quam rem agis, scelus? S. Ego? Argentum cudo,
Quod tibi dem. B. Dignam me putas, quam inludas? S. Non est temere.
B. Etiamne tecum hic res mihi est? S. Minume; tuum tibi reddo.
B. Eatur. S. Sequere hac. Heus, Dromo! D. Quis me volt? S. Syrus. D. Quid est rei? i. t.
S. Ancillas omnis Bacchidis traduce huc ad vos propere. i. t. c.
D. Quamobrem? S. Ne quaeras. Efferant, quae secum huc attulerunt.

8. Bene hic quoque Guyet.: pol ego. Ἀμέτρως libri: ego pol. 9. V.: audisti, modo iste homo quam v. d. Bentl. secundum meliores codd., quibuscum faciunt A Berol. Helmstad. Frib. Ascens.: audistin'. Sed hoc parum. Non ferendi tam horridi numeri in Terentio: Mea Phrygi|a, audi|stin m' d' i|ste homo. Atqui B et C Beroll. Helmstad. Frib. Ascens. non iste homo, sed homo iste. Tolle vagans glossema, mecumque in verbo demonstr. intellige aliquis, Graecorum more, τὶς suum subaudire solitorum, quem morem Latini imitantur. Vid. Plaut. Asin. 2, 4, 46. (Negat esse intus.) Curc. 4, 1, 7. (Ne nimio opere sumat operam, si quem conventum velit, ubi frustra Junt. et Ald.: qui quem c. v.), et quos praeterea ejus Comici locos laudavimus in editione majore ad Asin. 433. Sallust. Fragm. incert. §. 4: neque mox ingenuo corpori honestius quam pro vestra salute finem vitae fecerit. Cf. Horat. Sat. 1, 4, 79. 12. Sic plurimi codd., etiam nostri scripti et Frib. V.: Quid inceptat? A Berol.: observari. 14. istam nostri. V.: istanc quaeso, quod κακόφωνον. 16. iam Bentl. Habent e nostris Helmstad. Frib. Ascens. V. desideratur, ruente quidam versu. A Berol.: Atqui dab. tibi. 18. Ita Bemb. Alii libri, etiam nostri: Egon', quo metrum nonnihil impeditur.

Sperabit sumtum sibi senex levatum esse harunc abitu:
Nae ille haud scit, hoc paulum lucri quantum ei damni adportet.
Tu nescis id, quod scis, Dromo, si sapies. D. Mutum dices.

# ACTUS IV.

## SCENA I.

### CHREMES, SYRUS.

C. Ita me di amabunt, ut nunc Menedemi vicem
Miseret me, tantum devenisse ad eum mali.
Illancine mulierem alere cum illa familia?
Etsi, scio, hosce aliquot dies non sentiet:
Ita magno desiderio fuit ei filius.
Verum ubi videbit tantos sibi sumtus domi
Quotidiano fieri, nec fieri modum:
Optabit rursum, ut abeat ab se filius.
Syrum optume eccum. S. (Cesso hunc adoriri?) Hem. C. Quid est,
Syre? S. Te mihi jamdudum ipsum exoptabam dari.
C. Videre egisse nescio quid cum sene
De illo, quod dudum. S. Dictum factum reddidi.

25. hoc Bentl., habentque nostri. V. non legitur. Idem eji posuit pro vulgato ei, quod versui non sufficit.

A. IV. SC. I, 7. Quotidiano placuit Bentlejo, veteris usus adverbium, quod sententiae congruit magis quam vulgatum Quotidianos. 9, 10. Libri perversis numeris: — adoriri? C. Syre. Sy. hem.

C. *Quid est? S. te mi ipsum jamd. exopt. dari.*

Frustra Bentl.: exopto. Hem vocantis est. 11. Sic A Berol. V.: V. eg. jam nesc. Sed jam, quod versum onerat, adscriptum videtur ab aliquo interprete. 12. V.: — sene. S. De illo, quod dudum? dictum ac factum reddidi. Sed dicendum erat Chremeti, qua de re Syrum egisse putaret cum Menedemo. Cf. 3, 4, 5. Animadvertit hoc Guyetus, nec sine causa vulgatis quoque illis Dictum ac factum reddidi offensus est. Nam quod ait Eugraph.: Hoc est, cum dixisses, factum reddidi; quod voluit etiam librarius Frib., qui dedit dictum est, ac f. r.: est haec eorum explicatio, qui vel corruptissima interpretari utcunque malunt quam emendare. Nec tamen probo Guyeti rationem, secundum nescio quem librum vet., in quo scriptum erat dictum aut fact. r., hoc ponentis: — dudum dictum. S. at factum reddidi; quamvis recte moneat, reddidi dictum pro dixi,

C. Bonan' fide? S. Bona hercle. C. Non possum pati,
Quin tibi caput demulceam. Accede huc, Syre!
Faciam boni tibi aliquid pro ista re, ac lubens.
S. At si scias, quam scite in mentem venerit.
C. Vah! gloriare evenisse ex sententia?
S. Non hercle vero; verum dico... C. Dic, quid est.
S. Tui Clitiphonis esse amicam hanc Bacchidem
Menedemo dixit Clinia, et ea gratia
Secum adduxisse, ne tu id persentisceres.
C. Probe! S. Dic, sodes. C. Nimium, inquam. S. Imo sic; satis.
Sed porro ausculta, quid super fallaciae est.
Sese ipse dicit tuam vidisse filiam;
Ejus sibi complacitam formam, postquam adspexerit;
Hanc cupere uxorem. C. Modone quae inventa est? S. Eam;
Et quidem jubebit posci. C. Quamobrem istuc, Syre?
Nam prorsus nihil intelligo. S. Hui, tardus es!
C. Fortasse. S. Argentum dabitur ei ad nuptias,
Aurum atque vestem qui... tenes ne? C. Comparet?
S. Id ipsum. C. At ego illi non do, neque despondeo.

ut explicat Ascens., latinum sibi non videri. Quid multa? Legendum Dictum factum reddidi, h. e. Dictum illud tuum ad effectum adduxi; statim feci, quod jussisti. Ac sublectum existimo infra 5, 1, 31, et Andr. 2, 5, 7, ubi vid. annot. Sed proverbiale illud Dictum ac factum, vel potius Dictum factum, non est hujus loci. 14. Tibi cap. dem. Quod solet fieri his, qui placent, ut manus per caput tractu (tractim) ducta quasi quaedam videatur esse laudatio. Eugraph. 17. Vah admirantis est, ut passim. 18. Locus perperam acceptus. Quaerit Chremes, an evenerit jam ex sententia, quod doli Syrus struxerit. Censet autem jam evenisse. Quod negans servus verbis Non hercle, et additurus hoc vel quiddam simile verum (h. e. sed) dico, rem in eo esse ut efficiatur, interpellatur a sene impatiente, qui scire tandem cupit, quid rei sit. 21. Frustra Bentl.: Se eam traduxisse. 22. Sic Anglus secundum suos codd., neque aliter nostri. Imo sic; satis; Imo mediocriter bene (cf. 3, 1, 49.); satis probe, quod dixit Chremes. Vel uno tenore Imo sic satis, Imo satis (sic, ut dixisti,) probe. V.: Imo si scias. 23. Ita Bentl. secundum vet. codicem Lindenbrogii, nisi quod de se dedit quid. V.: quod superest fallaciae. 24. Dicit 3 Faërn. ex optimis et C Berol., quod recte Bentl. posuit pro vulgato dicet. Ceterum praeter necessitatem excudi jussit Se deinde dicit. 28. Ita Bentlejani, A Berol. Guelf. Helmstad. Frib. Ascens. V.: prorsum. Bentl.: Prorsus, inquit, abjecto s trochaeus est, ad Graeci metri normam. Intell. non eliditur propter interpunctionem (vid. not. ad Andr. 2, 2, 8.), ut opus non sit legi cum Bentlejo Vah, tardus es. 29. Sic Bentl. Codd. ἀμέτρως: ei. 31. Sic Helmstad. Frib. V.: neque (B et C Beroll. nec) do.

S. Non? quamobrem? C. Quamobrem, me rogas? Homini . . ., S. Ut lubet.
Non ego dicebam perpetuo illam illi ut dares;
Verum ut simulares. C. Non meum est simulatio.
Ita tu istaec tua misceto, ne me admisceas.
Ego, cui daturus non sum, ut ei despondeam?
S. Credebam. C. Minime. S. Scite poterat fieri,
Et ego hoc, quia dudum tu tantopere jusseras,
Eo coepi. C. Credo. S. Ceterum equidem istuc, Chremes,
Aequi bonique facio. C. Atqui cum maxume
Volo te dare operam ut fiat, verum alia via.
S. Fiat; quaeratur aliud. Sed illud, quod tibi
Dixi de argento, quod ista debet Bacchidi,
Id nunc reddendum est illi; neque tu scilicet
Eo nunc confugies: *Quid mea? num mihi datum est?*
*Num jussi? num illa oppignerare filiam*
*Meam me invito potuit?* Vere illud, Chreme,
Dicunt. Jus summum saepe summa est malitia.
C. Haud faciam. S. Imo aliis si licet, tibi non licet;
Omnes te inlautum esse in bene aucta re putant.
C. Quin egomet jam ad eam deferam. S. Imo filium
Jube potius. C. Quamobrem? S. Quia enim in hunc suspicio est
Translata amoris. C. Quid tum? S. Quia videbitur
Mage verisimile id esse, cum hic illi dabit;
Simul et conficiam facilius ego, quod volo.
Ipse adeo adest: abi, effer argentum. C. Effero.

32. Bentl.: Nam quamobrem? Helmstad.: Homini fugitivo. In C Berolinensi haec scripta ad marginem: homini. fugitivo darem, sive implicito meretricio amore? Cf. Calpurn. Lindenbrog. 32. perpetuo Bentleji codd. et nostri. V.: in perpetuum. Mire Bentl.: N. e. dic. serio, ut illam illi d. 33. Recte idem: meum. V.: mea. Cf. 5, 2, 39 etc. 36. Nostri omnes ἐμμέτρως: Ego. V. Frib. Ascens.: sim. 38. C Berol.: tanto opere. 40. Aequi b. f., Aequi et boni causa facio, ut recte explicat Guyetus. 42. Servo magis hoc conveniret: Fiet, quaeretur aliud. Certe Donat. ad Eun. 3, 2, 47: Faciam, inquit, vel Fiet diceret servus; liber vero (dicit) Fiat, tanquam et ipse jubeat sibi. 47. Ita Bentl., ut Adelph. 1, 1, 3. V.: Verum. 50. Libri et nulla sententia et pessumdato versu: O. te in lauta et bene acta parte putant. Reg. Bentleji: aucta. Brunianus apud Palmer. Lamp. Gruter. 4. p. 847: uncta. Helmstad.: O. te in lauta vita et b. apta p. p. Bentl., re et pte (parte) inter se commutata non inepte ratus: O. te in lauta esse et b. aucta re p. Sed bene aucta res minus quiddam est quam lauta. Et ut non sit, tamen haec ταυτολογικά. Putent, putarint. Modus potentialis. 55. Libri duris numeris: Et sim. conf. fac. ego, quod volo. Sequor Calpurnium et Guyetum.

## ACTUS IV. SCENA II.

### CLITIPHO, SYRUS.

C. Nulla est tam facilis res, quin difficilis siet,
Quam invitus facias. Vel me haec deambulatio,
Quam non laboriosa! ad languorem dedit;
Nec quidquam mage nunc metuo, quam ne denuo
Miser aliquo extrudar hinc, ne accedam ad Bacchidem.
Ut te quidem omnes di, deae, quantum est, Syre,
Cum tuo isto invento cumque incepto perduint!
Hujusmodi res semper comminiscere,
Ubi me excarnifices. S. Ibin' hinc, quo dignus es?
Quam paene tua me perdidit protervitas!
C. Vellem hercle factum: ita meritus. S. Meritus? quo modo?
Nae me istuc ex te prius audisse gaudeo,
Quam argentum haberes, quod daturus jam fui.
C. Quid igitur tibi vis dicam? Abiisti; mihi
Amicam adduxti, quam non liceat tangere.
S. Jam non sum iratus. Sed scin', ubi nunc sit tibi
Tua Bacchis? C. Apud nos. S. Non. C. Ubi ergo?
S. Apud Cliniam.
C. Perii! S. Bono animo es: jam argentum ad eam deferes,
Quod ei pollicitus. C. Garris. Unde? S. A tuo patre.
C. Ludis fortasse me? S. Ipsa re experibere.
C. Nae ego fortunatus homo sum! Deamo te, Syre.

A. IV. SC. II, 1. Frib.: Non est adeo fac. r. 2. Legendum fortasse: Quom, vel Cum, inv. f. 5. extrudar. Helmstad.: excludam, pro excludar. 6. Ita Guyet. Bentl. V.: deaeque, quod versus respuit. Cf. Eun. 2, 3, 10. 7. tuo isto Bentl. ex codd. antiquissimis; tuo isto Calpurn. Frib.: cum quod tu incepto B. et C. Beroll. et Frib. V.: Cum istoc inv. cumque incep. 8. Sic plerique codd. Guyeti, manu scripti praeter Guelferbytanum, item Frib. Accens. V., impeditis numeris: Hasce mihi res etc. 12. Ita Bentl. Libri ἄμετροι: Ibit hinc, quo decet. 13. audisse B. et C. Beroll., sicut Guyeti codd. plurimi tam scripti quam excusi. Bentl. secundum cod. Petrensem: Nae me istuc prius ex te audivisse g., minus quidem bene collocato verbo prius. V.: Nae me ist. ex te prius audivisse g., quod in metrum peccat. 14. Sic libri vett., et recte. Non liquescit dicam propter interpunctionem: vid. not. ad Andr. 3, 2, 8. abiisti, in urbem; vid. 1, 2, 17. Bentl. pro arbitrio: Quid t. v. dic.? adiisti mihi manum: Amicam etc. Hunc inter et sequ. versum Helmstad. haec habet sub persona Clitiphonis: Credendum te ex animo nihil irasci. Quae facile est judicare. 17. apud Clin. Malit Guyet.: ad Clin. Cf. 3, 4, 14. 19. Non pauci codd., quibus obtemperat Bentl.: Q. ei es poll. Glossema. 20. Libri affirmate: L. fort. me.

SY. Sed pater egreditur. Cave, quidquam admiratus sis,
Qua causa id fiat; obsecundato in loco;
Quod imperabit, facito; loquitur paucula.

## ACTUS IV. SCENA III.

### CHREMES, CLITIPHO, SYRUS.

CH. Ubi Clitipho est nunc? S. Eccum me, inque. CL. Eccum hic tibi.
CH. Quid re esset, dixti huic? S. Dixi pleraque omnia.
CH. Cape hoc argentum ac defer. S. It quid stas, lapis?
Quin accipis? CL. Cedo sane. S. Sequere hac me ocius:
Tu hic nos, dum eximus, interea opperiberis:
Nam nihil est illic quod moremur diutius.

## ACTUS IV. SCENA IV.

### CHREMES.

CH. Minas quidem jam decem habet a me filia, 1. 2.
Quas pro alimentis esse nunc duco datas.
Hasce ornamentis consequentur alterae.
Porro haec talenta dotis adposcet duo.

22. sequ. Varie turbatur hic in libris, nec recte vulgati sic:

— — — — deamo te, Syre.
SY. *Qua causa id fiat, cave quidqu. adm. sies.*
*Sed pater egr.; obsec. in loco;*
*Quod imperabit etc.*

Verba, sed non versus, justo ordine habet Helmstad. Sequor Muretum et Bentlejum. 24. loqu. pauc. Ne ex sermonibus tuis nascatur ulla suspicio. Eugraph.

A. IV. SC. III, 2. Ita Guyet. V.: rei, quod minus aptum metro. 7. illic, apud Menedemum. Eugraph.: „Nam nihil est ill. Pulchre adjectum, ut omnino suspicio tollatur, esse amicam Clitiphonis; siquidem non diu illic moraturus est." Legitur vulgo: tolleretur, non esse.

A. IV. SC. IV, 2. alimentis. Helmstad.: ortamentis. Eugraph.: „Quas pro hortamentis. Hoc est (?) nutrimentis. Hortatores enim dicuntur (?), qui equos nutriunt. Denique alia hortamentis, alia ornamentis contulit." H. e. vestimentis. Cf., quae laudat Bentl. loca, Plaut. Curc. 2, 3, 65, Stich. 2, 1, 18. Ceterum A et C Beroll. et Frib. dico pro duco, et sequ. versu Helmstad. Frib.: pro ornam. A vero Berol.: consequatur. Calpurn.: „alterae, totidem" (minae). 20 minae pretium ejusmodi mancipiorum (vide Adelph. 2, 2, 17 etc.), quo pretio emendam Chremes sibi putat a Bacchide Antiphilam. 4. Sic Helmstad., ut Bentl. excudi jussit. Ceteri libri apposcunt, vel apposcent. haec, Antiphila.

Quam multa injusta justa fiunt moribus!
Mihi nunc, relictis omnibus, quaerendus est
Aliquis, labore inventa mea cui dem bona.

## ACTUS IV. SCENA V.

### MENEDEMUS, CHREMES.

M. Multo omnium nunc me fortunatissimum
Factum puto esse, gnate, cum te intellego
Resipisse. C. Ut errat! M. Te ipsum quaerebam, Chreme.
Serva, quod in te est, filium et me et familiam!
C. Cedo, quid vis faciam? M. Invenisti hodie filiam.
C. Quid tum? M. Hanc uxorem sibi dari volt Clinia.
C. Quaeso, quid hominis es? M. Quid? C. Iamne oblitus es,
Inter nos quid sit dictum de fallacia,
Ut ea via abs te argentum auferretur? M. Scio.
C. Ea res nunc agitur ipsa. M. Quid narras, Chreme?
Imo haec quidem, quae apud me est, Clitiphonis est

5. Eugraph. minus perspicua sententia: justa injusta. Frigere enim videtur Bentleji explicatio, multa, sive justa, sive injusta, fieri moribus et in communi vita dominari. Sic autem Georg. Fabric. Guyet. Bentl. V. legitur: Q. m. injusta ac prava fiunt mor. 6. V.: M. n., relictis rebus, inveniundus est. Sed Eugraph.: „Siquidem nunc, relictis omnibus rebus, quaerendus mihi est aliquis, cui meo labore inventa dare possim, ut filiam meam ducat uxorem.“ Et Calpurn.: „Relictis omnibus. positis omnibus aliis negotiis.“ Quem omnibus, non rebus, invenisse in exemplaribus suis, liquido apparet. Eugraphium invenisse quaerendus, verisimile est cum propterea quod grammatici ipsis scriptorum verbis uti solent in interpretationibus, tum quia non adeo infans est Terentius, ut idem verbum intra spatium duorum versuum consequentium bis usurpet.

A. IV. SC. V, 1. Bentl. ex suis, quibuscum facit Helmstad.: me nunc, quod cur melius dicendum sit vulgata lectione, haud intelligo. Imo rectius me acui videtur quam nunc, siquidem, qui se ad miseriam natum crediderat (5, 1, 11), idem nunc sibi fortunatissimus videtur. 7. Ita Bentleji codd. et nostri, neque aliter Eugraph. et Calpurn. V., frustra onerato versu: quid tu hom. es? 10. Post hunc versum legitur: (A, C Beroll.: Chr.) Erravi. (B, C Beroll. Helmstad. Frib. Ascens.: Sic) res acta (est fere addunt libri vett.). quanta de spe decidi, quae 2, 2, 9. subiecta censet Bentl., abhorrentia illa quidem ab hoc loco, cum Menedemus versu demum 16. agnoscat errorem suum. Prorsus autem aberat hoc quidquid est versiculi a Bembino, et in Vaticano nihil ejus conspiciebatur praeter verbum Erravi, quod sapit glossema. Recte itaque haec deleverunt Faërn. et Bentl. 11, 12, 15. Eosdem duumviros doctissimos et hic secuti sumus. V. sic: C. Imo — Amica. M. ita ajunt. C. et tu credis?

Amica. C. Ita ajunt, et tu credis omnia.
Et eam ajunt velle uxorem, ut, cum desponderim,
Des, qui aurum ac vestem et alia, quae opus, conparet.
M. Id est profecto; id amicae dabitur. C. Scilicet,
Daturum. M. Vah, frustra igitur gavisus miser.
Quidvis tamen jam malo, quam hunc amittere.
Quid nunc renuntiem abs te responsum, Chreme,
Ne sentiat me sensisse atque aegre ferat?
C. Aegre? Nimium illi, Menedeme, indulges. M. Sine.
Inceptum est: perfice hoc mihi perpetuo, Chreme.
C. Dic convenisse, egisse te de nuptiis.
M. Dicam. Quid deinde? C. Me facturum esse omnia;
Generum placere; postremo etiam, si voles,
Desponsam jam esse dicito ... M. Hem, istuc volueram.
C. Tanto ocius te ut poscat, et tu, id quod cupis,
Quam ocissume ut des. M. Cupio. C. Nae tu propediem,
Ut rem video, istius obsaturabere.
Sed, haec utut sunt, cautim et paulatim dabis,
Si sapies. M. Faciam. C. Abi intro: vide, quid postulet.
Ego domi ero, si quid me voles. M. Sane volo:
Nam te scientem faciam, quidquid egero.

M. omnia. C. Et illam ajunt etc. Eam pro illam ipsi dedimus, quo lenius curreret versus, cum praesertim haec pronomina saepissime commutata inter se scirem in libris veteribus. 14. Sic A Berol. Ceteri libri: opus sunt. Quae sub ictu positum non liquescit. 16. Sic Erasm., Rob. Steph., Asulan., Berg., alii, probante Guyeto. V.: frustra sum igitur g. m. Sed vett. edd., in quibus Frib. et Ascens.: igitur sum, unde colligas, copulam esse supposititiam; quae quidem intelligenda est, ut passim. Daturum, Cliniam. Bentl.: Datum iri. M. ah, frustra sum i. g. m. 19. C Berol.: Ne sciat me sens. hoc. A Berol.: sens. haec. Fort.: Ne sentiat me hoc rescisse a. a. f. Sane haec non sponte sensit Menedemus, sed rescivit. Videtur r et f litterarum similitudo fucum fecisse librariis, ut pro rescisse scriberent sescisse, sessisse, sensisse. 26. V., scabris numeris: Desponsam quoque esse dic. C Berol. antecedente versu etiam jam, si voles. 28. Putide libri: Ut istam rem video, istius obs. Helmstad. et Frib. scio habent post propediem. 30. Ita Vatic., Bentl. C Berol.: S. haec ita ut sunt. V.: S. ututsi istaec sunt. 30. Plurimi libri, etiam nostri B, C, Helmstad. Frib. Ascens.: postulent, quod merito displicet Bentlejo. 31. Sane volo. Subintell. te. Guyet. 32. Plurimi libri, in his nostri praeter Helmstad., item scholiastae duo vett.: sciente.

# ACTUS V.

## SCENA I.

MENEDEMUS, CHREMES.

M. Ego me non tam astutum ac perspicacem esse, id
certo scio;
Sed hic adjutor meus et monitor et praemonstrator Chremes
Hoc mihi praestat: in me quidvis harum rerum convenit,
Quae sunt dictae in stultum, cautes, stipes, asinus, plumbeus.
In illum nil potest: exsuperat ejus stultitia haec omnia. i. t.
C. Ohe, jam desine deos, uxor, gratulando obtundere,
Tuam esse inventam gnatam, nisi eos tuo ex ingenio judicas,
Nihil ut credas intelligere, nisi idem dictum est centies. i. t.
Sed interim illic quid jamdudum gnatus cessat cum Syro? i. t.
M. Quos cessare homines ais, Chreme? C. Hem per tempus, Menedeme, advenis.
Dic mihi, Cliniae, quae dixi, nuntiastin'? M. Omnia. c. t. c.
C. Quid ait? M. Gaudere ad ea coepit, quasi qui cupiunt
nuptias.

A. V. SC. I, 1. Sic A Berol., nisi quod in eo libro legitur: atque persp. esse id certe scio. C quoque Berol. et Helmstad.: id certe. V.: — ast., neque ita persp. esse, certo sc. Bentl.: neque ita persp. esse, id scio. Non semel confusa atque et neque. 4. cautes codd. Guilelmii, quae vox, inquit Guyetus, hic placet magis quam (vulgatum) caudex, qui τῷ stipes idem prorsus notat. Cf. 44. Τὸ cautes habent Caesar, Plinius major et alii (prosa utentes), ne quis vocabulum poëticum esse arbitretur. 5. Pro stultitia Helmstad. et vett. quaedam edd.: astutia κατ' εἰρωνείαν. 7. eos Guyet. V.: illos, metro quidem impeditiore. 10. V.: Q. a. h., Chremes (nostri: Chreme), cessare? C. ehem, Mened., adv.? In Academico Bentleji non legebatur Chremes, et in altero ejus Regio verba per tempus habebantur, quae genuina esse non est quod dubitemus. Hem pro ehem A et C Beroll. etc. Ceterum hic redire clanculum videtur Syrus et audire senes inter se colloquentes, repitato autem versu 73. se abripere nuntiaturus Clitiphoni id, quod comperit. Alioqui hic non tam cito rescivisset. 12. V.: Gaud. adeo coepit. Sed B Berol.: G. adeo accepit pro adeoacepit, ut arbitror, eum o perscriptum addito a librariis correxisset, ut solet id genus hominum. ad ea, propter ea. Liv. 1, 7: ad desiderium; 9, 22. ad ducis casum; Horat. Epod. 9, 17. ex verissima Bentleji emendatione: Ad hoc frementes, etc. Bentl. secundum veterrimos suos: adeo occepit. Neque aliter Helmstad. Ascens. Frib. quoque: adeo o cepit, nisi id item ortum sit ex hac scriptura adeoacepit.

C. Ha ha hae. M. Quid rides? C. Servi venere in mentem Syri
Calliditates. M. Itane? C. Voltus quoque hominum fingit scelus.
M. Gnatum quod se adsimulat laetum, id dicis? C. Id. M. Idem istuc mihi
Venit in mentem. C. Veterator! M. Magis, si magis noris, putes,
Ita rem esse. C. Ain tu? M. Quin tu ausculta. C. Mane; hoc prius scire expeto,
Quid perdideris. Nam ubi desponsam nuntiasti filio,
Continuo injecisse verba tibi Dromonem scilicet,
Sponsae vestes, aurum, ancillas opus esse, argentum ut dares.
M. Non. C. Quid? non? M. Non, inquam. C. Neque ipse gnatus? M. Nil prorsus, Chreme.
Magis unum etiam instare, ut hodie conficerentur nuptiae.
C. Mira narras. Quid Syrus meus? ne is quidem quidquam? M. Nihil.
C. Quamobrem, nescio. M. Equidem miror, qui alia tam plane scias.
Sed ille tuum Syrus quoque idem mire finxit filium, ut
Ne paululum quidem suboleat, esse amicam hanc Cliniae.
C. Quid ais? M. Mitto jam osculari atque amplexari; id nil puto.
C. Quid est, quod amplius simuletur? M. Vah! C. Quid est? M. Audi modo.
Est in ultimis mihi conclave aedibus quoddam retro;
Huc est introlatus lectus; vestimentis stratus est.

17. Frustra Bentl., merum trochaicum effecturus: mane-dum. 20. Ita C Berol., optimae notae liber. V., invitis codd. vett.: Sp. vestem, aur. atque anc. Bentl.: Sponsae (voluit, opinor, Sponsai) aurum, vest., anc. 21. quid? non? C Berol. Calpurn. V.: quid non? Bentl.: qui non? 22. B Berol.: Mag. hoc unum. In Frib. unum non legitur. 24. Ita Guyet. Bentl. V.: C. Qu.? M. nescio. equidem etc. 25. B Berol.: Et ille. A Berol.: Syrus quoque: nam vulgo haec contrario ordine leguntur. Deinde nostri MSS. praeter Guelferbytanum, item Frib. Ascens.: tuus. A et B Beroll.: itidem. 26. V. ut hunc versum incipiunt. Quem pro trochaico habentes Faërn. et Bentl. metri gratia edidere subolat, quod in vetertimo quodam suo reperit Bentl. Atqui trochaicus si esset hic versus, praestaret legi paulum, quod habet C Berol. Sed antecedens versus cum haud dubie sit iambicus, talem hunc quoque esse, eadem sententia pertinente, consentaneum est.

C. Quid, postquam hinc sum egressus? M. Dictum factum huc abiit Clitipho.
C. Solus? M. Solus. C. Timeo. M. Bacchis consecuta est illico.
C. Sola? M. Sola. C. Perii! M. Ubi abiere intro, operuere ostium.
C. Hem, Clinia haec fieri videbat? M. Quidni? Mecum una simul. i. t.
C. Fili est amica Bacchis. Menedeme, occidi!
M. Quamobrem? C. Decem dierum vix mi est familia.
M. Quid? istuc times, quod operam amico dat suo?
C. Imo quod amicae. M. Si dat. C. An dubium id tibi est?
Quemquamne tam animo comi esse aut leni putas,
Qui se vidente amicam patiatur suam?
M. Quidni, quo verba facilius dentur mihi?
C. Derides merito. Mihi nunc ego suscenseo.
Quot res dedere, ubi possem persentiscere,
Ni essem lapis? quae vidi! Vae misero mihi!
At ne illud haud inultum, si vivo, ferent!
Nam jam... M. Non tu te cohibes? non te respicis?
Non tibi ego exempli satis sum? C. Prae iracundia,
Menedeme, non sum apud me. M. Tene istuc loqui?
Nonne id flagitium est, te aliis consilium dare,
Foris sapere et non tibi posse auxiliarier?
C. Quid faciam? M. Id, quod me fecisse aibas parum.

31. Libri fere: Dictum ac factum. Male quidem. Guyet.: Dictum factum, id est ἅμ' ἔπος, ἅμ' ἔργον, in continenti, subito. 37. Libri impedito versu: quod ille op. Guyet.: Operam amico dat suo, id est: amicum suum Cliniam cum amica ad se recipit, coena et hospitio accipit. 39. Sic meliores libri, quos exprimunt Rivius, Faërnus, Guyet. Bentl. V.: Q. an tam communi esse aut l. p. 42. V.: C. Der.? merito mihi etc. Bentl.: Der.? merito. Ut mihi etc. 43. dedere, fecere. Confert Guyet. Eun. 2, 3, 9. Sic pugnam dare, turbas dare et similia dicuntur. 44. Sic B Berol. Calpurn. V.: Nisi. 46. non te respicis? non tui, personae tuae, rationem habes? Cf. 1, 1, 18. Guyet. 50. V.: F. sap., tibi non posse aux. Neque aliter B et C Beroll. Sed non ferendi sunt tales numeri: Foris| sapere,| tibi non| posse au| xiliarier. Excidisse puto copulam, cui vicinae voces offecerint, qua copula inserta, ubi scripseris non tibi, neque adeo male habet pes iambicus saper' et, et ictu metrico juvantur opposita inter se verba graviora Foris et tibi. Bentl. secundum libros plurimos: Foris sapere, tibi non posse te aux., qua ratione Foris (F'ris) ita depreperatur, ut vix audias. 51. Bentl. ex uno Meadiano: quod tu me. f. aibas p. Sed eo tibicine non eget versus. Ἀνεκθλίπτως legendum est faciam propter interpunctionem. Vid. not. ad Andr. 2, 2, 8.

Hac, te esse patrem sentiat; fac, ut audeat
Tibi credere omnia, abs te petere et poscere:
Ne quam aliam quaerat copiam, ac te deserat.
C. Imo abeat multo malo quovis gentium,
Quam hic per flagitium ad inopiam redigat patrem:
Nam si illius pergo suppeditare sumtibus,
Menedeme, mi illaec vere ad rastros res redit.
M. Quot in hac re capies, nisi caves, incommoda!
Difficilem ostendes te, et post ignosces tamen;
Et id ingratum erit. C. Ah, nescis, quam doleam! M. Ut
lubet.
Quid, quod volo, ut illa nubat nostro, nisi quid est,
Quod mavis? C. Imo et gener et adfines placent.
M. Quid dotis dicam te dixisse filio?
Quid obticuisti? C. Dotis? M. Ita dico. C. Ah! M. Chreme,
Ne quid vereare, si minus: nil nos movet
Dos. C. Duo talenta pro re nostra ego esse decrevi satis; i. t.
Sed ita dictu est opus, si me vis salvom esse et rem et
filium, t. t. c.
Omnia bona mea me doti dixisse illi. M. Quam rem agis?
C. Id emirari te simulato, et illum hoc rogitato simul, i. t.

52. Frustra Bentl. secundum unum cod.: ut sentiat. Ascens.: F. te patr. esse censeat, fac aud. 55. Sic quidam codd., quos sequuntur Georg. Fabric. Guyet. Bentl. Guelf. et Frib.: I. a. multo malo potius qu. gent. V.: I. a. multo malo q. g. 57. Sic Bentl. secundum 2 codd., quibuscum sentit B Berol. V.: illi. 58. illaec δεικτικῶς: hoc enim dicens domum suam (parvulam fortasse: cf. 67.) in scena ostendit. Guyet. Eugraph.: Ad rastros (rem rusticam) sum non dolore (ut Menedemus), sed paupertate rediturus. 59. V.: Quot incommoditates in hac re accipies, nisi caves. Vett. libri fere: incommoda et capies; quod verbum Terentius frequentat. Duo codd. Lindenbrogii (neque aliter A Berol. Helmstad. Frib. Ascens.): Quot incommoda tibi in hac re capies. Bentl.: Quod incommodi tibi in h. re acc., n. c. 60. Ita Frib. V.: te esse, et ignosces tamen Post; et id ingratum. C. ah etc. 61. Lindenbrogii vet. cod., nostri MSS., Frib. Ascens.: et id erit ingratum. Helmstad.: quid dol., ut edidit Rivius, probante Guyeto. 62. V.: Quid hoc, quod volo (Guelf.: rogo). Glossema hoc est minus ἔμμετρον, quod sustulimus cum Goveano et Guyeto. 63. Vet. cod. Lindenbrog., nostri scripti praeter Guelf., item Frib. Ascens.: malis. 66. A Berol.: Frib. Ascens.: si est minus. B Berol.: si min. est. Glossema, C Berol.: si quid minus. Κακοφώνως autem libri vulgati: nil nos dos m. Frib.: dos nos. 68. et rem Guyeti codd. et vett. edd. V. et desideratur. 70. Sic B et C Beroll. et Frib. A Berol.: Idem mirari. Ascens.: admirari, τῷ Id omisso. Verbum Horatianum. V.: Id mirari.

Quamobrem id faciam. M. Quia ego vero, quam ob rem id facias, nescio. t. t. c.
C. Egone? ut ejus animum, qui nunc luxuria et lascivia
Diffluit, retundam et redigam, ut, quo se vortat, nesciat.
M. Quid agis? C. Mitte ac sine, me in hac re gerere mihi morem. M. Sino.
Itane vis? C. Ita. M. Fiat. C. Ac jam, uxorem ut arcessat, paret.
Hic ita, ut aequom liberos est, dictis confutabitur.
Sed Syrum... M. Quid eum? C. Egone? Si vivo, eum adeo exornatum dabo, as. t. d. i. d.
Adeo depexum usque, ut, dum vivat, meminerit semper mei, i. t.
Qui sibi me pro deridiculo ac delectamento putat. t. t. c.
Non (ita me di ament) auderet facere uni viduae mulieri, as. t. d. i. d.
Quae in me fecit.

## ACTUS V. SCENA II.

### CLITIPHO, MENEDEMUS, CHREMES, SYRUS.

Cl. Itane tandem quaeso est, Menedeme, ut pater t. t. c.
Tam in brevi spatio omnem de me ejecerit animum patris?
Quodnam ob facinus? quid ego tantum sceleris admisi miser?
Volgo faciunt. M. Scio, tibi esse hoc gravius multo ac durius,
Cui fit; verum ego haud minus aegre patior, idque nescio
Nec rationem capio, nisi quod tibi bene ex animo volo.
Cl. Hic patrem adstare ajebas? S. Eccum.

72. Libri quidam: illius. 73. Sic nostri praeter Guelferbytanum et plerique codd. Guyeti, qui probat. A vulgatis abest copula. 74. Sic tantum non omnes libri vett., Bentl. etc. V. ac non legitur. 76. Hic, Clitipho. Notus ejus pronominis usus in familiaribus et vicinis. 77. Bentl.: ego, si vivo, eum ad ex. d. Frib.: eum dabo, V. abest eum. 78. usque ut dum, Bentleji 3 optimi et Guelf. Reliqui nostri: usque dum: In vulgatis usque non habetur. Adeo dep. usque per tmesin pro adeousque dep. Frustra Bentl., dum effingere studet trochaïcum t. c.: pexum. Subinde mutari metra in tantis affectibus consentaneum est. 79. Sic meliores libri, Guyeti praesertim et Bentleji. V.: ridiculo. 80. Plurimi libri: facere haec. Alii, in his vulgati: haec fac. Scires, glossema esse haec, uni non in vulgatis, sed legitur in Helmstad. et Frib., quod superat modulum interpolatorum.

A. V. SC. II, 1. Sic fere veteres, Bentl. V. est non habetur. 5. Ita C Berol. V.: id qui nescio. Bentl. secundum Palmer: Lamp. Gruter. 4. p. 730: id qui, nescio, h. e. cur faciat Chremes, nescio.

## ACTUS V. SCENA III.

### CHREMES, CLITIPHO, SYRUS.

Ch. Quid me incusas, Clitipho? i. t.
Quidquid ego huius feci, tibi prospexi et stultitiae tuae. t. t. c.
Ubi te omisso vidi esse animo, et, suavia in praesentia
Quae essent, prima habere, neque consulere in longitudinem;
Cepi rationem, ut neque tu egeres, neque ut haec posses perdere. i. t.
Ubi, cui decuit primo, tibi non licuit per te mihi dare, t. t. c.
Abii ad proxumos tibi qui erant, eis commissi et credidi.
Ibi tuae stultitiae semper erit praesidium, Clitipho,
Victus, vestitus, quo in tectum te receptes. Cl. Hei mihi!
Ch. Satius est, quam te ipso herede haec possidere Bacchidem.
S. Disperii; scelestus quantas turbas concivi insciens!
Cl. Emori cupio. Ch. Prius, quaeso, disce, quid sit vivere.
Ubi scies: si displicebit vita, tum istoc utitor.
S. Here, licetne? Ch. Loquere. S. At tuto. Ch. Loquere. S. Quae istaec pravitas,
Quaeve amentia est, quod peccavi ego, id obesse huic? Ch. Ilicet!
Ne te admisce; nemo accusat, Syre, te; nec tu aram tibi,
Neque precatorem pararis. S. Quid ais? Ch. Nil suscenseo
Nec tibi, neque huic; nec vos est aequom, quod facio, mihi.

A. V. SC. III. 3. omisso. negligenti. Calpurn., qui confert Adelph. 5, 1, 45. Gloss. Phil.: omissiores, ἀνειμένοι, ἀνετώτεροι. Cfr. Guyet. et suavia etc. Aristot. Ethic. 1, 3: Ὁ νεανίσκος τοῖς πάθεσιν ἀκολουθικός ἐστι· κατὰ πάθος γὰρ ζῇ, καὶ μάλιστα διώκει τὸ ἡδὺ αὐτῷ καὶ τὸ παρόν. Guyet. 4. consul. in long., in futurum prospicere. Idem. 5. Cepi rationem. λόγον adscriptum in B Berol. Calpurn.: inveni modum. tu nostri praeter Guelf., item Frib. Ascens. V. abest. 14. Ita Bentl. Eugraph.: Quae istaec est. Calpurn.: Q. ista est. Helmst.: licet mihi? 17. Quid ais? quod mirantis est, legitur in B Berol. Helmstad. et vett. edd. V.: Q. agis? 18. Sic Bentleji codd. et nostri. Erasmi et Faërni Nec tibi, nec tibi. Quos ipse Bentl. sequitur.

## ACTUS V. SCENA IV.

### SYRUS. CLITIPHO.

S. Abiit. Vah, rogasse vellem! Cl. Quid? S. Unde mihi peterem cibum.
Ita nos abalienavit. Ibi jam esse ad sororem intelligo.
Cl. Adeon' rem rediisse, ut periclum etiam a fame mihi sit, Syre?
S. Modo liceat vivere, est spes. Cl. Quae? S. Nos esurituros satis.
Cl. Irrides in re tanta, neque me quidquam consilio adjuvas.
S. Imo et ibi nunc sum, et usque dudum id egi, dum loquitur pater,
Et, quantum ego intelligere possum... Cl. Quid? S. Non aberit longius.
Cl. Quid id ergo? S. Sic est: non esse horum te arbitror. Cl. Qui istuc, Syre?
Satin' sanus es? S. Ego dicam, quod mi in mente est; tu dijudica.
Dum istis fuisti solus, dum nulla alia delectatio,
Quae propior esset: te indulgebant, tibi dabant; nunc, filia
Postquam est inventa vera, inventa est causa, qua te expellerent.
Cl. Est verisimile. S. An tam ob peccatum hoc esse illum iratum putas?
Cl. Non arbitror. S. Specta aliud. Matres omnes esse filiis

A. V. SC. IV, 1. Frustra Bentl., versum asynartetum non agnoscens: Ab.? rog. vell. Cl. quid, Syre? S. unde m. p. c. 2. Sic fere codd., etiam nostri A, B Beroll. Helmstad. Frib. V.: alienavit. Deinde legitur: tibi (Helmst.: sibi; Frib.: alien. sibi: tibi iam etc.) iam esse ad s. i. Rectum ibi esse ad (apud) sororem. h. e. eam curare, illuc animum conferre. Cf. 3, 1, 63, infra 6 etc. Forte geminatum t in abal. Sic et 6. Frib.: et tibi. 3. Sic Reg. et Rubricat. Guyeti, Bentl. V.: etiam fame. 6. Ita Helmst. Calpurn. Ceteri quoque nostri: dudum egi. V.: usque id egi dudum, dum l. p., quod κακόφωνον. 7. non ab l., id, quod quaero, consilium. Jocus servilis. 8. horum, ex eis genitum. Eodem modo Graeci loquuntur. Isaeus: Φασὶ μὲν οὖν εἶναι Θρασυμάχου τὸν Νικοστράτου etc. Guyet. Cf. 19. Qui istuc Bentl. V.: Quid ist. 12. vera, non subdita, γνησία. Guyet. Bentl.: P. est inv., inventa vero est c., q. te exp. 13. V.: An tu ob. Non ita raro tu, tum, tam miscentur in libris. Bentl.: an tu ob pecc. hoc tam esse i. i. p.? 14. Ita C Berol., nisi quod habet aliud specta. V.: nunc al. sp., et esse 16. legitur post Solent, metro quidem ejus versus impedito.

In peccato adjutrices, auxilio in paterna injuria
Solent esse; id non fit. Cl. Verum dicis. Quid ergo nunc faciam, Syre?
S. Suspicionem istanc ex illis quaere; rem profer palam;
Si non est verum, ad misericordiam ambos adduces cito,
Aut scibis, cujus sis. Cl. Recte suades: faciam.

## ACTUS V. SCENA V.

### SYRUS.

Sat recte hoc mihi i. t.
In mentem venit: namque adolescens quam minima in spe situs erit,
Tam facillume patris pacem in leges conficiet suas. t. t. c.
Etsi haud scio, anne uxorem ducat, ac Syro nil gratiae. i. t.
Quid hoc autem? Senex exit foras. Ego fugio: adhuc quod factum est, i. t. c.
Miror, non jussisse illico abripi me. Ad hunc hinc pergam;
Eum mihi precatorem paro; nostro fide nihil habeo.

## ACTUS V. SCENA VI.

### SOSTRATA, CHREMES.

S. Profecto, nisi caves tu, homo, aliquid gnato conficies mali; i. t.
Idque adeo miror, quomodo tam ineptum quidquam tibi venire i. t. h.

17. Frustra Bentl.: — palam: aut, Si non est v. etc.

A. V. SC. V, 2. Recte Syrus existimat, quo minus speret Clitipho, tanto magis misericordia commotum patrem in filii leges pacem confecturum esse. Frustra Bentl. (de aliis ut taceam): Tam difficillume patris etc. 4. Inepte libri: Etiam scio. Gratulatur sibi de consilio illo honestus servus, etsi ipse detrimentum inde sit capturus. Cf. Adelph. 1, 3, 7 etc. Pro an vulgato MSS. fere: anne, quod aptum versui. Frib.: gratiae sit. A Berol.: grat. erit. 5. C. Berol.: ad hoc quod f. e.; A Berol. Frib. Ascens.: ob hoc; B Berol. a m. 1. et Helmst.: ab hoc. 6. V. nullis numeris: M., continuo non juss. abripi me. ad Menedemum hunc pergam. Codd. Bentleji et nostri A, B, C, Helmstad., item Frib. Ascens.: M. non juss. (C: me) illico (Guelf.: dico) arripi me. hinc nunc ad Men. p. Bentl.: M., non jusse (id pridem voluit Guyet.) me abr. hinc: nunc ad M. p. Menedemum ad hunc adscriptum est ab aliquo interprete: vid. not. ad 5, 1, 76. 7. Αμςτρως libri: — paro: seni nostro fidei nihil habeo. Bentl. ex cod. Reg.: seni nostro nil fidei hab. Seni est glossema.

A. V. SC. VI, 2. De metro vid. not. ad 5, 3, 1. V. versum ñ-

In mentem, mi vir, potuerit.

C. Pergin' mulier esse? nullamne ego rem unquam in vita mea t. t. c.
Volui, quin tu in ea re mi adversatrix fueris, Sostrata?
At si rogem jam, quid est quod peccem, aut quamobrem id facias: nescias. i. t.
In qua re nunc tam confidenter restas, stulta. S. Ego nescio?
C. Imo scis potius, quam quidem redeat ad integrum eadem oratio.
S. O iniquos es, qui me tacere de re tanta postules!
C. Non postulo; jam loquere. Nihilo minus ego hoc faciam tamen.
S. Facies? C. Verum. S. Non vides, ex ea re mali quantum excites. as. t. d. i. d.
Subditum se suspicatur. C. Ain' tu? S. Certe, inquam, mi vir. as. t. d. i. d. c.
C. Confitere. S. Au, obsecro te, istuc nostris inimicis siet! as. t. d. i. d.
Egon' confitear, meum non esse filium, qui sit meus? i. t.
C. Quid? metuis, ne non, cum velis, convincas esse illum tuum?
S. Quod filia est inventa? C. Non, sed, quo mage credendum siet,
Quod est consimilis moribus: i. d.

niunt voce quomodo. Verum aut in primis, aut in extremis sententiis clausulae inveniuntur apud hos scriptores, in mediis nunquam. 4. Sic fere MSS., Bentl. Vulgati libri: P. mul. odiosa esse? quae est interpretatio. 6. rogem A Berol. Frib. V.: rogitem. quid liquescit. facias pro vulgato faciam ponendum viderunt Guyet. Bentl. 8. Guyet. malebat sci. Sed ferri potest lectio vulgata, non item haec ante eadem, quod quidem (τὸ haec dico) abest a plerisque omnibus MSS. 9. O corripitur ante vocalem: vid. not. ad 2, 2, 159. Sic autem B Berol. V.: Oh, quod praecedenti versui addit Bentl. 11. Libri, male acuto quantum in posteriore syllaba (habetur autem versus pro trochaico t. c.): Non vides, quantum mali ex ea re exc.? 12. V.: C. Subditum? ain' tu? versu ὑπερμέτρῳ. Delevere Subd. Faërn. et Bentl. Deinde hic secundum codd.: Certe sic erit. Sed non sic libri nobis cogniti, et speciem glossematis habent verba sic erit. 13. Ita Bemb. V.: Conf. tuum non esse. Nostris libri vett. V. abest. 16. quo Bentleji codd. A Berol. Guelf. Bentl. V.: quod. 17. V.: Id quod est c. m. Id glossema est, praecedentibus adscriptum. Spuria quoque verba Convinces (Helmstad.: convinceas, h. e. convincas) — prohe, sublecta illa in praegressis. Leguntur autem post 18. in B Berol., in quo libro et alia hic turbata sunt.

[... facile ex te natum: nam tui similis est probe:
Nam illi nil viti est relictum, quin id itidem sit tibi; t. t. c.
Tum praeterea talem, nisi tu, nulla pareret filium.
Sed ipse egreditur quam severus! Rem cum videas: censeas.]

## ACTUS V. SCENA VII.

### CLITIPHO, SOSTRATA, CHREMES.

Cl. Si fuit unquam tempus, mater, cum ego voluptati tibi t. t. c.
Fuerim, dictus filius tuus tua voluntate: obsecro,
Ejus ut memineris atque inopis nunc te miserescat mei,
Quod peto ac volo, parentes meos ut commonstres mihi.
S. Obsecro, mi gnate, ne istuc in animum inducas tuum,
Alienum esse te. Cl. Sum. S. Miseram me! hoccine quaesisse, obsecro?
Ita mihi atque huic sis superstes, ut ex me atque ex hoc natus es:
Et cave posthac, si me amas, unquam istuc verbum ex te audiam.
Ch. At ego, si me metuis, mores cave in te esse istos sentiam.
Cl. Quos? Ch. Si scire vis, ego dicam: gerro, iners, fraus, helluo,
Ganeo, damnosus. Crede, et nostrum te esse credito.
Cl. Non sunt haec parentis dicta. Ch. Non, si ex capite sis meo
Natus, item ut ajunt Minervam esse ex Jove, ea causa magis
Patiar, Clitipho, flagitiis tuis me infamem fieri.

Ita Guelf. Bentl. B. Berol.: id idem. V.: quin sit et idem tibi. Caeterum corrupta est vox relictum; id quod sentiens Bentl. ... Affectum sit innatum. Malim redictum, saepius sive identidem dictum, qua potestate hoc verbum legitur apud Sidonium Epist. 9. circa med. 13. Vitium alicui dicere, nota phrasis ex Comico utroque.

A. V. SC. VII. 1. Sic A. Berol., nisi quod habet Si unquam fuit. V., numeris durissimis: Si unquam ullum fuit. 4. Ita Guyet., cum invenisset in Regio et Quadrato, quod nos item in nostris praeter Guelf.: quod peto aut volo, cum ao in at, deinde in aut mutatum esse, ut alibi saepius, non inepte existimasset. V.: q. p. et v. 6. Malo libri: quaesisti. Quaesivit Clitipho parentes; audivit Sostrata: cur igitur sciscitetur mulier, an id ille quaesiverit? Legendum Hoccine quaesisse, obsecro? quod mirantis est. Cf. Andr. 1, 5, 10, Adelph. ... etc. 7. Sic e Bentleji et nostri MSS. praeter A. Berol. V. ex posterius desideratur.

S. Di istaec prohibeant! CH. Deos nescio; ego, quod potero, sedulo.
Quaeris id, quod habes, parentes; quod abest, non quaeris, patri
Quomodo obsequare et serves, quod labore invenerit.
Non mihi per fallacias adducere ante oculos . . . ? Pudet
Dicere hac praesente verbum turpe; at te id nullo modo
Facere puduit. CL. Heu heu, quam ego nunc totus displiceo mihi!
Quam pudet! neque, quod principium capiam ad placandum, scio.

## ACTUS V. SCENA VIII.

### MENEDEMUS, CHREMES, CLITIPHO, SOSTRATA.

ME. Enimvero Chremes nimis graviter cruciat adolescentulum, t. t. c.
Nimis inhumane: exeo ergo, ut pacem conciliem. Optume
Ipsos video. CH. Ehem, Menedeme, cur non arcessi jubes
Filiam et, quod dotis dixi, firmas? S. Mi vir, te obsecro,
Ne facias. CL. Pater, obsecro, ut mi ignoscas. M. Da veniam, Chreme.
Sine te exorent. CH. Egon mea ut dem bona Bacchidi dono sciens? as. tod. i. d.
Non faciam. M. At id nos non sinemus. CL. Si me vis vivom, pater, i. t.

15. Sic unus Bemb. Ceteri: enitar sedulo. C Berol. etiam: ego quidem. Subaudiendum ἀπὸ κοινοῦ prohibebo. 17. Ita Bentl. V., corruptis numeris: et ut serves. Helmstadii, amissa copula: ut serves. 18. Non mihi etc. Subaudi puduit? Cf. 20. B Berol.: Num mihi. Frustra Guyet.: Nunc mihi. Bentl.: Ten' mihi. 20. Facere puduit Bemb. Guelf. et alii quidam libri; 3 Bentleji, B et C Beroll. Frib.: Puduit fac. V.: Piguit f. Deinde vulgati libri, errore tralaticio: Eheu. A et B Beroll. Helmstad. Frib. Ascens., neglecto simili: heu. 21. capiam Guelf. et Guyeti Rubricatus, neque aliud significat in Vaticano, Basilicano, Palatino aliisque libris Georg. Fabricii reperta lectio incapiam. Alii: incipiam, quod miror Bentlejo placuisse. V.: inveniam.

A. V. SC. VIII, 2. V.: Nimisque, correpta syllaba ante enclitieam; quod vitari solet. 5. B Berol.: obs. te mihi ign. Bentl. omisit ut. 6. Ita Bemb. 2 Bentleji, Guelf. Ceteri, quos versavimus: exorem. V.: exoret. Sequor adhuc Bentlejum. Sed quod delevit Egome (nam sic vulgo legitur), non probo. Emendandum erat, non delendum, agnoscendumque etiam hoc loco metrum illud asynartetum, quod toties usurpavit uterque Comicus. 7. Bentl., trochaïcum scilicet effecturus: at nos non sin. Frib.: vis vivum. V., deterioribus numeris: vivum vis.

Ignosce! S. Age, Chremes mi! M. Age quaeso, ne tam obfirma te, Chreme! t. t. c.
CH. Quid istic? Video non licere, ut coeperam, hoc pertendere. i. t.
M. Facis, ut te decet. CH. Ea lege hoc adeo faciam, si id facit, t. t. c.
Quod ego hunc aequom censeo. CL. Pater, omnia faciam: impera.
CH. Uxorem ut ducas. CL. Pater... CH. Nil audio. M. Ad me recipio:
Faciet. CH. Nil etiam audio ipsum. CL. Perii! S. An dubitas, Clitipho?
CH. Imo utrum volt? M. Faciet omnia. S. Haec, dum incipias, gravia sunt,
Dumque ignores; ubi cognoris, facilia. CL. Faciam, pater.
CH. Gnate mi, ego pol tibi dabo illam lepidam, quam tu facile ames,
Filiam Phanocratae nostri. CL. Rufamne illam virginem,
Caesiam, sparso ore, adunco naso? Non possum, pater.
CH. Heja, ut elegans est! Credas animum ibi esse. S. Aliam dabo.
CL. Imo, quandoquidem ducendum est, egomet habeo propemodum,
Quam volo... CH. Nunc laudo, gnate. CL. Archonidi hujus filiam.
S. Perplacet. CL. Pater, hoc nunc restat. CH. Quid? CL. Syro ignoscas volo,
Quae mea causa fecit. CH. Fiat. CANTOR. Vos valete et plaudite.

8. Guelf.: Ignosces. 10. Ita Bentl. Libri vett. fere: si id faciat. V.: si facit. 14. Helmstad.: Aut illam accipiat, aut me inimicum habebit, utrum volt. Glossema. 16. Chremeti haec recte tribuuntur in A Berol., non Sostratae, sicut vulgo. 18. Caesiam, caesiis oculis, γλαυκὴν, γλαυκῶπιν. — Quae hic sparso ore, uno verbo sparsa ἐλλειπτικῶς dicitur, pro notis rufis sparsa. Gallice: picotée de rousseurs. Guyet. 19. Eugraph.: elgans, prudens in discernendis puellis. Credas animum ibi (in Clitiphone) esse. Credas eum sapere, quem stultitiae accusavit pater. Nostri: Man sollte glauben, er hätte Geist. Perperam Guyet.: Cr. an. ibi esse, id est, ex ejus sermone colligas, ejus animum in spectandis puellarum formis occupatum esse. 20. Imo, quand. Bemb., probantibus Guyeto et Bentlejo. V.: Quid istic? (quod est aegre consentientis) quand. etc. Legitur quoque ducenda. 21. Nunc, qui adhuc semper eum vituperavit. Male haec sub Sostratac persona leguntur in vulgatis. Archonidis A et C Beroll. etc. Sed rectum Archonidi ab Archonides, sicut alibi Achilli, Ulixi, Euripidi.

Ignosce! S. Age, Chremes mi! M. Age quaeso, ne tam obfirma te, Chreme. t. i. c.

Cr. Quid istic? Video non licere, ut coeperam, hoc pertendere. i. t.

Cl. Facis, ut te decet. Cr. Ea lege hoc adeo faciam, si id facit, t. t. c.

Quod ego hunc aequom censeo. Cl. Pater, omnia faciam: impera.

Cr. Uxorem ut ducas. Cl. Pater... Cr. Nil audio. M. Ad me recipio:

Faciet. Cr. Nil etiam audio ipsum. Cl. Perii! S. An dubitas, Clitipho?

Cr. Imo utrum volt. M. Faciet omnia. S. Haec, dum incipias, gravia sunt,

Dumque ignores; ubi cognoris, facilia. Cl. Faciam, pater.

Cr. Gnate mi, ego pol tibi dabo illam lepidam, quam tu facile ames,

Filiam Phanocratae nostri. Cl. Rufamne illam virginem,

Caesiam, sparso ore, adunco naso? Non possum, pater.

Cr. Heja, ut elegans est! Credas animum ibi esse. S. Aliam dabo.

Cl. Imo, quandoquidem ducenda est, egomet habeo propemodum

Quam volo. S. Nunc laudo, gnate. Cl. Archonidi hujus filiam.

S. Perplacet. Cl. Pater, hoc nunc restat. Cr. Quid? Cl. Syro ignoscas volo,

Quae mea causa fecit. Cr. Fiat. Cantor. Vos valete et plaudite.

[illegible] Guelf.: Ignosce [illegible] Ita Bentl. [illegible] fere: si id faciat. [illegible] Aut illam accipiat, aut me [illegible] utrum volt. Glossema. 15. Chremeti haec [illegible] Bentl. [illegible] vulgo. [illegible] Chremeti haec [illegible] [illegible] sparso [illegible] in disce [illegible] [illegible] Nunc [illegible] [illegible] sed [illegible] Archonidi, Lin. [illegible] principiis

# P. TERENTI

# ADELPHI.

ACTA LUDIS FUNEBRIBUS AEMILI PAULI, QUOS FECERE Q. FABIUS MAXIMUS, P. CORNELIUS AFRICANUS. EGERE L. ATILIUS PRAENESTINUS, MINUTIUS PROTHYMUS. MODOS FECIT FLACCUS CLAUDI TIBIIS SARRANIS. FACTAE GRAECA MENANDRU. L. ANICIO M. CORNELIO COSS.

# PERSONAE.

MICIO, senex.
DEMEA, senex.
SANNIO, leno.
AESCHINUS, adolescens.
SYRUS, servus.
CTESIPHO, adolescens.
SOSTRATA, matrona.
CANTHARA, nutrix.
PAMPHILA, filia Sostratae.
GETA, servus.
HEGIO, senex.
DROMO, servus.

## PERSONAE MUTAE.

PARMENO, servus.
PSALTRIA.

## C. SULPITII APOLLINARIS PERIOCHA IN ADELPHOS.

Duos cum haberet Demea adolescentulos, i. s.
Dat Micioni fratri adoptandum Aeschinum,
Sed Ctesiphonem retinet. Hunc citharistriae
Lepore captum sub duro ac tristi patre
Frater celabat Aeschinus; famam quoque
Amoris in se transferebat; denique
Fidicinam lenoni eripit. Vitiaverat
Idem Aeschinus civem Atticam pauperculam,
Fidemque dederat, hanc sibi uxorem fore.
Demea jurgare et graviter ferre; mox tamen,
Ut veritas patefacta est, ducit Aeschinus
Vitiatam, potitur Ctesipho citharistria.

Versu 5. in libris legitur famamque ei numeris imperfectis. 7. Libri κακομέτρως: eripuit. 10. Ita codd. A et C Beroll. et Helmstad. Ascens.; B Berol.: ac jurgare. Vulgo copula desideratur. 12. Sic B Berol. Ascens. V.: citharistriam.

## M. ANT. MURETI

# ARGUMENTUM.

*Micio et Demea dissimillimo fratres ingenio fuere. Ille urbanam vitam secutus est, hic rusticam; ille caelebs vixit, hic uxorem duxit; ille ingenio lenissimo, hic asperrimo; ille mitis etiam in alienos, hic saevus etiam in suos; ille etiam in ira placidus, hic etiam citra iram ferox. Erant Demeae filii duo; ex quibus natu majorem Aeschinum sibi adoptavit Micio, eumque secum in urbe liberalissime indulgentissimeque educavit; minorem Ctesiphonem ruri secum severe inprimis ac restricte habuit pater. Aeschinus multas meretrices, patre ad omnia connivente, adamavit, multa convivia celebravit, quae denique juventus fert, ea omnia non libere modo, sed etiam licenter exercuit. Postremo usque eo progressus est, ut in virginem pauperculam quidem, sed bonam, bonis prognatam, Pamphilam nomine, quam mater Sostrata vidua sancte secum et pudice, ut poterat, educabat, noctu temulentus cum incidisset, vim ei attulit, gravidamque fecit; venit postea ad matrem illius, veniam petens, pollicensque, se puellam uxorem ducturum. Ea fide data et ignotum est et tacitum. Ctesipho cum in urbem interdum ventitaret, ipse quoque citharistriae cujusdam amore correptus est. Totam ejus rei famam, ne quia emanaret ac pervenerit ad Demeam, in sese Aeschinus transferebat. Tandem, cum leno, puellae dominus, aut pecuniam sibi, quanti ea erat, vellet in manum dari, aut se eam alii venditurum minitaretur, adductus in summam desperationem Ctesipho jam de relinquenda patria cogitabat; cum Aeschinus, re intellecta, qui nullo neque pudore teneretur, neque metu, domum lenonis per vim ingressus est, et ipsum et familiam contudit pugnis, puellamque per vim abreptam tradidit fratri. Spargitur tota urbe rumor. Venit Demea, Micionem objurgat, inclamat, testatur deos atque homines,*

*quod dissolutus, quod intemperans, quod vinosus, quod scortator, quod nullius bonae rei Aeschinus foret, omnem in Micione uno haerere culpam; diis gratias agere, quod ille saltem, quem ipse ruri haberet, frugi ac temperans esset, rei studeret et famae, illarum rerum nihil ne cogitaret quidem: tantum videlicet interesse inter suam et fratris disciplinam. Placat hominem, quantum in se est, Micio; jamque se ab eo expediverat, cum supervenit aliud, quod majores etiam tumultus excitaret. Raptam ab Aeschino citharistriam, perfertur ad matrem Pamphilae; quae quidem Pamphila ita erat ad pariendum vicina, ut jam e dolore laboraret. Quid faceret misera? Mutatum Aeschini animum, se vero filiamque suam proditas per summam perfidiam ac desertas putabat. Getam servulum, qui pauperem familiam solus, ut poterat, alebat, mittit ad Hegionem, puellae cognatum, jubetque ei rem, ut erat, exponere. Interea audierat Demea, suum quoque Ctesiphonem in raptione affuisse; jamque totus in fermento, ut ajunt, erat, cum ei Syrus, servus vaferrimus, mendaciolum adspergit: venisse quidem rure Ctesiphonem, sed venisse objurgatum Aeschinum, multa ei medio foro mala dixisse, deinde rediisse rus in praefecturam suam. Lacrymare gaudio Demea et gratulari sibi, quod unum saltem haberet, in quo exstaret paternae severitatis exemplum. Dum rus redit, incidit in Hegionem, a quo de constuprata per vim ab Aeschino Pamphila intelligit. Denuo commotus, dum fratrem, ut in eum iram evomeret, quaerit, obvium habuit mercenarium a villa, ex quo sciscitatus de filio accipit, non esse ruri. Redit ad Syrum; a quo ei rursus novum mendacium, velut offa in os, ne latraret, objicitur. Quaerit, ubi fratrem reperire possit; id vero ita indicavit Syrus, ut infelix senex, dum illius verbis fidem habet, nequidquam omne oppidum perreptaverit. Interea Micio, omnium ab Hegione certior factus, ipsemet ad mulieres profectus, jacentes jam et afflictas erexerat, labantes et dubias confirmaverat, tristitia ac moerore confectas recreaverat, pollicitus, se Aeschino Pamphilam uxorem daturum. Venit Demea: clamor, jurgium, convicia. Etiam eo praesente servulus quidam Ctesiphonem per imprudentiam nominat; ille cum subito per vim in aedes irrupisset, quem jampridem putabat ruri fodere, aut arare, aut aliquid ferre denique, eum accubantem cum amica et suaviter potitantem deprehendit. Ubi vero*

*tanta iracundia incitatus est, ut arderet. Satis illu vociferatus cum esset, tandem placida et composita Micionis oratione eo perducitur, ut, deposita vetere saevitia, benignus, affabilis, lepidus esse meditetur. Itaque ipso, non permittente tantum, sed etiam jubente, puerpera domum traducitur; fiunt nuptiae; lenoni numeratur argentum; Micio ipse Sostratam ducit uxorem; Hegioni datur, unde vivat; Syrus una cum Phrygia uxore manumittitur. Cum Micio ceterique omnes, sed tamen praecipue Micio, illam tantam, tam insperatam, tam subitam mutationem admirarentur; gravi et cordata oratione claudit fabulam Demea: si omnia profundere, si in omni libidine ac nequitia vivere, si totam rem helluationibus, scortationibus, largitionibus consumere libeat: nihilo id sua magis, aliquanto etiam minus, quo sibi minus aetatis supersit, quam aliorum interesse; sin corrigi se in loco et modice coërceri atque admoneri velint, eum esse se, qui id praestare possit. Permittuntur ei omnia. Ita fabula concluditur.*

---

# PROLOGUS.

Postquam poeta sensit, scripturam suam 1. s.
Ab iniquis observari, et adversarios
Rapere in pejorem partem, quam acturi sumus;
Indicio de se ipse et vos eritis judices,
Laudine an vitio duci factum oporteat.
*Synapothnescontes* Diphili comoedia est;
Eam *Commorientes* Plautus fecit fabulam.
In Graeca adolescens est, qui lenoni eripit
Meretricem in prima fabula. Plautus locum
Reliquit integrum; eum hic locum sumsit sibi
In Adelphos, verbum de verbo expressum extulit.
Eam nos acturi sumus novam. Pernoscite,

Prologi versu 4. legitur nullis numeris: Ind. de se ipse erit, vos er. j. Glossema est erit, quod intelligendum ἀπὸ κοινοῦ, et habetur in Helmstad. et Frib. 3. quam. eam, quam. Intell. ex superioribus scripturam. 5. Sic nostri MSS. praeter Guelferbytanum. Bentl. secundum Bemb. Victor. et 2 regios, versu parum modulato: factum id oporteat. V.: id factum op. Vagari solent interpretamenta. 9. Sic Helmstad. Frib. V.: eum Plautus locum.

Furtumne factum existumetis, an locum
Reprehensum, qui praeteritus negligentia est.
Nam isti quod dicunt malevoli, homines nobiles
Eum adjutare, adsidueque una scribere:
Quod maledictum illi vehemens esse existumant,
Eam laudem hic ducit maxumam, cum illis placet,
Qui vobis universis et populo placent,
Quorum opera in bello, in otio, in negotio,
Suo quisque tempore usust sine superbia.
Dehinc ne expectetis argumentum fabulae:
Senes qui primi venient, hi partem aperient,
In agendo partem ostendent. Facite, aequanimitas
Poëtae ad scribendum augeat industriam.

---

# A C T U S I.

## SCENA I.

### M I C I O.

Storax!.... Non rediit hac nocte a coena Aeschinus, I. 1.
Neque servolorum quisquam, qui advorsum iverant.

15. V.: Nam quod isti dicunt, et 17: Quod illi maledictum, τῷ quod eliso, qua duritie non est opus. 17. Legendum fortasse: isti, ut 15, cum praesertim sequatur de aliis dictum illis. 23, 24. Bentl.: partim. 25. — at in augeat pro longa est, quemadmodum ejusmodi syllabae verbales producuntur nonnunquam sequentibus vocalibus. Plaut. Men. 5, 5, 22: Potionis aliquid, priusquam percipit insania. Merc. 3, 4, 63: Cur istuc coeptas consilium? Ch. Quia enim me adflictat amor. Cf. Phorm. prol. 9, Hec. 3, 7, 13; Plaut. Capt. prol. 9 etc. Neque in verbis tantum proprie dictis id valet. Titinnius Gemina: Parasitos amovi, lenonem aedibus absterrui. Frequentior etiam ectasis interpunctione adjuvante, velut Capt. prol. 11. Cf. Wasii Senar. cap. 5, nos ad Plaut. Amph. 483. edit. majoris. Quod semel ea licentia usus videtur Terentius, nihil ad rem, neque auscultandum Bentlejo, ita haec interpolanti:

*— — Facite, aequanimitas*
*Bonitasque vestra adjutrix nostrae industriae*
*Poëtae ad scribendum augeant industriam.*

Tentabamus olim ipsi hoc: Poëtae adaugeat ad scrib. ind., neque nolebamus tum legi: Poëtis augeat ad sc. i.; nunc nihil mutamus.

A. I. SC. I, 1. Storax servus, praestolatum missus cum aliis Aeschino coenanti; qui servus cum appellatus non respondeat, ex eo neque ipsum neque Aeschinum adhuc domum rediisse intelligit senex. Non rediit — iverant? edd. quaedam, sed male. Correxere Guyet. et Bentl. 2. Ita Guyet. V.: ierant, quod versui refragatur.

Profecto hoc vere dicunt: si absis uspiam,
Aut ubi si cesses, evenire ea satius est,
Quae in te uxor dicit et quae in animo cogitat
Irata, quam illa, quae parentes propitii.
Uxor, si cesses, aut te amare cogitat,
Aut tete amari, aut potare atque animo obsequi,
Et tibi bene esse soli, cum sit sibi male.
Ego, quia non rediit filius, quae cogito!
Quibus nunc sollicitor rebus, ne aut ille alserit,
Aut uspiam ceciderit, aut praefregerit
Aliquid! Vah, quemquamne hominem in animo instituere aut
Parare, quod sit carius quam ipse est sibi!
Atque ex me hic non est natus, sed ex fratre. Is adeo
Dissimili studio est. Jam inde ab adolescentia
Ego hanc clementem vitam urbanam atque otium
Secutus sum, et, quod fortunatum isti putant,
Uxorem nunquam habui. Ille contra haec omnia:
Ruri agere semper vitam; parce ac duriter
Se habere; uxorem duxit; nati filii
Duo. Inde ego hunc majorem adoptavi mihi;
Eduxi a parvulo; habui, amavi pro meo;
In eo me oblecto, solum id est carum mihi.
Ille ut item contra me habeat, facio sedulo:
Do; praetermitto; non necesse habeo omnia
Pro meo jure agere; postremo, alii clanculum
Patres quae faciunt, quae fert adolescentia,
Ea ne me celet, consuefeci filium:

4. Sic Bentleji 4, A et B Beroll., Serv. ad Aen. 3, 430. V.: Aut ibi si. Ubi si, pro si ubi, id est sicubi, per anastrophen, ut monet Guyet. Ceterum Helmstad. tibi pro ea, in C autem Berol. omissum est. Abesse potest ea. 8. Sic meliores Faërniani et Bentlejani, item C Berol. V.: aut an. obs. B Berol.: Aut certe amari. 9. Ita scripsi, ut sibi acueretur. Bentl.: sibi cum sit. V.: cum sibi sit m. 11. Sic 3 Bentleji et Prib. V.: Et quibus. 12. Sic fere antiqui libri, in his A et B Beroll. V.: perfregerit. 13. Sic iidem libri, Faërn. Bentl. V.: animum. 15. Versus durissimus, sed consentientibus libris ferendus, nisi ita legendum sit, excluso sed, tanquam glossemate:

*— — — — sibi! Atque*
*Ex me non est, ex fratre hic natus. Is adeo* etc.

In verbis non est intelligendum ἀπὸ κοινοῦ natus. 16. Ita Bentl. V. verba Jam i. ab. ad. ad superiora referuntur. 18. quod, τὸ uxorem habere propter dotem magnam et liberos, ut explicat Bentl. isti, a quibus dissentio, ut qui expetendum non putem matrimonium. 25. item, carum, ut ego illum. contra, vicissim. Plaut. Mil. 2, 1, 23: Et illa illum contra; quem locum laudat Donatus. Cf. Eun. 47 sequ. Hec. 1, 1, 9 etc. 28. quae fert, quae capit, quibus obnoxia est adolescentia. Guyot. 29. V.: — filium. Nam qui

Nam qui mentiri aut fallere insuerim? Patrem
Audebit? tanto magis audebit ceteros.
Pudore et liberalitate liberos
Retinere satius esse credo quam metu.
Haec fratri mecum non conveniunt, neque placent.
Venit ad me saepe clamans: *quid agis, Micio?*
*Cur perdis adolescentem nobis? cur amat?*
*Cur potat? cur tu his rebus sumtum suggeris?*
*Vestitu nimium indulges! nimium ineptus es!*
Nimium ipse est durus praeter aequomque et bonum,
Et errat longe, mea quidem sententia,
Qui imperium credat gravius esse aut stabilius,
Vi quod fit, quam illud, quod amicitia adjungitur.
Mea sic est ratio et sic animum induco meum:
Malo coactus qui suum officium facit,
Dum id rescitum iri credit, tantisper cavet;
Si sperat fore clam, rursum ad ingenium redit.
Is, quem beneficio adjungas, ex animo facit;
Studet referre; praesens absens idem erit.

mentiri aut fallere insuerit patrem, aut (sic Helmstad. Frib.; nam vulgo aut sequenti versui annumeratur, corruptis quidem ejus numeris) Audebit, tanto magis audebit ceteros. Insuerit et audebit perperam componi sentientes Guyetus legebat: N. q. m. a. f. insueverit Parentem, tanto m. a. c., Bentl. non minus audacter pro insuerit posuit: ita ut fit. Nos unius litterae mutatione rem confecimus. Saepe autem m et t litterae finales commutatae inter se deprehenduntur in libris vett. Ita hoc loco scriptum insuerit pro insuerim, et apud Mart. Capellam p. 160. instituerit pro instituerim, quae non inepta explicatio est verbi insuerim. Horat. Sat. 1, 4, 105: Insuevit pater optimus hoc me, Ut fugerem etc. Et bene sibi respondent consuefeci et insuerim. Qui, cur. Patrem Audebit? tanto etc. h. e. si patrem fallere audebit, tanto magis audebit ceteros. Qui usus notissimus interrogationis. Cf. Gruter. ad Senecae Herc. fur. 552, Gronov. ad Agam. 526, nos ad Herc. fur. 577; infra quoque 1, 2, 38. etc. 35. Ἀμέτρως libri: clamitans. Emendavere Guyet. Bentl., alii. 38. V.: Vest. nimio ind. B Berol.; Vest. nimis ind. Valde efficax ejusdem verbi repetitio in irato; quod et respondens Micio arripit. Recte igitur 2 codd. Mediolanenses apud Guyetum: vestitu (h. e. vestitui) nimium indulges. 39. Ita Bemb. et B Berol. Alii: durus est, quod in durust Guyetus contrahebat. 40. C Berol.: Et errat multum. An hic quoque poëta dederat nimium, cujus glossema sit multum, ex usu veterum? Ἐπέχω. 46. Sic optimi libri. V. pravis numeris: rursus. 47. V.: ille, quem, temere asperato versu. Confundi solent haec pronomina. 48. V.: Studet par referre. Guelf.: Studet par pari ref. His glossematis elegantius est Studet referre (beneficium), quod placebat Guyeto pariter atque praesens absens ἀσυνδέτως, quod habent C Berol. et Frib., cum vulgo legatur pr. absensque.

Hoc patrium est, potius consuefacere filium
Sua sponte recte facere, quam alieno metu.
Hoc pater ac dominus interest. Hoc qui nequit,
Fateatur nescire imperare liberis.
Sed estne hic ipsus, de quo agebam? Et certe is est.
Nescio quid tristem video. Credo, jam, ut solet,
Jurgabit.

## ACTUS I. SCENA II.

### MICIO, DEMEA.

M. Salvom te advenire, Demea, i. s.
Gaudemus. D. Ehem, opportune! te ipsum quaerito.
M. Quid tristis es? D. Rogas me, ubi nobis Aeschinus
Siet, quid tristis ego sim? M. Dixin', hoc fore?
Quid fecit? D. Quid ille fecerit, quem neque pudet
Quidquam, nec metuit quemquam, neque legem putat
Tenere se ullam? Nam illa, quae antehac facta sunt,
Omitto; modo quid designavit! M. Quidnam id est?
D. Foris effregit atque in aedis inruit
Alienas; ipsum dominum atque omnem familiam
Mulcavit usque ad mortem; eripuit mulierem,
Quam amabat. Clamant omnes, indignissume
Factum esse. Hoc advenienti quot mihi, Micio,
Dixere! in ore est omni populo. Denique,
Si conferendum exemplum est, non fratrem videt
Rei dare operam ruri, parcum ac sobrium?
Nullum hujus factum simile. Haec cum illi, Micio,
Dico, tibi dico: tu illum corrumpi sinis.
M. Homine inperito nunquam quidquam injustiust,
Qui, nisi quod ipse fecit, nil rectum putat.

49. Helmstad. Frib.: patrum. 50. Hoc pater ac dominus interest. Hellenismus est: τουτῳ πατηρ καὶ δεσποτης διαφέρει, quod alias dicitur τούτῳ ὁ πατὴρ τοῦ δεσπότου διαφέρει. Noster Eun. (2, 2, 1.): stulto intelligens quid interest! Guyet. 52. Sic Donat. Faërn. Bentl. etc. V., depravatis numeris: se nescire. Helmstad.: nescire se. 53. Frib.: aiebam. V. autem libri: — agebam? Et certe is est, in quibus quid sibi velit Et conjunctio, non liquet; quam quidem et est commutari inter se solere, nemo nescit.

A. I. SC. II, 3. ubi nobis Aesch. siet, id est, quum habeamus filium Aeschinum. Guyet. 4. Dixin', hoc fore? Credo, jam, ut solet, jurgabit. (1, 1, 54.) Donat. 16. V.: ruri esse, malo correpto verbo Rei; nec juvant, qui: Rei op. dare. 19. Ita Bentl., cum vett. libri habeant injustius est. V. copula non legitur.

D. Quorsum istuc? M. Quia tu, Demea, haec male judicas.
Non est flagitium; mihi crede, adolescentulum
Scortari, neque potare. D. Non est? M. Neque foris
Effringere. Haec si neque ego neque tu fecimus,
Non siit facere egestas nos. Tu nunc tibi
Id laudi duces, quod tum fecisti inopia?
Injurium est: nam si esset, unde id fieret,
Faceremus. Et tu illunc tuum, si esses homo,
Sineres nunc facere, dum per aetatem licet,
Potius quam, ubi te expectatum ejecisset foras,
Alieniore aetate post faceret tamen.
D. Proh Jupiter, tu, homo, adigis me ad insaniam!
Non est flagitium, facere haec adolescentulum?
M. Ausculta, ne me obtundas de hac re saepius.
Tuum filium dedisti adoptandum mihi;
Is meus est factus: si quid peccat, Demea,
Mihi peccat; ego illi maxumam partem feram.
Obsonat? potat? olet unguenta? De meo.
Amat? Dabitur argentum, dum erit commodum.
Ubi non erit: fortasse excludetur foras.
Foris effregit? Restituentur. Discidit
Vestem? Resarcietur. Et, dis gratia,
Est, unde haec fiant, et adhuc non molesta sunt.
Postremo aut desine, aut cedo quemvis arbitrum:
Te plura in hac re peccare ostendam. D. Hei mihi!
Pater disce esse ab illis, qui vere sient.
M. Natura tu illi pater es, consiliis ego,

23: Libri uno tenore: — potare: non est; neque etc. vehementius quidem quam pro ejus moribus expostulante Micione, et audiente Demea patientius quam solent irati atque imperiti. Cf. 33, ubi verbum suum Demea repetit, more iratorum. 25. Frustra Bentl. secundum Bemb.: Non siit egestas. V.: N. sivit egestas fac. nos. Meliore loco posui verbum gravissimum egestas. 26. Hoc Bentl. ex uno Regio. V.: ducis. Etiam interrogari haec, secus ac vulgo fit, intellexit Anglus sagacissimus. 34. V.: M. Ah, ausculta, quod item vehementius quam pro ingenio Micionis. Recte senex commotior 48: Ah, si pergis, abiero! Exaratum forte aausculta pro ausculta peperisse nobis videtur interjectionem, quae per simplex *a* scripta nonnunquam deprehenditur in libris. 37. illi, ibi, in ea re, in peccatis Aeschini. Guyet. secundum Donatum. 38. De meo, De meo obsonat, potat, ungitur. Male 2 MSS. Mediolanenses apud Guyetum: de meo est. 39. Sic Helmstad. et Frib., ut legi voluit Guyetus. V.: Dabitur a me arg., pessime correpto verbo Amat? 42. Perverse libri: Est, dis gratia, Et unde h. f. 46. illis fere codd.; sient Palmer. Lamp. Gruter. 4. p. 729, Guyet., Bentl., cui placuit etiam vere. V.: Pater esse disce ab aliis, qui vere sciunt (esse).

D. Tun' consulis quidquam? M. Ah, si pergis, abiero!
D. Siccine agis? M. An ego totiens de eadem re audiam?
D. Curae est mihi. M. Et mihi curae est; verum, Demea,
Curemus aequam uterque partem, tu alterum,
Ego item alterum. Nam ambos curare propemodum
Reposcere illum est, quem dedisti. D. Ah, Micio!
M. Mihi sic videtur. D. Quid istic? Tibi si istuc placet:
Profundat, perdat, pereat. Nihil ad me attinet.
Jam si verbum ullum posthac. M. Rursum, Demea,
Irascere? D. An non credo? repeton', quem dedi?
Aegre est; alienus non sum. Si obsto: hem, desino!
Unum vis curem? Curo, et est dis gratia,
Quom ita, ut volo, est. Iste tuus ipse sentiet
Posterius. Nolo in illum gravius dicere.

## ACTUS I. SCENA III.

### MICIO.

Nec nil neque omnia haec sunt, quae dicit; tamen
Nonnil molesta haec sunt mihi; sed ostendere,
Me aegre pati, illi nolui: nam ita est homo:
Cum placo: advorsor sedulo et deterreo;
Tamen vix humane patitur. Verum si augeam,
Aut etiam sim ejus adjutor iracundiae:
Insaniam profecto cum illo. Etsi Aeschinus
Nonnullam in hac re nobis facit injuriam.
Quam hic non amavit meretricem, aut cui non dedit
Aliquid? Postremo nuper (credo, jam omnium
Taedebat,) dixit velle uxorem ducere.
Sperabam, jam defervisse adolescentiam:
Gaudebam: Ecce autem de integro! Nisi, quidquid est,
Volo scire atque hominem convenire, is ad forum est.

56. ullum MS. Reg. Lindenbrogii, libri Bentlejani et A. Berol., Bentl. V.: unum. Conferri jubet Bentl. Andr. 1, 5, 21. Eun. 1, 2, 8. 57. credo? Aeschinum. Inepte legitur credis, quod male habebat etiam Palmerium. Guyetus delebat verba Rursum — credis?

A. I. SC. III, 4. Cum placo. Id est, cum volo placare. Donat. 5. MS. G. Canteri Nov. Lect. 7, 12: Tamen inhumane p. — augeam, laudem. 6. ejus μονοσυλλαβον hoc loco sicut passim apud Comicos. V.: Aut etiam adj. sim ejus ir., voce adjutor deteriore loco collocata. 14. Ita Guyet. Libri numeris non optimis: si apud f. est.

# ACTUS II.

## SCENA I.

### SANNIO, AESCHINUS,
### PSALTRIA, PARMENO servus, personae mutae.

Obsecro, populares, ferte misero atque innocenti auxilium! t. t.
Subvenite inopi! Ae. Otiose nunc iam illico hic consiste.
Quid respectas? Nil pericli est: nunquam, dum ego adero, hic te tanget.
S. Ego istam invitis omnibus! i. d.
Ae. Quanquam est scelestus: non committet hodie unquam, iterum ut vapulet. t. t. c.
S. Aeschine, audi, ne te ignarum fuisse dicas meorum morum, t. t.
Leno ego sum. Ae. Scio. S. At ita, ut usquam fuit fide quisquam optuma. t. t. c.
Tu quod te posterius purges, hanc injuriam mihi nolle t. t.
Factam esse; hujus non faciam. Crede hoc, ego meum jus persequar, t. t. c.
Neque tu verbis solves unquam, quod mihi re maleferis.
Novi ego vestra haec: *Nollem factum; Jusjurandum dabitur, te esse* t. t.
*Indignum hac injuria*, ego cum indignis sim acceptus modis. t. t. c.
Ae. Abi prae strenue ac forem aperi. S. Ceterum hoc nihili facis? i. t.
Ae. I intro jam nunc tu. S. At enim non sinam. Ae. Huc accede, Parmeno!

A. II. SC. I, 2. Otiose — tanget. Alloquitur fidicinam, vi abductam a lenone, qui jam secutus Aeschinum impedire conatur, quominus eam in Micionis domum deducat: unde altera rixa oritur, ut monet Faërn. 9. hujus δεικτικὸν est: aut enim stipulam, aut floccum moverat, aut summum digitum. Donat. 12. V.: Ind. injuria hac, indignis cum egomet sim acc. m. Verum et insolens est, iambicum tetram. inferri post ejusdem moduli trochaïcum, nec placet Bentleji ratio, primam syllabam hujus versus praegresso annumerantis. Guelf.: ego, quod poni voluit etiam Guyetus. 13. Recte Bentl.: A. prae strenue, non praestrenue, ut fere libri. Sic etiam Guyet. Item recte Bentl.: forem, cum fores vulgatum metro officiat. V. quoque nihil. Legi etiam nihili, monet Donat., quod genuinum esse Guyetus intellexit. 14. tu, fidicina. Habent pronomen MSS.

Nimium istuc abiisti. Hic propter hunc adsiste. Hem, sic volo. t. t. c.

Cave nunc jam oculos a meis oculis quoquam demoveas tuos:

Ne mora sit, si innuerim, quin pugnus continuo in mala haereat. as. t. d. i. d.

S. Istuc volo ergo ipsum experiri. Ae. Hem serva: omitte mulierem! — S. O i. t.

Facinus indignum! Ae. Geminabit, nisi caves. S. Hei misero mihi! as. t. d. i. d.

Ae. Non innueram; verum in istam partem potius peccato tamen. t. t. c.

I nunc.

## ACTUS II. SCENA II.

SANNIO, AESCHINUS.

S. Quid hoc rei est? regnumne, Aeschine, hic tu possides?

Ae. Si possiderem, ornatus esses ex tuis virtutibus.

S. Quid tibi rei mecum est? Ae. Nil. S. Quid? nostin qui sim? Ae. Non desidero.

S. Tetigin' tui quidquam? Ae. Si attigisses: ferres infortunium.

S. Qui tibi magis licet meam habere, pro qua ego argentum dedi?

Responde! Ae. Ante aedis non fecisse melius erit convicium.

Nam si molestus perges esse: jam intro abripiere atque ibi

Usque ad necem operiere loris. S. Loris liber? Ae. Sic erit.

omnes nostri, Frib. Ascens. etc. Vulgo abest. Huc Guelf., quod vulgato illuc praestare sensit Guyetus propterea quod sequitur hic adsiste. 15. Istuc Frib. Ascens. etc., quod merito Guyetus probat. V.: istoc. 18. Hem, serva Parmenoni dicitur. 19. O fac. ind. — Hei mis. mihi! Haec dicens leno vapulat. Bentl. cum in suis invenisset, quod et nos in Berolinensibus Frib. Ascens., hoc: O miserum fac. Ae. gem., nisi cav. S. hei miseriam! edidit: O fac. miserandum! Ae. g., n. c. S. hei miseriam! Frib.: hei miserum. Hei misero mihi legit etiam Donatus. 20. Ἀμέτρως libri: ver. in istam p. potius p. t. Donat.: In ist. p. pot. p. Ut verberes non jussus potius quam jussus non verberes.

A. II. SC. II, 2. Orn. esses. Εἰρωνικῶς dicta sunt κατ' ἀντίφρασιν, i. e. ἠτιμάζου, ἐζημιοῦ. ex tuis virt. ex vitiis et sceleribus tuis. Guyet. 6. V.: erit mel. hic conv. Quidam libri apud Guyetum et Helmstad. Ascens.: hoc conv. Et hic et hoc adscriptum explicationis gratia. Quod sensit Guyet. 7. Ita Guelf. V.: pergis. 8. loris. lororum notis, vibicibus ex lororum percussione. — Op. lor. hic dicitur, ut ap. Plautum Cas. impleri

S. O hominem impurum! hicine libertatem aiunt esse aequam omnibus?

Ae. Si satis jam debacchatus es, leno, audi, si vis, nunc jam.

S. Egon' autem debacchatus sum, an tu in me? Ae. Mitte ista atque ad rem redi.

S. Quam rem? quo redeam? Ae. Jamne me vis dicere id, quod ad te attinet?

S. Cupio, aequi modo aliquid. Ae. Vah, leno iniqua me non volt loqui!

S. Leno sum, fateor, pernicies communis adolescentium, as. t. d. i. d.

Perjurus, pestis; tamen tibi a me nulla est orta injuria.

Ae. Nam hercle etiam hoc restat. S. Illuc, quaeso, redi, quo coepisti, Aeschine.

Ae. Minis viginti tu illam emisti, quae res tibi vortat male: Argenti tantum dabitur. S. Quid, si ego illam nolo vendere? Coges me? Ae. Minume. S. Namque id metui. Ae. Neque vendundam censeo, Quae libera est: nam ego liberali eam adsero causa manu. Nunc vide, utrum vis, argentum accipere, an causam meditari tuam. Delibera hoc, dum ego redeo, leno.

## ACTUS II. SCENA III.

### SANNIO.

Proh supreme Jupiter, t. t.

Minume miror, qui insanire occipiunt ex injuria. t. t. c.

flagris, et Aulul.: implere fustibus caput. 11. V.: E. deb. sum autem, an tu in me? Quidam codd.: E. autem deb. sum in te, an tu in me. Vidd. Govean. et Budaeus in Commentariis linguae graecae pag. 966. C Berol. et Helmstad.: E. deb. sum autem in te, an tu in me? neque aliter B Berol., nisi quod autem neque in eo libro legitur, neque in Friburgensi. Ascens.: ego ne deb. sum in te, an tu in me. Guyet. secundum codd. Budaei et Goveani: E. autem deb., an tu? Recte, nisi quod sum servari poterat. Iidem codd. et Helmstad.: omitte; Frib.: amitte. 12. Libri fere: id quod ad te att., quod minus ἔμμετρον. V. id non legitur. 16. C Berol. Helmstad. Frib. Ascens.: id restat. 18. Pessime libri: A. t. tibi dab. S. quid, si ego tibi illam nolo vend.? Guyet. delebat illam. Prius tibi plures expunxerunt. 19. Minume. Guelf.: Non. 20. V.: illam. Guyet.: eam, „λαβδακισμοῦ," inquit, „vitandi causa, qui hic duriusculus occurrit, nec a Terentio, sed ab interpolatoribus esse videtur." Eugraph. et Pithoei quidam liber: ego eam, h. e., nisi fallor, ego eam.

Homini misero plus quingentos colaphos infregit mihi.
Domo me eripuit, verberavit; me invito abduxit meam:
Ob malefacta haec tantidem emtam postulat sibi tradier.
Verum enim quando bene promeruit, fiat; suum jus postulat.
Age jam cupio, si modo reddat argentum. Sed ego hoc hariolor:
Ubi me dixero dare tanti, testes faciet illico,
Vendidisse me; de argento somnium. *Mox; cras redi.*
Id quoque possum ferre, si modo reddat; quamquam injurium est.
Verum cogito id, quod res est: quando eum quaestum occeperis,
Accipiunda et mussitanda injuria adolescentium est.
Sed nemo dabit; frustra has egomet mecum rationes puto.

## ACTUS II. SCENA IV.

### SYRUS, SANNIO.

Sy. Tace, egomet conveniam ipsum: cupide accipiat faxo atque etiam
Bene dicat secum esse actum. Quid istuc, Sannio, est, quod te audio
Nescio quid concertasse cum hero? Sa. Nunquam vidi iniquius
Certationem comparatam, quam haec hodie inter nos fuit:

A. II. SC. III, 3. Hic versus post 5. vulgo legitur, ante quem ponere eum satis habuit Bentl. Sed majus est verberare quam κολαφίζειν. Hoc intus patiendum fuit lenoni resistenti; non domo sua ereptus et verberatus est. Ceterum sic etiam Plin. H. N. 8, 36. sect. 54: saepe (ursi) in anena colapho infracto exanimantur. Monuit Guyet. 6. Faërn. fiet, quod magis obnoxium, placet etiam Guyeto. Vid. not. ad Heaut. 4. 1. 48. 7. Frib.: hoc cariolor, quasi scriptum olim fuisset hocc ariolor pro hocce ar. Vide Priscian. p. 958. Putsch. a. Vel. Long. ibid. p. 2219. Mar. Victorin. p. 2467. 8. dare, venum dare, Guyet. 13. ego C. Berol. V.; egomet, quod minus aptum esse intellexit Guyet. puto Bemb. Victorian. Faërn. Bentl. V.; deputo.

A. II. SC. IV, 1. Sic Bentleji et nostri MSS., item vett. edd., in his Frib. Ascens. V.: conv. jam ipsum, temere invecto trochaico tetram., ubi nulla est animi commotio, et jambico sequente. Recte haec Bentl.; sed, Guyeto auscultans, non recte jam infersit post accipiat, quasi scilicet verba atque etiam efficere possent proceleusmaticum. 4. Ita Bemb. Victor. C Berol. Frustra Bentl. secundum alios libros: quam hod. quae int. nos f.

Ego vapulando, verberando ille, usque ambo defessi sumus.
Sy. Tua culpa. Sa. Quid agerem? Sy. Adolescenti morem gestum oportuit.
Sa. Qui potui melius, qui hodie usque os praebui? Sy. Age, scis quid loquar?
Pecuniam in loco negligere maxumum interdum est lucrum. Sa. Hui!
Sy. Metuisti, si nunc de tuo jure concessisses paululum atque
Adolescenti esses morigeratus, hominum homo stultissime,
Ne non tibi istuc foeneraret. Sa. Ego spem pretio non emo.
Sy. Nunquam rem facies. Abi: nescis inescare homines, Sannio. as. t. d. i. d.
Sa. Credo istuc melius esse; verum ego nunquam adeo astutus fui, i. t.
Quin, quidquid possem, mallem auferre potius in praesentia.
Sy. Age. Novi animum tuum, quasi nusquam tibi jam sint viginti minae, as. t. d. i. d.
Dum huic obsequare. Praeterea autem te ajunt proficisci Cyprum . . . Sa. Hem! i. t.
Sy. Coëmisse hinc, quae illuc veheres, multa; navem conductam. Huc, scio,
Tibi pendet animus. Ubi illinc, spero, redieris, tamen hoc ages.
Sa. Nusquam pedem. (Perii hercle: hac illi spe hoc inceperunt. Sy. Timet:
Injeci scrupulum homini. Sa. O scelera! illud vide, i. t.

5. V.: ille verberando. Et metri et elegantiae causa expressimus Guyeti lectionem. Cf. 3, 4, 32. 6. Bentl. secundum Bemb. et alium antiquum librum Faërni, quibuscum sentiunt Helmstad. et Frib.: Q. facerem? Ad phrasin morem gerere (morigerari) formatum videri Graecorum neotericorum verbum τροποφορεῖν, monet Guyetus. 7. Eidem placet varia lect., cujus mentio extat apud Donatum, haec: Sed scis, quid loquar? 8. Ita B Berol. Helmstad. Frib. Ascens. Male Hui Syro tribuitur, cum vel concedentis sit, ut 3, 4, 48, vel id facere simulantis εἰρωνικῶς, velut Eun. 4, 7, 35. 12. Perperam Bentl., asynartetum versum non agnoscens: non scis, ut sit merus iambicus. 15. Legitur usquam, sed a nemine explicatur. Pseudodonatum merito ridens Palmer. Lamp. Gruter. 4. p. 859. locum ne ipse quidem expedit. Nusquam sint, perditae sint. Cf. interpp. ad Plaut. Merc. 3, 4, 21, Eunuch. 2, 3, 2, Horat. Sat. 2, 5, 110 etc. B Berol.: qu. usquam tibi jam s. v. m. V.: A., novi t. an., qu. jam usqu. tibi s. v. m. 16. proficisci Cyprum (pro in Cyprum, quod ostendunt Helmstad. Frib.), quemadmodum prof. Aegyptum dixit Nepos. 17. V.: Hoc, scio.

Ut in ipso articulo oppressit! Emtae mulieres
Complures et item hinc alia quae porto Cyprum.
Nisi eo ad mercatum venio, damnum maxumum est.
Nunc si hoc omittam ac tum agam, ubi illinc rediero:
Nihil est; refrixerit res. *Nunc demum venis?*
*Cur passus? ubi eras?* ut sit satius perdere,
Quam aut nunc manere tam diu, aut tum persequi.
Sy. Jamne enumerasti, at te quod rediturum putes?
Sa. Hoccine illo dignum est? hoccine incipere Aeschinum,
Per oppressionem ut hanc mi eripere postulet?
Sy. (Labascit.) Unum hoc habeo. Vide, si satis placet.
Potius quam venias in periclum, Sannio,
Servesne an perdas totum, dividuum face:
Minas decem corradet alicunde. Sa. Hei mihi,
Etiam de sorte nunc venio in dubium, miser!
Pudet nil! Omnis dentis labefecit mihi;
Praeterea colaphis tuber est totum caput;
Etiam insuper defrudet? Nusquam abeo! Sy. Ut lubet.
Numquid vis, quin abeam? Sa. Imo hercle hoc quaeso, Syre,
Utut haec sunt facta, potius quam litis sequar,
Meum mihi reddat saltem, quanti emta est, Syre.
Scio, te non usum antehac amicitia mea;
Memorem me dices esse et gratum. Sy. Sedulo
Faciam. Sed Ctesiphonem video. Laetus est
De amica. Sa. Quid, quod te oro? Sy. Paulisper mane.

21. artic., temporis, punctum seu momentum temporis, occasio, ὁ καιρός, ut observat Guyet. Ducta metaphora est ab articulis digitorum: ac si (Eugraphium audis, sed a Zeunio nobisque emendatum) in ipso articulo quis aliquem teneat, ac rigore confecto conflexura nulla fiat: nihil agi exinde potest. 23. Notissimus is mercatus, frequens eunuchis, meretricibus, aliisque instrumentis luxuriae; quo avehere leno voluit psaltriam. 24. Bene nescio quis, quem sequitur Bentl.: ac tum agam. V.: actum agam, per vitium scripturae continuae. Cf. not. ad Phorm. 5, 2, 78. Omittam pro omitto vulgato plerique libri Bentlejani, et nostrorum C Berol. Helmstad., item Frib. Ascens. 27. Libri plurimi: Q. aut hic nunc man. t. d. Bentl. ex aliis, quibuscum convenit editioni Frib.: Q. aut hic m. t. d. 28. Bentl. secundum libros plurimos, sed numero duriore: J. en. id, qu. ad te r. p. 30. Pronuntiandum oppressjonem, ut Vindemjator apud Horatium etc. 35, 36. Bentl. et alii: — miser? Pudet nil? 38. Sic major codicum pars, in quibus Bentleji veterrimus. Eugraph.: defrudat. C Berol. Guelf. Helmstad. Frib. Ascens.: defraudat. 41. Sic Donat. Riv. Guyet. V.: reddatur, male deproperato verbo Meum.

## ACTUS II. SCENA V.

### CTESIPHO, SYRUS, SANNIO.

C. Abs quivis homine, cum est opus, beneficium accipere gaudeas; i. t.
Verum enimvero id demum juvat, si, quem aequom est facere, is bene facit.
O frater, frater, quid ego nunc te laudem? Satis certo scio;
Nunquam ita magnifice quidquam dicam, id virtus quin superet tua;
Itaque unam hanc rem me habere praeter alias praecipuam arbitror,
Fratrem homini nemini esse primarum artium mage principem.
S. O Ctesipho! C. O Syre, Aeschinus ubi est? S. Ellum, te expectat domi. C. Hem!
S. Quid est? C. Quid sit? Illius opera, Syre, nunc vivo! S. Festivom caput!
C. Quine omnia sibi postputavit esse prae meo commodo,
Maledicta, famam meorum amorum et peccatum in se transtulit?
S. Nil supra! C. Sed quidnam foris crepuit? S. Mane, mane: ipse exit foras.

## ACTUS II. SCENA VI.

### AESCHINUS, SANNIO, CTESIPHO, SYRUS.

Ae. Ubi ille est sacrilegus? Sa. (Me quaerit. Num quidnam effert? Occidi: i. t.

A. II. SC. V, 2. Faërnus secundum quosdam codd. MSS. et vett. edd.: si, quem aequom est bene facere, is facit. Sic etiam C Berol. Guelf. Helmstad. Nonnulli, in his A et B Beroll.: — bene facere, is bene facit. 5. Ita Bentl. V.: alios. 8. Prius Quid elidendum est, ut constet versus. Ascensius non habet verba Quid sit? quae si abessent, non desiderarentur. Sed ex commentario viri intelligitur, forte operas omisisse. 9. Ita Guyet.: „ut apud Horatium (inquit): O caeci (imo seri) studiorum, quine putetis etc. (Sat. 1, 10, 21.)" Non aliud significare videtur Quin (Quin'), quod habent Donat. Bemb. Vatic. Helmstad. etc. Neque hoc fugit Guyetum. Sic etiam Bentl. V.: Qui omnia etc. 10. Inepte legitur: famam, meum amorem. 11. Alii libri: Nil pote (vel potest) supra; alii: Nil supra pote. Glossema est pote. Cf. Andr. 1, 1, 93, Eun. 5, 1, 37.

A. II. SC. VI, 1. Me Bemb. Bentl., qui confert Eun. 5, 7, 5. V.: Men'.

Nil video.) Ae. Ehem, opportune: te ipsum quaero. Quid fit, Ctesipho?
In tuto est omnis res: omitte vero tristitiem tuam.
C. Ego hercle vero omitto, qui quidem te habeam fratrem. O mi Aeschine!
O mi germane! Ae. Ah, vereor coram in os te laudare amplius,
Ne id adsentandi magis quam quo habeam gratum facere existumes.
Ae. Age, inepte, quasi si non norimus nos inter nos, Ctesipho.
Sed hoc mihi dolet, sero nos scisse et paene in eum rem locum
Redisse, ut, si omnes cuperent, nil tibi possent auxiliarier.
C. Pudebat. Ae. Ah, stultitia est istaec, non pudor, tam ob parvolam rem i. t. h.
Paene e patria . . . Turpe dictu. Deos quaeso, ut istaec prohibeant. as. t. d. i. d.
C. Peccavi. Ae. Quid ait tandem nobis Sannio? (Sy. Jam mitis est.) i. t.
Ae. Ego ad forum ibo, ut hunc absolvam; tu intro ad illam, Ctesipho.
(Sa. Syre, insta!) Sy. Eamus: namque hic properat in Cyprum. Sa. Ne tam quidem;

4. V.: Ego illam hercle vero om. Delevit Guyetus interpretamentum. 5. Malim At vereor. 6. adsentandi. Antiqua ἔλλειψις: deest enim causa. Donat. Nec tamen male Bentl. quaerit, annon rectius legatur adsentando. Frib.: ass. ni. gratia. Bemb. Bentl.: quo. V.: quod. 7. V.: quasi nunc non nor. Abest non a Frib. et plerisque vett. Vidd. Guyet. et, quos laudat, Glarean. et Georg. Fabric. Sed nunc potius expungendum fuit, ut quod vim nullam habeat hoc loco. Quasi si apud Plautum, Lucretium aliosque legitur. norimus penultimam syllabam porrectam habet. Cf. Plaut. Cist. 12, Catull. 6, 10, etc. 8. V.: Hoc mihi d., nos paene sero scisse, et paene in eum locum Redisse etc. Sed hoc scripti nostri, Frib. Ascens.; rem in eum locum B et C Beroll. et Frib., quod verbum sententiae necessarium (cf. Heaut. 2, 2, 18.) praebebant etiam Bentleji MSS. 3. et usurpatae ab eo priscae edd. Ipse igitur Bentl.: Hoc m. d., nos paene sero sc., et in eum rem l. Verum non paene sero, sed revera sero rem scivit Aeschinus, paene autem nihil auxilii potuit ferri. Quare prius paene expungere satius videbatur. In eum locum. Si avecta in Cyprum psaltria ibique vendita fuisset. 13. Ego ad f. i. Tunc enim in foro de mensae scriptura magis quam ex arca domoque [vel cista] pecunia numerabatur. Donat. Vidd. Lindenbrog. ad h. l., interpp. ad Plaut. Asin. 1, 1, 103, Heinecc. Antiqu. Rom. jurispr. illustr. 3, 15, 2, et quos laudat Ernest. in Clavi Cic. v. Argentaria. 14. Guyet. secundum Donatum: „Ne t. q., δεικτικῶς, i. e. ne tantum quidem. Hoc dicens summum digitum ostendit,

Quamvis etiam maneo otiosus hic. Sy. Reddetur; ne time.
Sa. At ut omne reddat. Sy. Omne reddet; tace modo ac sequere hac. Sa. Sequor.
C. Heus, heus, Syre! Sy. Hem, quid est? C. Hercle obsecro, hominem istum inpurissimum
Quam primum absolvitote: ne, si magis irritatus siet,
Aliqua ad patrem hoc permanet, atque ego tum perpetuo perierim.
Sy. Non fiet; bono animo es. Tu cum illa te intus oblecta interim,
Et lectulos jube sterni nobis et parari cetera;
Ego jam transacta re convortam me domum cum obsonio.
C. Ita quaeso: quando hoc bene successit, hilare hunc sumamus diem.

# ACTUS III.

## SCENA I.

### SOSTRATA, CANTHARA.

S. Obsecro, mea nutrix, quid nunc fiet? C. Quid fiat, rogas?
Recte edepol spero. S. Modo dolores, mea tu, occipiunt primulum.
C. Jam nunc times, quasi nunquam adfueris, nunquam tute pepereris.
S. Miseram me! neminem habeo; solae sumus; Geta autem hic non adest;
Neque, nunc quem ad obstetricem mittam, nec qui arcessat Aeschinum.
C. Pol is quidem jam hic aderit: nam nunquam unum intermitti diem,

ut minimum quid." Ne transversum quidem unguem. 15. Qu. et. man. Quantumvis adhuc maneo. 20, Ita Bentl. secundum Bemb. et Basilic. V.: b. an. esto, quod ἄμετρον. 23. hoc omissum in G Berol. Guelf. Ascens. Hilare pro vulgato hilarem Palmer. Lamp. Gruter. 4. p. 853. Cf. Non., Charis. p. 180. Putsch., Bentl. ad h. l.

A. III, SC. I, 3. Fort.: Tam nunc t. 5. V.: Nec quem ad o. m. Helmstad. pro Nec habet Nunc. Utrumque verum. Guyet. et Bentl. pro lubitu: Nec est quem.

Quin semper veniat. S. Solus mearum est miseriarum remedium.
C. E re natae melius fieri haud potuit, quam factum est, hera, t. t. c.
Quando oblatum vitium est, quod ad eum attinet potissimum,
Talem, tali ingenio atque animo, natum ex tanta familia.
S. Ita pol est, ut dicis. Salvos nobis deos quaeso ut siet.

## ACTUS III. SCENA II.

### GETA, SOSTRATA, CANTHARA.

G. Nunc illud est, cum, si omnia omnes sua consilia conferant, i. t.
Atque huic malo salutem quaerant, auxili nihil adferant,
Quod mihique heraeque filiaeque herili est. Vae misero mihi!
Tot res repente circumvallant, unde emergi non potest:
Vis, egestas, injustitia, solitudo, infamia. t. t. c.
Hoccine seclum! O scelera! o genera sacrilega! o hominem inpium . . .
S. Me miseram! quidnam est, quod sic video timidum et properantem Getam? i. t.
G. Quem neque fides, neque jusjurandum, neque illum misericordia
Repressit, neque reflexit, neque quod partus instabat prope,
Cui miserae indigne per vim vitium obtulerat. S. Non intelligo
Satis, quae loquatur. C. Propius, obsecro, accedamus, Sostrata! G. Ah,
Me miserum! vix sum compos animi: ita ardeo iracundia.
Nihil est, quod malim, quam illam totam familiam dari obviam mi, i. t. h.

8. E re natae minimum 15 codd. MSS., quos vidit Guyetus, Bentleji omnes et nostri, nisi quod Helmstad. habet Prenate. Ascens.: Here gnato, etc. V.: E re nata, quod alienum esse intellexere Guyet. et Bentl. 9. Minus ἐμμέτρως libri: illum. 10. Recte Bentl.: ingenio. V.: genere, quod ταυτολόγον.

A. III., SC. II, 1. Ita Guyet., qui recte confert Plaut. Capt. 3, 5, 1, Rud. 3, 3, 1. V.: N. i. est, quod si etc. 5. Quod, malum. 6. B Berol.: Hoccine est seculum, quae est interpretatio. Hoccine, talene, ejusmodine. Guelf. et Ascens.: o hom. impurum. Quae scriptura si vera est: versus erit asynartetus, constans t. d. et i. d. c. 8. Sic legendum vidit Lindenbrog. V.: neque illum mis., ut temere nunc addi, nunc omitti solet h littera. Glossar. Lindenbrog.: illum, νάρθηκος τὸ ἐντός. Frustra Donat.: abundat illum, ut (Virg. A. 5, 457): Nunc dextra ingeminans ictus, nunc ille sinistra. 11. Helmst.: loquitur. 13. V.: dari mi obviam, quasi corripi posset i littera in dari.

Ut ego iram hanc in eos evomam omnem, dum aegritudo haec est recens. i. t.
Satis mihi id habeam supplici, [dum illos ulciscar modo.] i. d.
Seni animam primum exstinguerem ipsi, qui illud produxit scelus; i. t.
Tum autem Syrum inpulsorem, vah, quibus illum lacerarem modis!
Sublimem medium arriperem et capite pronum in terram statuerem,
Cerebro viam ut dispergeret!
Adolescenti ipsi eriperem oculos; posthac praecipitem darem: t. t. c.
Ceteros ruerem, agerem, raperem, tunderem, prosternerem.
Sed cesso heram hoc malo inpertiri propere? S. Revocemus. Geta! G. Hem,
Quisquis es, sine me! S. Ego sum Sostrata. G. Ubinam ea est?— Te ipsam quaerito; as. t. d. i. d.
Te expeto. Oppido opportune te obtulisti mi obviam, t. t. c.
Hera. S. Quid est? quid trepidas? G. Hei mihi! C. Quid festinas, mi Geta?
Animam recipe. G. Prorsus... S. Quid istuc prorsus ergo est? G. Periimus!
Actum est! S. Eloquere ergo, te obsecro, quid sit. G. Jam... S. Quid jam, Geta? as. t. d. i. d.
G. Ah! Aeschinus... S. Quid is ergo? G. Alienus est ab nostra familia. S. Hem, i. t.
Perii! quare? G. Amare occepit aliam. S. Vae miserae mihi! t. t. c.

Metro Guyetus prospiciens delebat mi; sed usurpandus potius est iamb. tetram. hyperc., quo et alibi utitur poëta. 15. Ἄμετρα illa et inepta dum ill. ulc. m. recte pro spuriis habet Bentl. Versus similis decimo nono. Quem integrare nescio quis voluerit. 19. Soloece libri: Ut cerebro dispergat viam. 20. Sic vett. edd., in his Frib. Ascens. V.: post haec. 21. funderem, tanquam hostes, Guyet. Bentl. V.: et prostern. 23. Sic plane Guelf. V.: ubi ea est? Bentl.: ubinam es? 25. Quid f., mi Geta? Haec vulgo sub Sostratae persona. Sed recte Guyet.: Hic, inquit, Asper grammaticus (apud Donatum) Cantharam nutricem, non Sostratam, loqui censet; quod mire placet: τὸ mi Geta enim blandientis est, quod Cantharae, Getae conservae, quam herae Sostratae magis convenit. 27. Perperam Bentlejus, metro timens, quod purum putum trochaicum existimabat, cum praesertim invenisset in libris obsecro te, posuit loquere. Donat.: Bene Eloquere: nam conatur tantum, quod nec explicatur, nec intelligitur; cui vitio contraria virtus est eloquentia. 28. Ah non vulgo, sed legitur in C Berol.

G. Neque id occulte fert: a lenone ipsus eripuit palam.
S. Satin' hoc certum est? G. Certum: hisce oculis egomet vidi, Sostrata. S. Ah,
Me miseram! Quid jam credas, aut cui credas? Nostrumne Aeschinum, i. t.
Nostram omnium vitam, in quo nostrae spes opesque omnes sitae?
Qui sine hac jurabat se unum nunquam victurum diem; t. t. c.
Qui senis se in gremio positurum sui puerum dicebat patris; as. t. d. i. d.
Ita obsecraturum, ut liceret hanc se uxorem ducere? i. t.
G. Hera, lacrumas mitte ac potius, quod ad hanc rem opus est porro, consule,
Patiamurne, an narremus cuipiam? C. Au, au, mi homo, sanun' es?
An proferendum hoc tibi videtur usquam? G. Mihi quidem non placet.
Jam primum, illum alieno animo a nobis esse, res ipsa indicat:
Nunc si hoc palam proferimus, ille inficias ibit, sat scio;
Tua fama et gnatae vita in dubium veniet. Tum, si maxume
Fateatur, cum amet aliam, non erat utile, hanc illi dari.
Quapropter quoquo pacto tacito est opus. S. Ah, minume gentium!
Non faciam. G. Quid ais? S. Proferam. C. Hem, mea Sostrata, vide, quam rem agas.
S. Pejore res loco non potis est esse, quam in quo nunc sita est.
Primum indotata est; tum praeterea, quae secunda ei dos erat,
Periit: pro virgine dari nuptum non potest; hoc reliquom est;

33. V.: — spes omnesque opes sitae erant? Tantum non omnes codd.: spes opesque omnes. Sequor Bentlejum. Erant etiam Guyetus delendum vidit. 35. Helmstad.: Q. senis sui grem. pos. p. dic. p. V.: Q. se in sui grem. pos. p. d. e. 36. Ita Bentl. ex cod. Petrensi. V.: ut lic. sibi hanc ux. d. Comparat Bentl. Heaut. 3, 5, 55. 37. consule Donat. Engraph. Vatican. et 3 Bentleji, quos ipse sequitur. Ceteri codd.: prospice. 38. Sic idem secundum meliores libros. Vulgati metro imperfecto: au, mi homo. 39. Sic unus codd. Bentleji, qui recte probat. V.: usquam esse. 40. Fern.: Nam primum. 42. si, etsi, etiam si. Guyet. 43. est] Guelf.: erat, quod non inelegans. Cf. not. ad A. 1, 5, 64. V.: est. 45. Quid ais? cod. Reg. Bentleji et B Berol., quod est mirantis et dissentientis, ut monet Bentl. V.: Q. agis? Bemb. aliique: Q. ages, quod placet Faërno. 46. Ita Bemb. Bentl, Vulgati libri metro pessumdato: potest.

Si inficias ibit. Testis mecum est annulus, quem ipse amiserat.
Postremo, quando ego conscia mihi sum, a me culpam esse hanc procul,
Neque pretium neque rem ullam intercessisse illa aut me indignam, Geta,
Experiar. G. Quid istic? Cedo, ut melius dicas. S. Tu, quantum potest,
Abi atque Hegioni cognato ejus rem enarrato omnem ordine:
Nam is nostro Simulo fuit summus et nos coluit maxume.
G. Nam hercle alius nemo respicit nos. S. Propere tu, mea Canthara,
Curre, obstetricem arcesse, ut, cum opus sit, ne in mora nobis siet.

## ACTUS III. SCENA III.

### DEMEA.

Disperii: Ctesiphonem audivi filium
Una adfuisse in raptione cum Aeschino.
Id misero restat mihi mali, si illum potest,
Qui alicui re est, etiam meum ad nequitiem adducere.
Ubi ego illum quaeram? Credo abductum in ganeum
Aliquo. Persuasit ille inpurus, sat scio.
Sed eccum Syrum ire video; hinc scibo jam, ubi siet. —
At hercle hic de grege illo est: si me senserit
Eum quaeritare, nunquam dicet carnufex.
Non ostendam id me velle.

49. Sic fere vett., quibus recte obtemperat Bentl. V. ipse non legitur. 51. Frustra Bentl.: intercesse (hoc etiam Guyet.) aut illa. 52. Ἀμέτρως libri: Accedo. Corrector Bentl. Cedo, concedo, fateor, te melius dicere. Bentl. V. quoque: quantum potes, minus quidem ex usu Comicorum. Vid. Parei Lexic. Plaut. v. Quantum potest. 53. Ita Bemb. A et C Beroll. (B: rei enarrato omnem ordinem iam is etc.) Guelf. Ascens. Bentl. V.: rem omnem narrato ord. 55. Sic Bentl. V.: Propera, errore satis frequente. Pejus etiam A Berol. et Frib.: propterea.

A. III. SC. III, 2. Bemb. A Berol.: fuisse. Confert Bentl. Andr. 1, 1, 80, Eun. 2, 3, 75. 4. eum habent Bemb. B et C Beroll. Guelf. Helmstad. Frib. Bentl. Sed friget eum, cum illum praecesserit. Raptum m a praegressa voce. Cf. 1, 2, 28; 3, 4, 52; 5, 1, 13, 16. 8. At C Berol. V.: Atque. 9. Helmstad.: senserit Conquaeritare.

## ACTUS III. SCENA IV.

### SYRUS, DEMEA.

S. Rem omnem modo seni, I. 8.
Quo pacto haberet, enarramus ordine.
Nil quidquam vidi laetius. (D. Proh Jupiter,
Hominis stultitiam!) S. Conlaudavit filium;
Mihi, qui id dedissem consilium, egit gratias.
(D. Disrumpor!) S. Argentum adnumeravit illico;
Dedit praeterea in sumtum dimidium minae.
Id distributum sane est ex sententia. D. Hem,
Huic mandes, si quid recte curatum velis.
S. Ehem, Demea, haud adspexeram te. Quid agitur?
D. Quid agatur? vostram nequeo mirari satis
Rationem. S. Est hercle inepta, ne dicam dolo, atque
Absurda. — Piscis ceteros purga, Dromo.
Congrum istum maxumum in aqua sinito ludere
Tantisper; ubi ego rediero, exossabitur;
Prius nolo. D. Haeccine flagitia... S. Mihi quidem non placent,
Et clamo saepe. — Salsamenta haec, Stephanio,
Fac macerentur pulchre. D. Di, vostram fidem!
Utrum studione id sibi habet, an laudi putat
Fore, si perdiderit gnatum? Vae misero mihi!
Videre videor jam diem illum, cum hinc egens
Profugiet aliquo militatum... S. O Demea,
Istuc est sapere, non quod ante pedes modo est
Videre, sed etiam illa, quae futura sunt,
Prospicere. D. Quid? istaec jam penes vos psaltria est?
S. Ellam intus. D. Eho, an domi est habiturus? S. Credo, ut est
Dementia. D. Haeccine fieri? S. Inepta lenitas
Patris et facilitas prava. D. Fratris me quidem
Pudet pigetque. S. Nimium inter vos, Demea (ac
Non, quia ades praesens, dico hoc), pernimium interest:
Tu, quantus quantus, nil nisi sapientia
Es; somnium ille. Sineres vero illunc tuum

A. III. SC. IV, 2. Ita 3 Beroll. Ascens. Bentl. V.: Q. p. se hab. Donat.: „Enarramus pro enarravimus, ut (Virg. Aen. 3, 3): omnis humo fumat Neptunia Troja." Plura syncopes exempla Guyet. congessit ad h. l. 5. In Helmstad. et Frib. id non legitur, et potest commode abesse. 16. Guyet.: haud placent. Sed metrum sic quoque sartum tectum, modo quidem μονοσυλλάβως pronuntiaveris, sicut passim faciendum est. 32. Bentl. secundum Vatican. Basilic. et par suorum, in quibus tu legitur:

Facere haec? D. Sinerem illum, aut non sex totis mensibus
Prius olfecissem, quam ille quidquam coeperet?
S. Vigilantiam tuam tu mihi? D. Sic sit modo,
Ut nunc est, quaeso. S. Ut quisque suum volt esse, ita est.
D. Quid eum? vidistin' hodie? S. Tuumne filium?
(Abigam hunc rus.) Jamdudum aliquid ruri agere arbitror.
D. Satin' scis, ibi esse? S. Oh, quem egomet produxi ...!
D. Optume est.
Metui, ne haereret hic. S. Atque iratum admodum.
D. Quid autem? S. Adortus jurgio est fratrem ad forum
De psaltria istac. D. Ain' vero? S. Ah, nil reticuit!
Nam ut numerabatur forte argentum: intervenit
Homo de improviso; coepit clamare: *o Aeschine,*
*Haeccine flagitia facere te? haec te admittere*
*Indigna genere nostro?* D. Oh, lacrumo gaudio!
S. *Non tu hic argentum perdis, sed vitam tuam.*
D. Salvos sit: spero, est similis majorum suûm. S. Hui!
D. Syre, praeceptorum plenus istorum ille. S. Phy!
Domi habuit, unde disceret. D. Fit sedulo;
Nil praetermitto; consuefacio; denique
Inspicere, tanquam in speculum, in vitas omnium
Jubeo atque ex aliis sumere exemplum sibi.
*Hoc facito* ... S. Recte sane. D. *Hoc fugito* ... S. Callide.
D. *Hoc laudi est* ... S. Istaec res est. D. *Hoc vitio datur.*

tu tuum, quod et displicet propter κακοφωνίαν, et praestat, es, quod vulgo finit antecedentem versum, huic annumerari legique somnium ille pro eo, quod habetur in libris, Ille somnium. Cf. 2, 4, 5. Es ita distractum quominus miremur, facit Est simili modo collocatum Hec. prol. prioris 2, Phorm. 4, 6, 37. et Plaut. Aul. 2, 1, 55, ubi ejusmodi locos plures laudamus. Quo positu vocabuli etiam id efficitur, ut plene exaudiatur verbum gravissimum sapientia, quod lente et cum ridicula emphasi pronuntiat servus nequam. 34. coeperet libri plurimi, in his B Berol. (Helmstad.: caperet), Priscian. p. 879. Putsch. V.: coeperit, quod soloecum. Cf. Non. v. Coepere. 36. Ita Bentl., nisi quod excudi jussit tun'. V., perversis numeris: mihi narras? D. Sic siet. Modo, ut nunc est etc. Narras est glossema. Scatet hic noster ejusmodi ellipsibus. 37. Quid eum? initium interrogationis de persona alicujus. Sic in Heaut. (5, 1, 77): Syrum. Quid eum? Donat. 39. quem. Alii: qui, vel quin. Quem etiam Bentl. 41. Duriore numero legitur: apud forum. Cf. Heaut. 3, 4, 14 etc. Est, vulgo desideratum, habetur in codd. vett. 42. V.: Vah, nil r., quod versus non fert; neque scripserim cum Bentlejo De ps. hac. Ipsius Demeae verbum (25.) repetit irridens servus. 47. V.: N. tu hoc arg. p. Hic, in hoc negotio. 48. Bentl. pravis numeris: erit sim. 49. Phy, Φῦ, non videtur esse hujus loci. Φεῦ mirantis est; verum id nondum reperi apud Latinos.

S. Probissume. D. Porro autem.. S. Non hercle otium est
Nunc mi auscultandi: pisces ex sententia
Nactus sum; hi mihi ne corrumpantur, cautio est.
Nam id nobis tam flagitium est, quam illa, o Demea,
Non facere vobis, quae modo dixti; et, quod queo,
Conservis ad eundem istunc praecipio modum:
*Hoc salsum est; hoc adustum est; hoc lautum est parum;*
*Illud recte: iterum sic memento.* Sedulo
Moneo, quae possum pro mea sapientia.
Postremo, tanquam in speculum, in patinas, Demea,
Inspicere jubeo et moneo, quid facto usus sit.
Inepta haec esse, nos quae facimus, sentio;
Verum quid facias? Ut homo est, ita morem geras.
Numquid vis? D. Mentem vobis meliorem dari.
S. Tu rus hinc ibis? D. Recta. S. Nam quid tu hic agas,
Ubi, si quid bene praecipias, nemo obtemperat?
D. Ego vero hinc abeo, quando is, quamobrem huc veneram,
Rus abiit. Illum curo unum; ille ad me attinet,
Quando ita volt frater; de istoc ipsa viderit.
Sed qui illic est, quem video procul? estne Hegio
Tribulis noster? Si satis cerno, is hercle. Vah,
Homo amicus nobis jam inde a puero! Di boni,
Nae illiusmodi jam magna nobis civium
Penuria est antiqua virtute ac fide.
Haud cito mali quid ortum ex hoc sit publice.
Quam gaudeo, ubi etiam hujus generis reliquias
Restare video! Vivere etiam nunc lubet.
Opperiar hominem hic, ut salutem et conloquar.

59. o Demea Bentl. ex cod. 900 annorum. V.: Q. illa, Dem. Amantur spondei imparibus jambicorum, paribus trochaïcorum, locis. 64. Donat.: Διασυρτικῶς sapientia dixit (cf. 31.), quia condimentum (Guyet.: condimenta) gustu ac sapore temperant coci. 70. Recta pro vulgato Recte Bemb. et margo codicis C. C. C., quem usurpavit Bentl. 71. obtemperet Bemb. A Berol. et alii quidam antiqui. Helmstad.: non est qui obtemperet. 73. Bentl. de se: Illum curo: unum illud ad me att. Non fero illud ita correptum in versu medio: quae licentia est principiorum. 75. Ita Guyet., versum levigans. V.: S. quis i. est. 76. Hoc Bentl. ex cod. Petrensi. Ceteri ἀμέτρως: hercle est. 79. Ita Guyet. Bentl. Inepte libri et nullis numeris: P. est, homo ant. 80. cito, facile. publice, in publico, in republica. Guyet. 82. Ἀμέτρως libri: R. vid. Vah, vivere. Emendavere Guyet. et Bentl.

## ACTUS III. SCENA V.

### HEGIO, GETA, DEMEA, PAMPHILA.

H. Proh di inmortales, facinus indignum, Geta, I. 2.
Quod narras! G. Sic est factum. H. Ex illan' familia
Tam inliberale facinus esse ortum? O Aeschine,
Pol haud paternum istuc dedisti! (D. Videlicet
De psaltria hoc audivit. Id illi nunc dolet
Alieno; pater, is nihili pendit. Hei mihi!
Utinam hic prope adesset alicubi atque audiret haec!)
H. Nisi facient, quae illos aequom est, haud sic auferent.
G. In te spes omnis, Hegio, nobis sita est;
Te solum habemus; tu es patronus, tu pater:
Ille tibi moriens nos commendavit senex.
Si deseris tu: periimus. H. Cave dixeris:
Nec faciam, neque me satis pie posse arbitror.
D. (Adibo.) Salvere Hegionem plurimum
Jubeo. H. Oh, te quaerebam ipsum! salve, Demea.
D. Quid autem? H. Major filius tuus Aeschinus,
Quem fratri adoptandum dedisti, neque boni
Neque liberalis functus officium est viri.
D. Quid istuc est? H. Nostrum amicum noras Simulum
Aequalem? D. Quidni? H. Filiam ejus virginem
Vitiavit. D. Hem! H. Mane: nondum audisti, Demea,
Quod est gravissimum. D. An quid est etiam amplius?
H. Vero amplius; nam hoc quidem ferundum aliquo modo est.
Persuasit nox, amor, vinum, adolescentia.
Humanum est. Ubi scit factum, ad matrem virginis
Venit ipsus ultro, lacrumans, orans, obsecrans,
Fidem dans, jurans, se illam ducturum domum.
Ignotum est, tacitum est, creditum est. Virgo ex eo
Compressu gravida est facta; hic mensis decimus est.

A. III. SC. V, 3. O Aesch. Vid. not. ad Heaut. 2, 2, 159. 5. Ita Bentl. secundum cod. 900 annorum. V.: De ps. hac. Cf. Eun. 3, 2, 45. 10. Sic fere vett., quos sequitur Bentl. V.: tu parens. 15. Sic item vett., Bentl. etc. V. Oh non legitur. 17. adóptandúm. Non placent duplices accentus hujus vocabuli. Fort. legendum abdidisti, quod sit reprehendentis Demeam. Cf. Hec. 1, 1, 100. 19. Ita C Berol. V.: Simulum atque Aequalem. 22. Ita Bemb. Bentl. V.: An quidquam est et. a.? 25. scit, mater virginis. Sed malim: Ubi scit factum mater virg. 27. Guyet.: Ducturum domum plene dictum; pro quo ἐλλείψει dicitur uxorem ducere. Itidem Graeci dicunt γυναῖκα ἄγειν pro εἰς οἶκον ἄγειν. 29. V.: facta est; hic m. d. est. Delere hic quam scribere est facta maluit Bentl.

Bonus vir nobis psaltriam, si dis placet,
Paravit, quicum vivat, illam deserat.
D. Pro certon' tu istaec dicis? H. Mater virginis
In medio est, ipsa virgo, res ipsa; hic Geta
Praeterea, ut captus servulorum est, non malus,
Neque iners ad illas (solus omnem familiam
Sustentat); hunc abduce, vinci, quaere rem.
G. Imo hercle extorque, nisi ita factum est, Demea.
Postremo non negabit: coram ipsum cedo.
(D. Pudet, nec, quid agam, neque quid huic respondeam,
Scio.) P. Miseram me! differor doloribus.
Juno Lucina, fer opem! serva me, obsecro! H. Hem,
Numnam illa quaeso parturit? G. Certe, Hegio. H. Hem,
Illaec fidem nunc vostram implorat, Demea.
Quod jus vos cogit, id voluntate impetret.
Haec primum ut fiant deos quaeso, ut vobis decet.
Sin aliter animus vester est; ego, Demea,
Summa vi defendam hanc atque illum mortuum.
Cognatus mihi erat; una a pueris parvolis
Sumus educti; una semper militiae et domi
Fuimus; paupertatem una pertulimus gravem.
Quapropter nitar, faciam, experiar, denique
Animam relinquam potius, quam illas deseram.
Quid mihi respondes? D. Fratrem conveniam, Hegio.
[Is quod mihi de hac re dederit consilium, id sequar.]
H. Sed, Demea, hoc tu facito cum animo cogites:
Quam vos facillume agitis, quam estis maxume
Potentes, dites, fortunati, nobiles,

30. Κακομέτρως legitur: Ille bonus vir. Ille adscriptum ab interprete. Si dis placet. εἰρωνικὴ φράσις: ni diis placet, subintell. hoc, quod neque bonum nec aequum est, ac proinde diis non placet. Guyet. 33. Idem: in medio est, id est in medio populi, civium, in media urbe versatur; cuivis patet, a quovis adiri potest, etc. 34. Ita Bentl.; neque aliter Berolinenses. Helmstad.: est servulorum, V.: ut capt. est servorum. 35. Putida libri ταυτολογία et perperam correpto verbo alit, quod si verum esset, sub ictu praecipuo collocandum fuisset: Neque iners, alit illas. ad, apud; vel erga. 44. jus Bemb. in ordine, Guyeti Mediolanenses et Regius, item noster Guelf. Frib. Ascens. V.: vis, confusione tralaticia; quod miror Bentlejo placuisse. De vi dicitur 47. 49. Ita Guyet. Bentl. Libri jugulato versu: educati. 53. Verba Is quod — sequar non legebantur in Bembino, quae merito Muretus spuria judicarit V. L. 16, 13. Neque interpretantur scholiastae. De Aeschino nihil ipse agit Demea, sed Micio, pater adoptivus. 55. Guyet.: θεοὶ ῥεῖα ζώοντες Homero et Hesiodo dicti sunt.

Tam maxume vos aequa animo aequo noscere
Oportet, si vos voltis perhiberi probos.
D. Redito: fient, quae fieri aequom est, omnia.
H. Decet te facere. Geta, duc me intro ad Sostratam.
D. Non me indicente haec fiunt. Utinam hic sit modo
Defunctum; verum nimia illaec licentia
Profecto evadet in aliquod magnum malum.
Ibo; requiram fratrem, ut in eum haec evomam.

## ACTUS III. SCENA VI.

### HEGIO.

Bono animo fac sis, Sostrata, et istam quod potes, i. a.
Fac consolere; ego Micionem, si ad forum est,
Conveniam atque, ut res gesta est, narrabo ordine:
Si est, ut suum facturus officium siet,
Faciat; sin aliter de hac re est ejus sententia,
Respondeat mi, ut, quid agam, quam primum sciam.

---

# ACTUS IV.

## SCENA I.

### CTESIPHO, SYRUS.

C. Ain' patrem hinc abiisse rus? S. Jamdudum. C. Dic
sodes. S. Apud villam est. t. t.
Nunc cum maxume operis aliquid facere credo. C. Uti-
nam quidem, t. t. c.
Quod cum salute ejus fiat! Ita se defetigarit velim, i. t.
Ut triduo hoc perpetuo prorsum e lecto nequeat

57. Guyet.: „aequa noscere, εἰκότα φρονεῖν. aequo animo, sponte, libenter." Legitur autem vulgo aequo an. aequa, cum aequa praecipuum habere debeat accentum metricum, et quintae regioni versus aptior sit spondeus quam jambus. 61. Ita Bemb. Victorian. Faërn. Guyet. Bentl. Guyet.: „Ut sit def. hic; impersonaliter accipe cum Faërno, id est, desitum sit, finitum sit in hoc negotio, nec Aeschinus pergat ulterius, et pejora committat." Cf. ultim. versus fabulae. 64. V.: Ibo ac requir. Guyet.: „τὸ ac in antiquis non comparet, teste G. Fabricio; in quibusdam et reperi, quod τὸ ac insititium esse confirmat." Cf. 4, 8, 1. etc.

A. III. SC. VI, 4. V.: Si est, fact. ut sit off. suum. Guyet. et Bentl.: Si ita est.

S. Ita fiat, et istoc, si quid potis est, rectius. C. Ita: nam hunc diem
Nimis misere cupio, ut coepi, perpetuum in laetitia degere.
Et illud rus nulla alia causa tam male odi, nisi quia est
Prope. Quodsi abesset longius: i. d.
Prius nox oppressisset illic, quam huc revorti posset iterum. t. t.
Nunc, ubi me illic non videbit, jam huc recurret, sat scio; t. t. c.
Rogitabit me, ubi fuerim, quem hodie toto non vidi die. i. f.
Quid dicam? S. Nilne in mentem? C. Nusquam quidquam. S. Tanto nequior.
Cliens, amicus, hospes nemo est vobis? C. Sunt. Quid postea?
S. Hisce opera ut data sit. C. Quae non data sit? Non potest fieri. S. Potest.
C. Interdiu; sed si hic pernocto, causae quid dicam, Syre?
S. Vah, quam vellem etiam noctu amicis operam mos esset dari!
Quin tu otiosus es: ego illius sensum pulchre calleo.
Cum fervit maxume, tam placidum, quam ovem, reddo. C. Quo modo?
S. Laudarier te audit libenter: facio te apud illum deum;
Virtutes narro . . . C. Meas? S. Tuas. Homini illico lacrumae cadunt,
Quasi puero, gaudio. Hem tibi autem . . . C. Quidnam est? S. Lupus in fabula.
C. Paterne est? S. Ipsus. C. Syre, quid agimus? S. Fuge modo intro: ego videro.
C. Si quid rogabit: nusquam tu me. Audistin? S. Potin', ut desinas?

## ACTUS IV. SCENA II.

### DEMEA, CTESIPHO, SYRUS.

D. Nae ego homo sum infelix! primum fratrem nusquam gentium; t. t. c.

11. V. numeris durissimis: quem ego hodie. 12. mentem etiam B Berol. Guelf. Helmstad. Deteriores libri: mente. Nusquam Bentl. V.: Nunquam. 18. Bentl.: quam ovis est, reddo. Velim id reperiri in libris vett. 20. Bentl.: Measne? 22. Ita 3 MSS. Bentleji. Guyeti Reg. Rubricat., alii, item A et C Beroll. et Frib.: Pater adest? S. Ipsus. Ascens.: Pater ne. S. ipsus est. Bentl.: Paterne? S. is ipsus. Idque legi videtur in Guelferbytano.

A. IV. SC. II, 1. Libri [illegible] nusqu. invenio gent.

Praeterea autem, dum illum quaero, a villa mercenarium
Vidi; is filium negat esse ruri; nec, quid agam, scio.
C. Syre ... S. Quid est? C. Men' quaerit? S. Verum. C. Perii! S. Quin tu animo bono es.
D. Quid hoc, malum, infelicitatis? Nequeo satis decernere, i. t.
Nisi me credo huic esse natum rei, ferundis miseriis. as. t. d. i. d.
Primus sentio mala nostra, primus rescisco, omnia; t. t. c.
Primus porro obnuntio; aegre solus, si quid fit, fero.
S. Rideo hunc: primum ait se scire; is solus nescit omnia.
D. Nunc redeo: si forte frater redierit, viso. C. Syre,
Obsecro, vide ne ille huc prorsum se inruat. S. Etiam taces?
Ego cavebo. C. Nunquam hercle hodie ego istuc committam tibi:
Nam me in cellam jam aliquo cum illa concludam; id tutissimum est.
S. Age; tamen ego hunc amovebo. D. Sed eccum sceleratum Syrum. as. t. d. i. d.

## ACTUS IV. SCENA III.

### SYRUS, DEMEA.

S. Non hercle hic quidem durare quisquam, si sic fit, potest. t. t. c.
Scire equidem volo, quot mihi sint domini. Quae haec est miseria?
D. (Quid ille gannit? quid volt?) Quid ais, bone vir? est frater domi? i. t.
S. Quid, malum, bone vir, mihi narras? Equidem perii, D. Quid tibi est?

Guyet. igitur delet ego, Bentl. sum. Ejus 2 libri et Eugraph.: Nae ego sum inf. Nobis invenio videtur esse glossema. Homo posteriore syllaba longa legendum est, ut Heaut. 1, 1, 25. etc. Cf. 4, 1, 23, Eun. 1, 1, 20, et quae praeterea extant apud hunc ellipsium exempla innumera. 8. Donat.: Qui malam rem nuntiat, obnunciat; qui bonam, annuntiat. Propric obnunciare dicuntur augures, qui aliquid mali ominis scaevumque viderunt. — Si quid fit. Prave scilicet. (Quemadmodum dicitur Si quid acciderit.) 11. Minus suaviter libri prorsus se. 13. V., frequentioribus homoeoteleutis: aliquam. Cf. Andr. 2, 3. 12, Eun. 4, 3, 25. Jam, quod habent B Berol. et libri editi, cum in suis vett. non reperisset, Bentl. versus sarciendi causa posuit cellulam.

A. IV, SC. III, 1. Bentl.: perdurare, ne laxiore socco versus incederet. Nos hoc Catone contenti sumus. 4. Regerit servus silicernio verbum suum bone vir, quod et in bonam et in malam

S. Rogitas? Ctesipho me pugnis miserum et istam psaltriam
Usque occidit. D. Hem, quid narras? S. Hem, vide, uti discidit labrum! as. t. d. i. d.
D. Quamobrem? S. Me inpulsore hanc emtam esse ait. D. Non tu eum rus hinc modo
Produxe ajebas? S. Factum; verum venit post insaniens: i. t.
Nil pepercit. Non puduisse verberare hominem senem, t. t. c.
Quem ego modo puerum tantillum in manibus gestavi meis?
D. Laudo, Ctesipho: patrissas. Abi; virum te judico.
S. Laudas? Nae ille continebit posthac, si sapiet, manus.
D. Fortiter! S. Perquam, quia miseram mulierem et me servolum,
Qui referire non audebam, vicit. Hui, perfortiter!
D. Non potuit melius. Is idem, quod ego, sensit, te esse huic re caput. i. t.
Sed estne frater intus? S. Non. D. Ubi illum quaeram, cogito.
S. Scio ubi sit, verum hodie nunquam monstrabo. D. Hem! quid ais? S. Ita. t. t. c.
D. Diminuetur tibi quidem jam cerebrum! S. At nomen nescio
Illius hominis, sed loci novi ubi sit. D. Dic ergo locum.
S. Nostin' porticum apud macellum hac deorsum? D. Quidni noverim?

partem accipi potest. In malam Demea dicit, in bonam Syrus, sed εἰρωνικῶς. Apage P. Nannii διττολογίαν (Misc. lib. 2. c. 11. Lamp. Gruter. 1. p. 1251.) bone vir interpretantis vir felix, quemadmodum dicatur illud Una tecum bona mala tolerabimus, et apud Virgilium Bonum sit. Nec placet Guyetus, qui scribit Quod malum, quod convicium mihi objicis innocenti et laeso? 5. Frib.: Oh, Ctesipho. 6. V.: ut. Sed quisnam, quaeso, verba Hem, vide ut pro spondeo vel compari pede accipiat? Discidit Asper et a caedendo derivat rectius quam Donatus a scindendo; quod vel metro indice intelligas. 11. Comparat Muret. V. L. 16, 4. Cyclopis illud Euripidei: ὃν ἐξέθρεψα παῖδ' ἐγώ ποτ' ἀγκάλαις. 11. Donat. „Abi addidit, quasi dicat: Non est quod jam te morer: perfectus es.“ Plautus Asin. 5, 3, 114: abi; laudo, nec te equo mage est equus ullus sapiens. Cf. 4, 9, 3 etc. Aliud est Abi illud contemnentis 4, 5, 11. 15. V.: N. p. melius: idem, quod etc. et habent versum pro trochaïco t. c. Sed non ferendi sunt tales accentus: potuít meliús. B. Berol.: N. pot. mel. ille idem etc. Sed ἄμετρον est ille; is quadrat ad versum, quod quidem raptum esse videtur a syllaba simili, quae antecedit. 16. Itidem ἀμέτρως libri: Non est. Correxit Guyetus. 19. Soloece libri: sed locum novi, ubi sit. 20. hac Beroll. Bentl. V.: hanc.

S. Praeterito hac recta platea sursus. Ubi eo veneris:
Clivos deorsum vorsum est; hac te praecipitato. Postea
Est ad hanc manum sacellum; ibi angiportum propter est.
D. Quodnam? S. Illud, ubi etiam caprificus magna est.
D. Novi. S. Hac pergito. i. t.
D. Id quidem angiportum non est pervium. S. Verum hercle. Vah, t. t. c.
Censen', hominem me esse? Erravi. In porticum rursum redi.
Sane multo hac propius ibis; et minor est erratio.
Scin' Cratini hujus ditis aedis? D. Scio. S. Ubi eas praeterieris:
Ad sinistram hac recta platea, ubi ad Dianae veneris,
Ito ad dextram. Prius quam ad portam venias, apud ipsum lacum
Est pistrilla, et exadvorsum est fabrica; ibi est. D. Quid ibi facit?
S. Lectulos in sole ilignis pedibus faciundos dedit.
D. Ubi potetis vos. Bene sane! Sed cesso ad eum pergere?
S. I sane: ego te exercebo hodie, ut dignus es, silicernium.
Aeschinus odiose cessat: prandium corrumpitur;
Ctesipho autem in amore est totus. Ego jam prospiciam mihi:
Nam jam adibo atque unumquidquid, unum quodque, quod quidem erit bellissumum,
Carpam et cyathos sorbilans paulatim hunc producam diem.

24. Quodnam libri quidam apud Guyetum et Ascens. Quidnam A et B Beroll. Guelf. Helmstad. Frib. V.: Quonam? Bentl. vocabulum delevit. Legitur porro: Illic, ubi. Sed Illic non respondet τῷ Quodnam, respondet illuc, quod cum illo non semel commutatum est. Metri autem gratia legendum Illud: nam Illus posteriorem syllabam producit. V. quoque: magna est. nostin'? sed refragantibus cod. Bemb. et Bentleji vetere. Respuit voculam ipse versus. 27. multo hac Frib. Ascens. V.: hac m. Ceterum mire Frib.: S. m. h. sanius ibis. 32. Guyet.: „in sole. ad coenandum in sole.“ Donat.: in urbe convivium aut in sole, aut in umbra, pro conditione temporis instruebatur. 33. Donat.: Bene sane. Hic εἰρωνεία est, non approbatio. 38. Ita Bentl. ex quodam suorum codicum, quicum sentiunt A et C Beroll. Guelf. Ascens. in ordine: nam in notis agit de vulgata lectione sorbillans. Quam lectionem Guyetus improbans: Sorbilans, inquit, scribo cum unico l, penultima correpta. A sorbo, sorbis, sorbsi; metaplasmo sorbo, sorbas, sorbare, diminutivum sorbulo, et τροπῇ sorbilo, unde sorbilum (sorbitio, jus, quod sorbetur) Plaut. Poen. 1, 2, 186 etc. 38. producam. Donat.: „Bono verbo usus est ad metaphoram tanquam morientis

## ACTUS IV. SCENA IV.

### MICIO, HEGIO.

M. Ego in hac re nil invenio, quamobrem lauder tantopere, Hegio; i. t.
Officium facio; quod peccatum a nobis ortum est, corrigo;
Nisi si me in illo credidisti esse hominum numero, qui ita putant,
Sibi fieri injuriam ultro, si, quam fecere ipsi, expostules,
Et ultro accusant; id quia non est a me factum, agis ne gratias.
H. Ah, minume; nunquam te aliter, atque es, in animum induxi meum.
Sed quaeso, ut una mecum ad matrem virginis eas, Micio,
Atque istaec eadem, mihi quae dixti, tute dicas mulieri,
Suspicionem hanc propter fratrem esse, ejus esse illam psaltriam.
M. Si ita aequom censes, aut ita opus est facto: eamus. H. Bene facis:
Nam et illi jam animum jam relevaris, quae dolore ac miseria
Tabescit, et tuo officio fueris functus. Sed si aliter putas:
Egomet narrabo, quae mihi dixti. M. Imo ego ibo. H. Bene facis:
Omnes, quibus res sunt minus secundae, mage sunt nescio quo modo
Suspiciosi; ad contumeliam omnia accipiunt magis;
Propter suam inpotentiam se semper credunt claudere.

diei; ut est (Virg. A. 9, 486.): nec te tua funera mater Produxi, pressive oculos." Sed rectius Guyet.: prod. d., prolongabo; quam potero, longum faciam sorbilando. Martial. 2, 89.:

*Quod nimio gaudes noctem producere vino,*
*Ignosco: vitium, Gaure, Catonis habes.*

A. IV. SC. IV, 1. Ita Guelf. V.: reperio, frequentiore quidem littera canina. 2. V.: Meum officium. Deleri Guyetus jussit interpretamentum. Sic autem vocula eliditur, ut vix audiatur; quo magis pertinet ad eam Guyeti suspicio. 4. Ita Bemb. Guelf. Bentl. V.: expostulant. 9. V.:—fratrem ejus esse: et illam psaltriam. God. Mead. (neque aliter B. Berol.): esse ejus, unde verum Bentl. divinavit. 11. Ita Guelf. Bentl. V.: relevabis, cum sequatur fueris functus. 13. Praeter rem Bentl.: ego quoque ibo. Non liquescit dixti propter interpunctionem. Vid. not. ad Andr. 2, 2, 8. 14. secundae. Liber Brun. ap. Palmer. Lamp. Gruter. 4. p. 855: abundae. Vox Gellii. 16. claudere. V.: negligi. Bemb. claudier. Donat.: „Ne-

Quapropter, te ipsum purgare ipsis coram, placabilius est.
M. Et recte et verum dicis. H. Sequere me ergo hac intro.
M. Maxume.

## ACTUS IV. SCENA V.

### AESCHINUS.

Discrucior animi! i. h.
Hoccine mali mihi de inproviso objici cr. t.
Tantum, ut neque quid de me faciam, nec, quid agam, certum siet? t. t. c.
Membra motu debilitata; animus timore obstipuit; as. t. d. i. d. c.
Pectore consistere nil consili quit. chor. tr. troch.
Vah, quomodo me ex hac expediam turba? i. tr. cat.
Tanta nunc suspicio de me incidit, neque illa inmerito: t. t.

gligi. Legitur et Claudere et Claudicare. Rectum claudere pro claudicare. Sallust. Hist. 3. in oratioe Licinii: Neque enim ignorantiâ res claudit. Cf. lexica. Male Faërn.: calvier, Bentl.: ludier. 17. Ita codd. praeter Bembinum, qui: ipsi, ut vulgati libri. Recte Bentl. quoque ipsis, matri et filiae. Donat.: Coram, id est praesentem et coram praesentibus.

A. IV. SC. V, 1. Verba Discr. an. seorsim posita Bentl. reperit in antiquissimo codicum suorum, commemoratque hanc clausulam Varro apud Rufinum de Metris com. p. 2707. Putsch. Vulgo haec et sequentia Hoccine — objici in unum versum (versum autem? imo versus simiam) conjungunt. 2. Creticum Bentl. agnovit; ceterum cum in libris legatur de improv. mali mihi, frustra posuit ex impr. 3. de, versui necessarium, habetur in quibusdam codd., etiam in Beroll. (in B a manu altera). Guelf. Helmstad. Frib. Ascens. Bentl., qui et nec quid dedit ex libris, quibuscum facit A Berol. V.: T, ut n. quid me fac., neque, quid ag., c. s. Certum est Donat. Ascens. 4. Inepte legitur Membra metu debilia sunt: animus timore obstupuit. Nam quis audiat Donatum, vel quisquis ille est, ita haec explicantem: Metu patris, timore divortii? Ad animum pertinent metus et affectus, non ad membra seu corpus. Legendum motu pro metu sententiae causa, et debilitata metri gratia secundum MS. Helmstad. Obstipuit an obstupuit scribas, non multum interest. Illud Bentlejo placuit, positumque est a Donato in commentariis; hoc fere habetur in libris ipsius Terentii veteribus. Male Bentl., choriambicum hunc quoque versum effecturus: prae timore obstip. Motu, huc illuc currendo ex turba et confusione rerum. Misceri autem solent e et o litterae in libris. 5. Ita plerique libri. Vetus tamen cod. Lindenbrogii, B. et C Beroll.: cons. potest. Versuum genus Graecis usitatum: vid. G. Hermanni liber de Metris Graec. et Rom. pag. 317. 7. Ἀμέτρως legitur neque ea imm.

Sostrata credit, mihi me psaltriam emisse. Id anus mi indicium fecit. as. t. d. i. d. h.
Nam ut hinc forte ad obstetricem erat missa: ubi eam vidi, illico as. t. d. i. d.
Accedo; rogito, Pamphila, quid agat; jam partus adsiet; i. t.
Eone obstetricem arcessat. Illa exclamat: *abi, abi jam, Aeschine!*
*Sat diu dedisti verba; sat adhuc tua nos frustrata est fides.*
Hem, quid istuc obsecro, inquam, est? — *Valeas; habeas illam, quae placet.*
Sensi illico id illas suspicari; sed me reprehendi tamen,
Ne quid de fratre garrulae illi dicerem, ac fieret palam.
Nunc quid faciam? dicam fratris esse hanc; id quod minume est opus as. t. d. i. d.
Usquam efferri? Ac mitto: fieri potis est, ut ne qua exeat; t. t. c.
Ipsae id metuo ut credant: tot concurrunt verisimilia.
Egomet rapui; ipse egomet solvi argentum; ad me abducta esst domum.
Haec adeo mea culpa fateor fieri: non me hanc rem patri,
Ut erat gesta, indicasse? Exorassem, ut eam ducerem.
Cessatum usque adhuc est. Jam porro, Aeschine, expergiscere!
Nunc hoc primum est: ibo ad illas, ut purgem me. Accedam ad foris. — as. t. d. i. d.
Perii! horresco semper, ubi pultare hasce occipio miser. t. t. c.
Heus, heus! Aeschinus ego sum. Aperite aliquis actutum ostium!
Prodit nescio quis, concedam huc.

8. Sic quidam scriptus, cujus meminit G. Hermann. libri laudati pag. 187. V.: psaltriam hanc, quod minus congruit cum metro, de quo cf. Eun. 4, 1, 6, Phorm. 4, 6, 9, 37, Hec. 3, 8. 12. 9. Ita Guelf. V.: forte ea ad. 10. Frustra Bentl.: jamne. 12. Libri duriore numero: Satis diu. Diu pro monosyllabo est, i liquescente. 16. Sic A Berol. Ascens. V.: fratris esse? id quidem m. est o. Bentl. et alii: esse hanc? quod m. est o., quae scriptura extat in reliquis Beroll. Guelf. Frib. 17. Ita Bemb. Bentl., qui confert Phorm. 2, 3, 2. Alii libri fore: age mitto. 18. Ipsae, sponte sua, etiamsi rumor non spargatur. V.: Ipsum, quod quid sibi velit, haud intelligo. 22. V.: Nunc porro. Guelf. Helmstad. Frib.: nunc jam porro. Posui Jam, quia Nunc legitur sequente versu.

## ACTUS IV. SCENA VI.

### MICIO, AESCHINUS.

M. Ita, uti dixti, Sostrata, t. t. c.
Facito; ego Aeschinum conveniam: ut, quomodo acta haec sunt, sciat.
Sed quis ostium hoc pultavit? Ae. Pater hercle est. Perii! M. Aeschine...
Ae. Quid huic hic negoti est? M. Tune has pepulisti foris? as. b. d. t. d. c.
(Tacet. Cur non ludo hunc aliquantisper? Melius est:
Quandoquidem hoc nunquam mi ipse voluit credere.) i. s.
Nil mihi respondes? Ae. Non equidem istas, quod sciam.
M. Ita? Nam mirabar, quid hic negoti esset tibi.
(Erubuit: salva res est.) Ae. Dic sodes, pater,
Tibi vero quid istic est rei? M. Nil mihi quidem;
Amicus quidam me a foro abduxit modo
Huc advocatum sibi. Ae. Quid? M. Ego dicam tibi.
Habitant hic quaedam mulieres pauperculae.
Ae. Ut opinor. M. Has non nosse te, certo scio:
Neque enim diu huc migrarunt. Ae. Quid tum postea?
M. Virgo est cum matre. Ae. Perge. M. Haec virgo orba est patre;
Hic meus amicus illi genere est proxumus:
Huic leges cogunt nubere hanc. Ae. Perii! M. Quid est?
Ae. Nil; recte; perge. M. Is venit, ut secum avehat:
Nam habitat Mileti. Ae. Hem, virginem ut secum avehat...
M. Sic est. Ae. Miletum usque, obsecro? M. Ita. Ae. (Animo male est!)
Quid ipsae? quid agunt? M. Quid illas censes? Nihil enim.

A. IV. SC. VI, 1. dixti MS. Lindenbrog., 6 Bentleji, B Berol. etc. V.: dixi. 2. Sic fere MSS. et vett. edd. V.: Facite et sint. 3. C. Berol.: Ah, Aesch. 4, 5. Notum jam ex Plauto genus versuum asynartetorum. 10. Libri: rei est. Bentl.: rei fuit? Fort.: rei, vel re, sit. Guelf.: T. v. quid hic negoti est? 14. V. uno tenore: — pauperculae, Ut opinor, has non nosse te; et certo (Guelf. Frib.: certe) scio: Neque etc., quae non cohaerent. Bentl.: Ut opiner. Imo rectum Ut opinor, sed sub persona Aeschini, estque tepide approbantis, ut Credo Eun. 5, 7, 18, Censeo Eun. 2, 1, 11, Fortasse Heaut. 4, 1, 29, Ita, ut dicis Phorm. 3, 2, 48, et quae aliae sunt hujuscemodi formulae loquendi, quas recensui olim in nota ad Eunuch. 229. Et insertum est, postquam haec omnia Micioni tribui coepissent. 15. Κακομέτρως libri: commigrarunt. 22. Sic B Berol. V.: ajunt, nec sententia quidem meliore, et metro durissimo.

Commenta mater est, esse ex alio viro
Nescio quo puerum natum, neque eum nominat:
Priorem esse illum; non oportere huic dari.
AE. Eho, nonne haec justa tibi videntur? M. Postea.
AE. Non? obsecro, non? an eam hinc abducet, pater?
M. Quid eam ni abducat? AE. Factum a vobis duriter
Inmisericorditerque atque etiam, si est, pater,
Dicendum magis aperte, inliberaliter.
M. Quam ob rem? AE. Rogas? Illi quid tandem creditis
Fore animi misero, quicum consuevit prior,
Qui infelix haud scio an illam misere et nunc amat,
Cum hanc sibi videbit praesens praesentem eripi,
Abduci ab oculis? Facinus indignum, pater!
M. Qua ratione istuc? quis despondit? quis dedit?
Cui quando nupsit? auctor his rebus quis est?
Cur duxit alienam? AE. An sedere oportuit
Domi virginem tam grandem, dum cognatus hinc

26. Haec quoque uni Aeschino tribuuntur in libris, Pseudodonato nesciente, quo se vertat et quid faciat verbo postea. Quin Aeschino quaerenti, annon justa haec videantur, senex respondet Postea, quasi dicas justa mihi videntur post illa priora; videntur justa secundi ordinis; quod est mediocriter probantis et tantum non rejicientis. Unde Aeschinus, quasi prorsus Micio negasset: Non? obsecro non? nam uno haec tenore omnia dicit adolescens, nec ferendi sunt libri vulgati, in quibus sic legitur: M. Non. AE. Obsecro, non? Donat.: „Vultuose pronuntiandum est Non." Vultuose, hoc est ad frontem sublato supercilio, adversaque personae parte tristiore; nam ea potestas est hujus verbi apud Donatum et grammaticos. Quo posito quis non videt, illud Non sub Aeschini persona lectum olim fuisse a viro docto? Nam Micio quidem usque ad 50. versum nihil vultuose (cum illis ut loquar), sed omnia sedate dicit ac leniter, suo more. Quod superest, Helmstad. sic: — tibi videntur? postea, quo emendatio nostra firmetur. Plinius autem Hist. nat. 17, 16. extrem.: Fertilissima omnium inoculatio; postea (h. e. fertilis post inoculationem, fertilis secundo loco, est) emplastratio. Cf. lexica. Vel legendum eadem sententia: M. Postera, Justa postera, sive secundi ordinis, mihi videntur. Quae civilis est negatio. 27. eam Frib. V.: illam, quod minus aptum versui. 28. Similiter libri: Quid illam ni abd.? Helmstad. et vett. edd., in his Frib. Ascens.: Quidni illam. 31. V.: Rogas me? sed omitti solet pronomen in hac formula. Illi quid C Berol., quae lectio efficacior est vulgata hac: Quid illi. 32. V.: qui cum illa cons. prius. Bentl.: qui cum ea c. prior? et prior quidem habent Bemb. et plerique vett. Faërni; ceterum pro glossemate habendum illa. A Berol.: quicum, h. e. quocum. 33. et nunc, etiam nunc. V. et desideratur. 34. Inepte libri: praesens praesenti. Emendavit Bentl. secundum Serv. ad Aen. 4, 83. 39. Sic idem Bentl. ex Donato, codice Rivii et edd. vett., in his Ascens. V.: huc (in B Berol. correctum hic) Illinc (C Berol.: Illic).

Illinc veniret, expectantem? Haec, mi pater,
Te dicere aequom fuit et id defendere.
M. Ridiculum! advorsumne illum causam dicerem,
Cui veneram advocatus? Sed quid ista, Aeschine,
Nostra, aut quid nobis cum illis? Abeamus. — Quid est?
Quid lacrumas? AE. Pater, obsecro, ausculta! M. Aeschine,
audivi omnia i. t.
Et scio: nam te amo; quo mage, quae agis, curae sunt
mihi. t. t. c.
AE. Ita velim me promerentem ames, dum vivas, mi pater,
Ut, me hoc delictum admisisse in me, id mihi vehemen-
ter dolet,
Et me tui pudet. M. Credo hercle: nam novi ingenium
tuum
Liberale; sed vereor ne indiligens nimium sies.
In qua civitate tandem te arbitrare vivere?
Virginem vitiasti, quam te non jus fuerat tangere.
Jam peccatum primum magnum id est, at humanum tamen:
Fecere alii saepe, item boni. At postquam id evenit:
cedo, as. t. d. i. d.
Numquid circumspexti, aut numquid tute prospexti
tibi, t. t. c.
Quid fieret, qua fieret? Si te mi ipsum puduit dicere:
Qua resciscerem? Haec dum dubitas, menses abierunt decem.
Prodidisti et te et miseram illam et gnatum, quod qui-
dem in te fuit.
Quid? credebas, dormienti haec tibi confecturos deos?
Et illam sine tua opera in cubiculum iri deductum do-
mum? i. t.
Nolim ceterarum rerum te socordem eodem modo. —
Bono animo es, duces uxorem hanc. AE. Hem! M. Bono animo
es, inquam. AE. Pater, as. t. d. i. d.
Obsecro, num ludis tu nunc me? M. Ego te? quam-
obrem? AE. Nescio; t. t. c.
Nisi quia hoc tam misere cupio verum, eo vereor magis.

52. Ita Bemb. Bentl. V.: jus non. 53. B Berol.: primum est magnum. V. copula desideratur. Bentl.: Jam p. pr. id magnum; magnum, at human. t. 62. Frustra Bentl. de metro sollicitus delevit hanc. 63. num Beroll. Faërn. Bentl. V.: non. 64. Nisi quia B et C Beroll. Helmstad. (is quidem; Nisi quia ego tam misere etc.) Frib. Ascens. et libri quidam Bentleji. Deinde iidem illi, quos nominavimus: ideo vereor. Helmstad.: verebor. In A Berol. hic versus omissus est, nisi quod Quia ibi legitur. Bentl.: Nisi (h. e. Sed) tam mis. hoc esse cup. verum, eo v. m., quae ne latina quidem sunt. V.: Quia tam mis. hoc esse cupio (Donat.: cup. esse.) verum, eo v. m.

M. Abi domum ac deos conprecare, ut uxorem arcessas;
abi.
Ae. Quid jam? uxorem? M. Jam. Ae. Jam? M. Jam, quantum potest. Ae. Di me, pater,
Omnes oderint, ni mage te quam oculos nunc ego amo meos.
M. Quid? quam illam? Ae. Aeque. M. Perbenigne. Ae. Quid? ille ubi est Milesius? as. t. d. i. d.
M. Abiit, periit, navem ascendit. Sed cur cessas? Ae. Abi, pater; i. t. c.
Tu potius deos conprecare: nam tibi eos certo scio,
Quo vir melior multo es quam ego, obtemperaturos magis.
M. Ego eo intro, ut, quae opus sunt, parentur: tu fac, uti dixi, si sapis. as. t. d. i. d.
Ae. Quid hoc negoti? hoc est patrem esse, aut hoc est filium esse? i. t. c.
Si frater aut sodalis esset, qui magis morem gereret?
Hic non amandus? hiccine non gestandus in sinu est? Hem!
Itaque adeo magnam mi injicit sua commoditate curam,
Ne inprudens faciam forte, quod nolit; sciens cavebo.
Sed cesso ire intro, ne morae meis nuptiis egomet siem. i. t.

## ACTUS IV. SCENA VII.

### DEMEA.

Defessus sum ambulando. Ut, Syre, te cum tua i. s.
Monstratione magnus perdat Jupiter.
Perreptavi usque omne oppidum; ad portam, ad lacum;
Quo non? nec fabrica illi ulla erat, nec fratrem homo
Vidisse se aibat quisquam. Nunc vero domi
Certum obsidere est usque, donec redierit.

## ACTUS IV. SCENA VIII.

### MICIO, DEMEA.

M. Ibo; illis dicam, nullam esse in nobis moram. i. s.
D. (Sed eccum ipsum!) Te jamdudum quaero, Micio.

66. Quid jam? Quid ita? quomodo? Minus recte legitur: Quid? jam uxorem? siquidem de jam ducenda uxore nondum dixit Micio, sed in eo est, ut dicat. 69. e membranae G. Canteri Nov. Lectt. 4. 24: Navem asc., ab., per., quae videtur esse scriptura correctoris. 72. Libri deprayato numero: ut dixi. Helmstad.: si sapiens. Donat.: Hic versus in quibusdam non invenitur. 76. Ita Bentl. Libri κακομέτρως: injecit.
A. IV. SC. VII, 4. Ita Bentl. Libri jugulato versu: illic.

M. Quidnam? D. Fero alia flagitia ad te ingentia
Boni illius adolescentis. M. Ecce autem nova!
D. Capitalia. M. Ohe, jam... D. Ah, nescis qui vir sit.
M. Scio.
D. Ah, stulte, tu de psaltria me somnias
Agere; hoc peccatum in virginem est civem. M. Scio.
D. Eho, scis et patere? M. Quidni patiar? D. Dic mihi,
Non clamas? non insanis? M. Non. D. Malim quidem.
D. Puer natust. M. Di bene vortant! D. Virgo nihil
habet.
M. Audivi. D. Et ducenda indotata est. M. Scilicet.
D. Quid nunc futurum est? M. Id enim, quod res ipsa fert:
Illinc huc transferetur virgo. D. O Jupiter,
Istoccine pacto oportet? M. Quid faciam amplius?
D. Quid facias? Si non ipsa re istuc tibi dolet:
Simulare certe est hominis. M. Quin jam virginem
Despondi; res composita est; fiunt nuptiae;
Demsi metum omnem. Haec mage sunt hominis. D. Ceterum
Placet tibi factum, Micio? M. Non, si queam
Mutare; nunc, cum non queo, aequo animo fero.
Ita vita est hominum, quasi cum ludas tesseris:
Si illud, quod maxume opus est jactu, non cadit,
Illud, quod cecidit forte, id arte ut corrigas.
D. Corrector! Nempe tua arte viginti minae,
Pro psaltria periere, quae, quantum potest,
Aliquo abiciunda est; si non pretio, gratiis.
M. Neque est, neque illam sane studeo vendere.
D. Quid igitur faciet? M. Domi erit. D. Proh divom fidem,
Meretrix et mater familias una in domo!
M. Cur non? D. Sanumne credis te esse? M. Equidem
arbitror.
D. Ita me di ament, ut video tuam ego ineptiam,
Facturum credo, ut habeas quicum cantites.
M. Cur non? D. Et nova nupta eadem haec discet...
M. Scilicet.
D. Tu inter eas restim ductans saltabis. M. Probe.

A. IV. SC. VIII, 4. V. praeter usum: — autem. D. Nova, Cap. 9. Male Beroll. Helmstad. Muret. Faërn. Bentl. etiam verba Malim quidem Micioni tribuunt. Cf. 15. sequ. 26. Ita Erib. Helmst.: abicienda. V.: abjicienda, quae est interpretatio rarioris formae. 28. V.: facies. Bentl.: Quid illa ig. facies? Cf. Andr. 1, 1, 14 etc. 31. Ita Bentl. ex suis melioribus; neque aliter A et C Beroll. V.: ego tuam. 34. 35. Ita Bentl. V.: — saltabis. M. Probe. D. Probe? M. Et tu nob. etc. Et sic quidem Bemb., 2 Bentleji, B et C Beroll. Sed

Et tute nobiscum una, si opus sit. D. Hei mihi!
Non te haec pudent? M. Jam vero omitte, Demea,
Tuam istanc iracundiam, atque ita, uti decet,
Hilarum ac lubentem fac te gnati in nuptiis.
Ego hos conveniam; post huc redeo. D. O Jupiter,
Hanccine vitam, hoscine mores, hanc dementiam?
Uxor sine dote veniet; intus psaltria est;
Domus sumptuosa; adolescens luxu perditus;
Senex delirans: ipsa, si cupiat, Salus
Servare prorsus non potest hanc familiam.

## ACTUS IV. SCENA IX.

### SYRUS, DEMEA.

S. Edepol, Syrisce, te curasti molliter,
Lauteque munus administrasti tuum:
Abi! Sed postquam intus sum omnium rerum satur,
Prodeambulare huc lubitum est. D. Illud sis vide
Exemplum disciplinae! S. (Ecce autem adest senex
Hic noster.) Quid fit? quid tu es tristis? D. Oh, scelus!
S. Ohe! Jam verba fundes tu hic sapientia?
D. Tu si meus esses... S. Dis quidem esses, Demea, ac
Tuam rem constabilisses. D. Exemplum omnibus
Curarem ut esses. S. Quamobrem? quid feci? D. Rogas?
In ipsa turba atque in peccato maxumo,
Quod vix sedatum satis est, potasti, scelus,
Quasi re bene gesta. S. Sane nollem huc exitum.

## ACTUS IV. SCENA X.

### DROMO, SYRUS, DEMEA.

Dr. Heus, Syre, rogat te Ctesipho, ut redeas. S. Abi.
D. Quid Ctesiphonem hic narrat? S. Nil. D. Eho, carnufex,
Est Ctesipho intus? S. Non est. D. Cur hic nominat?

alii, in his A Berol. Helmstad. Frib. Ascens., plane ut Bentl., nisi quod tu in illis legitur pro tute.

A. IV. SC. IX, 7. B Berol. Hoe, A et C, Ascens. Eho, jam etc., quod fortasse verum. V.: Ohe; jam tu v. fundis hic sap. Helmstad.: fundes. Bentl.: Ohe jam (h. e. Ohe, jam desine): tu v. fundis h. s. Sed Ohe posteriorem syllabam porrectam habet. 8. Sic meliores libri, etiam B Berol. et Helmstad., Bentl. V.: Tun'. Sed haec una oratio est, a Syro interpellata: Tu si meus esses: exemplo o. cur. ut e. 9. Ita Bentl. V.: exemplum.

S. Est alius quidam, parasitaster paululus.
Nostin'? D. Jam scibo. S. Quid agis quo abis? D. Mitte me!
S. Noli, inquam. D. Non manum abstines, mastigia?
An tibi jam mavis cerebrum dispergam hic? S. Abit.
Edepol comissatorem haud sane commodum,
Praesertim Ctesiphoni. Quid ego nunc agam?
Nisi, dum hae silescunt turbae, interea in angulum
Aliquo abeam atque edormiscam hoc villi. Sic agam.

---

# ACTUS V.

## SCENA I.

### MICIO, DEMEA.

M. Parata a nobis sunt, ut dixi, Sostrata,
Ubi vis. Quisnam a me pepulit tam graviter foris?
D. Hei mihi, quid faciam? quid agam? quid clamem, aut querar?
O coelum, o terra, o maria Neptuni! M. Hem tibi!
Rescivit omnem rem: id nunc clamat scilicet.
Paratae lites: succurrendum est. D. Eccum adest
Communis corruptela nostrûm liberûm!
M. Tandem reprime iracundiam atque ad te redi.
D. Repressi, redii, mitto maledicta omnia;
Rem ipsam putemus. Dictum inter nos hoc fuit,
(Ex te adeo est ortum), ne tu curares meum,
Neve ego tuum? Responde. M. Factum est; non nego.
D. Cur nunc apud te potat? cur recipis meum?
Cur emis amicam, Micio? Num qui minus
Idem mihi jus est tecum, quod mecum est tibi?

A. IV. SC. X, 4. paululus (non parvolus, sicut vulgo) Bemb., MS. Reg. aliique Lindenbrogii et Bentleji, vetus Colon. apud Palmer. Lamp. Gruter. 4. p. 691, B et C Beroll. et Helmstad., Bentl.

A. V. SC. I, 5. Ita codd. Bentleji et nostri, Donat. Ascens. Bentl., cum Bemb. Victor. et Serv. ad Aen. 2, 424, habeant ilicet, quod ineptum, utpote desperantis. 11. Frib.: Ex te ad. exortum. 15. A Berol.: Mihi idem jus est aequum, quod aequum est tibi. B Berol. et Helmstad.: Mihi idem jus est esse aequ. quod mecum est tibi. Ascens.: Nam qui (scripti et Frib.: numquid) mihi idem jus equum est esse quod equum est tibi? V.: Mihi idem jus aequum esse, quod mecum est tibi? Bentl. legendum arbitrabatur Num qui minus Mihi jus idem sit tecum, quod mecum est tibi? Scriptum haud dubie fuit gliscente depravatione estecum, estequum, estaequum. Non semel sic erratum.

Quando ego tuum non curo, ne cura meum.
M. Non aequom dicis. . . D. Non? M. Nam vetus verbum hoc quidem est,
*Communia esse amicorum inter se omnia.*
D. Facete! Nunc demum istaec nata oratio est.
M. Ausculta paucis, nisi molestum est, Demea.
Principio, si id te mordet, sumtum filii
Quem faciunt, quaeso hoc facito tecum cogites.
Tu illos duo olim pro re tollebas tua,
Quod satis putabas tua bona ambobus fore;
Et me tum uxorem credidisti scilicet
Ducturum. Eandem illam rationem antiquam obtine:
Conserva, quaere, parce, fac quamplurimum
Illis relinquas, gloriamque istam tibi.
Mea, quae praeter spem evenere, utantur sine.
De summa nil decedet; quod hinc accesserit,
Id de lucro putato esse omne. Haec si voles
In animo vere cogitare, Demea,
Mihi, tibi, illis demseris molestiam. .
D. Mitto rem; consuetudinem ipsorum. . . M. Mane:
Scio. Istuc ibam. Multa in homine, Demea,
Signa insunt, ex quîs conjectura facile fit:
Duo cum idem faciunt, saepe ut possis dicere,
*Hoc licet inpune facere huic, illi non licet;*
Non quo dissimilis res sit, sed quo is, qui facit.
Quae ego esse in illis video: ut confidam fore,
Ut volumus. Video eos sapere intelligere, in loco
Vereri, inter se amare: scire est liberum
Ingenium atque animum: quovis illos tu die
Reducas. At enim metuas, ne ab re sint tamen
Omissiores paulo. O noster Demea,
Ad omnia alia aetate sapimus rectius;
Unum senectus vitium hoc adfert hominibus:

28. Ita Bentl. MSS. et vett. edd.: glor. tu (tuam Helmstad. Frib.) istam (Ascens.: istanc) tibi obtine. C Berol.: gloriam ist. obt. tu tibi. Sublectum obtine in praegressis. 30. quod liquescit. 32. Fort., numeris melioribus: o Demea. 33. V.: Et mihi (Bentl. mi), et tibi, et illis d. m., pronominibus mihi et tibi ita elisis deproperatisque, ut vix audiantur. 39. Ita Bemb. Bentl. V.: Non quod —, sed quo (C: quia) —. 40. Sic Ascens. MSS. fere: Q. ego in illis esse vid., quos sequitur Bentl. V.: Q. ego illis inesse vid. 41. V.: Ita ut vol. Glossema κακόμετρον. V.: sapere, intell. Intell. (τὸ) sap., scire sap. 42. eos codd. plurimi, in his Beroll. Helmstad. Frib. Ascens. Bentl. V. non legitur. 47. V. horridis numeris: Solum unum hoc vit. sen. a. h. Solent librarii vitiosis adscri-

Attentiores sumus ad rem omnes, quam sat est.
Quod eos sat aetas acuet. D. Ne nimium modo
Bonae tuae istae nos rationes, Micio,
Et tuus iste animus aequos subvortant. M. Tace;
Non fiet. Mitte jam istaec; da te hodie mihi;
Exporge frontem. D. Scilicet ita tempus fert:
Faciundum est. Ceterum rus cras cum filio
Primo cum luci... M. Imo de nocte censeo;
Hodie modo hilarum face te. D. Et istam psaltriam
Una illuc mecum hinc abstraham. M. Pugnaveris:
Eo prorsus pacto illi adligaris filium.
Modo facito, ut serves illam. D. Ego istuc videro,
Atque ibi favillae plena, fumi ac pollinis
Coquendo sit faxo et molendo; praeter haec
Meridie ipso faciam ut stipulam colligat.
Tam excoctam reddam atque atram, quam carbo est.
M. Placet.
Nunc mihi videre sapere. Atque equidem filium,
Etiamsi nolit, tum cogam ut cum illa cubet.
D. Derides? Fortunatus, qui isto animo sies;
Ego sentio. M. Ah, pergisne? D. Jamjam desino.
M. I ergo intro et, cui re est, ei re hunc sumamus diem.

## ACTUS V. SCENA II.

### DEMEA.

Nunquam ita quisquam bene subducta ratione ad vitam fuat, t. t. c.

bere emendata: vid. index Plaut. v. librarii. Ascens.: unum hoc vit. sen. affert hom. 49. Duriore metro legitur Q. illos. 51. Sic meliores codd., in his nostri. V.: subvortat. 55. Luci, quod est adverbium, ut Mani, extat in cod. Fabricii, laudaturque a Charisio ex Sisenna. Merito Bentl. praetulit vulgato luce, quod explicans iste, qui se Donatum credi vult: „Veteres," inquit, „dicebant lucum pro luce, pro sole ponentes." Ceteri MSS. praeter C Berol.: Cum prima luce; is codex Prima cum luce. 58. Ἄμετρον illic, libris et Donato auctoribus, emendavit Bentl. Illi, rure. Ceterum Helmstad. et Frib.: Eo prorsum (Frib. prorsus) pacto. Prorsus Beroll. V.: Eo pacto prorsum illic alligaris fil. 63. Bentl.: Places. 65. V.: filium Tum etiam si nolit, cog. ut eum illa una cubet, quo pacto tum, vox gravissima, aegre exauditur. In C Berol., libro optimae notae una non legitur. Helmstad.: atque etiam fil. tuum, equidem si nolit. 66. Bemb. Bentl.: isto. Ceteri libri corruptis numeris: istoc. 68. Ita Bemb. Vatican. Basilic. Faërn. Bentl. Vulgati libri ἀμέτρως: — et cui rei opus est, ei hilarem h. s. d. Helmstad.: I intro et cui rei etc. I liquescit.

A. V. SC. II, 1. Ita Bentl. Libri soloece: fuit.

Quin res, aetas, usus, semper aliquid adportet novi,
Aliquid moneat: ut ea, quae te scire credas, nescias,
Et quae tibi putaris prima, in experiundo ut repudies.
Quod nunc mi evenit: nam ego vitam duram, quam vixi usque adhuc,
Prope decurso spatio mitto. Id quamobrem? Re ipsa reperi,
Facilitate nihil esse homini melius, neque clementia.
Id esse verum, ex me atque ex fratre cuivis facile est noscere. i. t.
Ille suam egit semper vitam in otio, in conviviis, t. t. c.
Clemens, placidus; nulli laedere os, adridere omnibus.
Sibi vixit; sibi sumtum fecit: omnes benedicunt, amant.
Ego ille agrestis, saevos, tristis, parcus, truculentus, tenax, i. t.
Duxi uxorem. Quam ibi miseriam vidi! Nati filii: t. t. c.
Alia cura. Heja autem, dum studeo, illis ut quamplurimum
Facerem, contrivi in quaerundo vitam atque aetatem meam;
Nunc exacta aetate hoc fructi pro labore ab eis fero,
Odium; ille alter sine labore patria potitur commoda.
Illum amant; me fugitant. Illi credunt consilia omnia;
Illum diligunt; apud illum sunt ambo; ego desertus sum.
Illum, ut vivat, optant; meam autem mortem exspectant scilicet.
Ita eos, meo labore eductos maxumo, hic fecit suos
Paulo sumtu. Miseriam omnem ego capio; hic potitur gaudia.
Age, age, nunc jam experiar porro contra, ecquid ego possiem i. t.
Blande dicere, aut benigne facere, quando huc provocat. t. t. c.

5. V.: ut illa. 4. ut repud. Bemb. et Faërni codd. praestantiores. Alibi ut desideratur. 6. Ita Priscianus quinquies, Guyet. Bentl. V. excurso spatio, quod inusitatum. 9. Ita Frib. C. Berol.: I. semper suam egit vitam. V.: I. suam semp. egit vit. 14. Ita Bemb. Victorian. Faërn. Bentl. etc. Heja corripientis interdum est, auctore Donato ad Hec. 2, 2, 7. Ἀμέτρως legitur: A. c. Porro autem. 16. Ita ex suis Bentl. Alii libri minus probo numero: ab his. 24. huc Bentl. Bemb. et vulgati libri hoc pro eodem. Haud nolim hic, Micio. C. Berol. Helmstad. Frib. Ascens: quando eo prov. (res additur in Guelf. et Frib.)

Ego quoque a meis me amari et magni pendi postulo.
Si id fit dando atque obsequendo: non posteriores feram.
Deerit? Id mea minume refert, qui sum natu maxumus.

## ACTUS V. SCENA III.

### SYRUS, DEMEA.

S. Heus, Demea, rogat frater, ne abeas longius. i. s.
D. Quis homo? O Syre noster, salve! quid fit? quid agitur?
S. Recte. D. Optume. Jam tria nunc haec primum addidi
Praeter naturam: *O noster, Quid fit? Quid agitur?*
Servom haud inliberalem praebes te, et tibi
Lubens bene faxim. S. Gratiam habeo. D. Atqui, Syre,
Hoc verum esse, ipsa re experiere propediem.

## ACTUS V. SCENA IV.

### GETA, DEMEA, SYRUS.

G. Hera, ego huc ad hos proviso, quam mox virginem i. s.
Arcessant. Sed eccum Demeam! Salvos sies.
D. Oh, qui vocare? G. Geta. D. Geta, Hominem maxumi
Preti te esse hodie judicavi animo meo:
Nam is mihi profecto est servos spectatus satis,
Cui dominus curae est, ut tibi sensi, Geta;
Et tibi ob eam rem, si quid usus venerit,
Lubens bene faxim. (Meditor esse adfabilis,
Et bene procedit.) G. Bonus es, cum haec existumas.
(D. Paulatim plebem primulum facio meam.)

27. Sic scholiastae duo vett.; h. e.: Si deerit: id mea m. r. Cf. 1, 2, 38 seqq. etc. V.: Deerit: id mea etc.

A. V. SC. III, 5. Fort.: ut tibi L. b. f. Saepe hae voculae confusae. 7. V.: H. v. est, et (C. Berol.: ex) ipsa re e. p.

A. V. SC. IV, 4. Ita Bemb. B Berol. Bentl. V.: Pr. esse te, verbo Preti in thesi penitus occultato. 6. V. nullis numeris: C. d. c. est, ita ut t. s., G. Bemb. homoeoteleuto minus suavi: uti tibi sensi. Est ita ex iis voculis, quas pro lubitu addunt non nunquam librarii, velut 5, 1, 41, Phorm. 3, 2, 48, Eun. prol. 19. 9. Frib.: existumes.

## ACTUS V. SCENA V.

### AESCHINUS, DEMEA, SYRUS, GETA.

Ae. Occidunt, dum nimis nuptias sanctas student:
In adparando totum consumunt diem.
D. Quid agitur, Aeschine? Ae. Hem, pater mi, tu hic eras?
D. Tuus hercle vero et animo et natura pater,
Qui te amat plus quam hosce oculos. Sed cur non domum
Uxorem arcessis? Ae. Cupio; verum hoc mihi morae est,
Tibicina et, hymenaeum qui cantent. D. Eho,
Vin' tu huic seni auscultare? Ae. Quid? D. Missa haec face,
Hymenaeum, turbas, lampadas, tibicinas,
Atque hanc in horto maceriam jube dirui,
Quantum potest; hac transfer; unam fac domum;
Transduce et matrem et familiam omnem ad nos. Ae. Placet,
Pater lepidissume. D. (Euge, jam lepidus vocor!
Fratri aedes fient perviae; turbam domum
Adducet; sumtum admittet multum. Quid mea?
Ego lepidus ineo gratiam.) Jube. (Nunc iam
Dinumeret ille Babylo viginti minas.)
Syre, cessas ire ac facere? S. Quid ego? D. Dirue:
Tu illas abi et traduce. G. Di tibi, Demea,

A. V. SC. V, 1, 2, V.:
*Occidunt me quidem, dum nimis sanctas nuptias*
*Student facere: in apparando totum c. d.*
Glossemata sunt verba me quidem et facere, non vero totum illud, quod expungunt viri doctissimi, quorum Bentl. se traducit, cum existimat, Student accipi posse pro monosyllabo, ut versus scilicet stet recto talo. Non talem versificatorem novi Afrum. Ceterum Frib.: totum hunc (Helmstad. nunc) c. d. Nimis nupt. sanct., nimis s. n. Trajectio vere Terentiana. 6. morae Victorian. Bentl., neque aliter legi voluit Guyetus. V.: mora. Helmst.: haec mihi mora est. Copulam neglexit C Berol. 15. Αμέτρως libri vulgati: et sumtum. Non habet Bemb. copulam, habet amittet, ut vulgus codicum. Legitur quoque, nescio quo sensu: — admittet: multa; quid mea? 16. Libri continue: Jube nunc iam Din. etc., cum Demea Jube suum (10.) alta voce iteret Aeschino, submissa vero denuoque conversus ad spectatores, addat Nunc iam — minas. Babylo, Micio, luxuriosus ille, ut Babylonii, seu Persae. Monet Bentl., ceterum male obtemperans nuganti scholiastae. 18. ego quidam codd. in his B Berol. V.: ago. Quid ego? Quid ego faciam? Ellipsis frequens apud hos scriptores.

Bene faciant, cum te video nostrae familiae
Tam ex animo factum velle. D. Dignos arbitror.
Quid tu ais? Ae. Sic opinor. D. Multo rectiust,
Quam illam puerperam hac nunc duci per vias
Aegrotam. Ae. Enim nil vidi melius, mi pater.
D. Sic soleo. Sed eccum Micio egreditur foras.

## ACTUS V. SCENA VI.

### MICIO, DEMEA, AESCHINUS.

M. Jubet frater? ubi est? Tun' jubes hoc, Demea? i. s.
D. Ego vero jubeo et hac re et aliis omnibus
Quam maxume unam facere nos hanc familiam,
Colere, adjuvare, adjungere. Ae. Ita quaeso, pater.
M. Haud aliter censeo. D. Imo hercle ita nobis decet.
Primum hujus uxori est mater . . . M. Est. Quid postea?
D. Proba et modesta . . . M. Ita ajunt. D. Natu grandior.
M. Scio. D. Parere jam diu haec per annos non potest;
Nec, qui eam respiciat, quisquam est; sola est. (M. Quam
hic rem agit?)
D. Hanc te aequom est ducere, et te operam, ut fiat,
dare.
M. Me ducere autem? D. Te. M. Me? D. Te, inquam.
M. Ineptis. D. Si tu sis homo,
Hic faciat. Ae. Mi pater. M. Quid tu autem huic, asine,
auscultas? D. Nihil agis.
Aliter non potest. M. Deliras. Ae. Sine te exorem, mi
pater. t. t. c.

21. Ex animo, quasi ex sententia. Donat. 23. V. viam cumulatis homoeoteleutis. Et invidiosius est vias. 24. V.: Nihil enim, quae correctio est ejus, qui nesciret, enim eleganter poni in prima sententia. Jam versus quoque melius procedit. Cf. Phorm.

A. V. SC. VI, 1. V.: ubi is est? perperam correpto magni ponderis verbo Jubet. 6. Ita codex unus Bentleji, Helmstad., vett. edd., in his Frib., Bentl. V.: — mater. M. Quid p.? Guelf. quid tum postea? Recte quoque Bentl.: uxori, V.: P. h. uxoris est mater. M. Q. p.? 9. eam non male delebitur. 10. Te, Micio, et te, Aeschine. Donat. 12. Ita plerique codd. Faërni, A et B Beroll. V. autem non legitur. Deinde Helmstad.: aeschine, Frib.: eschine, ut sic legendum videri possit: Quid tu, Aeschine, huic ausc.? Sed rectum asine, „aptum convicium grandi et fatuo," ut ait Donat. Cf. Eun. 5, 5, 50. Praeter morem suum Micio iratus ne conviciis quidem abstinet. 13. Legitur metro duriore: Fieri aliter non potest. Notum Posse pro Fieri posse.

M. Insanis? Aufer! D. Age, da veniam filio. M. Satin' sanus es? i. t.
Ego novus maritus anno demum quinto et sexagesimo
Fiam atque anum decrepitam ducam? idne estis auctores mihi? Ae. Fac: i. t. h.
Promisi ego illis. M. Promisti autem? De te largitor, puer. i. t.
D. Age! quid, si te majus oret? M. Quasi non hoc sit maxumum. t. t. c.
D. Da veniam. Ae. Ne gravare. D. Fac! promitte! M. Non omittitis? i. t.
Ae. Non, nisi te exorem. M. Vis est haec quidem. D. Age prolixe, Micio.
M. Etsi hoc mihi pravum, ineptum, absurdum, atque alienum a vita mea
Videtur: si vos tantopere istuc voltis, fiat. D. Bene facis . . .
Ae. Merito te amo. D. Verum . . . (Quid ego dicam? — Hoc confit, quod volo!) t. t. c.
M. Quid? num quid restat? D. Hegio istis est cognatus proxumus, i. t.
Adfinis nobis, pauper: bene nos aliquid facere illi decet.
M. Quid facere? D. Agelli est hic sub urbe paulum, quod locitas foras;
Huic demus, qui fruatur. M. Paulum id autem est? D. Si multum est: tamen

14. Aufer. Aut te deest, aut manum. Donat. 18. Ita Frib. Minus eleganter legitur: A., quid, si quid te majus oret? 19. Sic plurimi libri, etiam nostrorum pars major V.: Ne gravere. — omittis? veniam, gratiam. Virg. Aen. 4, 435.: Extremam hanc oro veniam, etc. 20. Age prolixe, Age benigne. Ex Donato. 23. V.: — facis. Mer. te amo. D. Verum q. e. d.? hoc (omisit hoc Ascens.) confit quod volo: Quid nunc quod restat? Heg. his est cogn. prox. Frib.: hoc cum fit (cum fit plerique codd., in his a nobis visi) quod v. Es. Quid? De. nunc quid r.? Mi. quid nunc quod r.? (nam bis haec habet.) De. hegio iste is est c. pr. In Guelf. verba Merito te amo Aeschino tribuuntur, quemadmodum per totam scenam prior loquitur Demea, et Aeschinus obsecundat. Bentl.: Mertuo (hoc addidit, ut jambicus versus efficeretur) te amo. verum. Mi. quid? D. ego dicam, hoc cum fit, quod volo. Mi. Quid nunc? quid restat? D. Hegio hic est (sic sane Helmstad. Ascens.: Heg. est hic) his c. pr. Donat.: „Hoc confit, quod volo. Perficitur, inquit, quod volo: ut sumtum et turbam domum recipiat Micio, et ego ineam gratiam.“ Nescit primum Demea, quid insuper petat a Micione; quamobrem, ad spectatores conversus ait submissa voce: Quid ego dicam? Deinde se recolligens infit de Hegione. 26, 27. Codd. aliquot paulum utroque loco,

Faciundum est. Pro patre huic est; bonus est; noster est: recte datur.
Postremo nunc meum illud facio, verbum, quod tu, Micio,
Bene et sapienter dixti dudum, *vitium commune omnium est,*
*Quod in senecta ad rem nimium attenti sumus.* i. s.
Hanc nos maculam decet effugere. Dictum est vere, et re ipsa oportet t. t.
Fieri. M. Quid istic? Dabitur, quando hic quidem volt. Ae. Volo, mi pater. as. t. d. i. d.
D. Nunc tu mi es germanus pariter animo et corpore. M. Gaudeo. t. t. c.
(D. Suo sibi gladio hunc jugulo.)

## ACTUS V. SCENA VII.

### SYRUS, DEMEA, MICIO, AESCHINUS.

S. Factum est, quod jussisti, Demea. t. t. c.
D. Frugi homo es. Ergo edepol hodie mea quidem sententia

quod, ab ipso versn requisitum, posuit Bentl. V.: paululum. 29. nunc pro non vulgato Guyeti Laceratus, Bentleji Reg. chartaceus, ex veterrimo quodam transcriptus, et Helmstad., id quod conjectura assecuti fuerant Guilelm. et Palmer. Lamp. Gruter. 4. p. 865., merito autem in ordinem recepit Bentl. Facio verbum C. Berol. V.: verbum facio. 31. seqq. V.:

*Quod nim. ad rem in sen. att. sumus: hanc mac. nos decet*
*Eff.: dict. est vere, et re ipsa fieri op.*
M. *Q. ist.? dab., quandoquidem hic volt.* Ae. *mi pater.*
D. *Nunc tu* etc.

Bentl.: — oportet, Micio. Sequentem versum finit verbis Demeae Nunc tu mihi; deinde scribit; Micio, es germanus; habetque versus 31, 32. pro jambicis, duos vero seqq. pro trochaïcis, nomini Micionis nunc signum simile personae offecisse ratus, nunc mihi praegressum. Nos versum 31. pro clausula habemus, post jambicos tetram. eo aptius, ut videtur, usurpatam, quod quae in hanc rem Micio dixit 5, 1, 48, eodem metro conscripta sunt. Quae deinceps sequuntur, magni ponderis verba Hanc nos etc., τῷ χλευασμῷ dicta illa, ut monet Donatus, metro magnifico trochaïci tetram. gravissime accidunt ad aures. Denique 33. necessario addendum fuit Volo, cujus vocabuli omittendi ansam praebuisse videtur antecedens: alioqui verba Mi pater quid sibi velint, nescias. Cf. 5, 7, 12.

A. V. SC. VII, 1. jussisti codd. tantum non omnes, neque vulgatum justi quadrat ad versum. 2. Sic libri plurimi, etiam nostri. V.: ego edepol etc., quod miror placere viris doctissimis.

Judico, Syrum fieri esse aequom liberum. M. Istunc liberum? as. t. d. i. d.
Quodnam ob factum? D. Multa. S. O noster Demea, edepol vir bonus t. t. c.
Ego istos vobis usque a pueris curavi ambos sedulo, i. t.
Docui, admonui, bene praecepi semper, quae potui, omnia. t. t. c.
D. Res adparet. Et quidem porro haec, obsonare cum fide,
Scortum adducere, adparare de die convivium,
Non mediocris hominis haec sunt officia. S. O lepidum caput!
D. Postremo hodie in psaltria istac emunda hic adjutor fuit, as. t. d. i. d.
Hic curavit. Prodesse aequom est: alii meliores erunt. t. t. c.
Denique hic volt fieri. M. Vin' tu hoc fieri? Ae. Cupio. M. Si quidem
Tu vis: Syre, eho, accede huc ad me. Liber esto. S. Bene facis.
Omnibus gratiam habeo, et seorsum tibi praeterea, Demea.
D. Gaudeo. Ae. Et ego. S. Credo. Utinam hoc perpetuum fiat gaudium!
Phrygiam ut uxorem meam una mecum videam liberam!
D. Optumam quidem mulierem. S. Equidem tuo nepoti, hujus filio,
Hodie prima mammam dedit haec. D. Hercle vero serio,
Si quidem prima dedit: haud dubium est, quin emitti aequom siet.
M. Ob eam rem? D. Ob eam. Postremo a me argentum, quanti est, sumito.
S. Di tibi, Demea, omnia omnes semper optata offerant!
M. Syre, processisti hodie pulchre. D. Si quidem porro, Micio,
Tu tuum officium facies, atque huic aliquid paulum prae manu
Dederis, unde utatur. Reddet tibi cito. M. Istoc vilius.

4. Sic fere antiqui libri, non bonus es, sicut vulgo. A Berol.: Aed. es vir bonus, ut migrare solent interpretamenta. Es intelligitur: vid. not. ad Eun. 5, 11, 15. 6. Ita Helmstad. V.: monui. 10. ista Bentl., cum in suis invenisset, quod habent A Berol. Frib. Ascens. istac. Sed non repudiandus temere est versus ille asynartetus, quo non ita raro etiam hunc nostrum uti intelleximus. V., secundum Faërnum etc.: hac, quod legitur in B Berol. 17. Equidem Frib. V.: Et quidem. 18, 19. Ita Guyet. Bentl. ex codicibus. V. primam utroque loco. Helmst.: hodie primum. Berol. C: Si q. prima d. 24. Charis. ex Suetonio p. 180. Putsch.: Rex, qui vocabat ad coenam, si

# PERSONAE.

PHORMIO, parasitus.
DEMIPHO, senex.
ANTIPHO, adolescens.
GETA, servus.
DORIO, leno.
CHREMES, senex.
PHAEDRIA, adolescens.
DAVUS, servus.
SOPHRONA, nutrix.
NAUSISTRATA, matrona.
HEGIO, advocatus.
CRATINUS, advocatus.
CRITO, advocatus.

# PERSONAE MUTAE.

DORCIUM, ancilla et uxor Getae.
PHANIUM, adolescentula.

# C. SULPITII APOLLINARIS
## PERIOCHA IN PHORMIONEM.

Chremetis frater aberat peregre Demipho, i. e.
Relicto Athenis Antiphone filio
Chremes clam habebat Lemni uxorem ac filiam,
Athenis aliam conjugem et amantem unice
Gnatum fidicinam. Mater e Lemno advenit
Athenas; moritur. Virgo sola (aberat Chremes)
Funus procurat. Ibi eam visam cum Antipho
Amaret, opera parasiti uxorem accipit.
Pater et Chremes reversi fremere; dein minas
Triginta dant parasito, ut illam conjugem
Haberet ipse. Argento hoc emitur fidicina;
Uxorem retinet Antipho a patruo agnitam.

Vers. 5. ita 5 Beroll. Helmstad. Frib. Ascens. V.: et fil.

# M. ANT. MURETI

# ARGUMENTUM.

*Chremes et Demipho fratres Athenienses erant. Chremes Athenis uxorem divitem ac bene dotatam duxerat Nausistratam, et ex ea susceperat filium Phaedriam. Habebat Nausistrata, praeter ceteras opes, opima praedia in Lemno. Eo igitur Chremes quotannis ad ea locanda capiendosque fructus commeabat. Dum illic residet: pauperculae cujusdam mulieris amore correptus, eam quoque ducit uxorem, et ex ea suscipit filiam Phanium; ac ne res emanaret, commutato nomine, Stilphonem se Lemni vocari jubet. Detrahebat autem e fructibus praediorum uxoris Atheniensis, quantum satis esset ad illam alteram una cum filia nutriendam; deinde Athenas reversus aut calamitatem, aut vilitatem, aut tale aliquid causabatur. Erat Demiphoni filius Antipho. Cum igitur Phanium quindecim jam haberet annos; conveniunt inter se Chremes et Demipho, ut Chremes quidem et Lemniam uxorem et Phanium Athenas clanculum adduceret, Demipho vero Phanium filio suo uxorem daret. Ejus rei causa proficiscitur in Lemnum Chremes. Eodem tempore accidit, ut Demiphoni quoque iter esset in Ciliciam. Abeuntes ambo Getae (is Demiphonis servus erat) filios committunt suos. Profectis senibus Phaedria se statim citharistriae cujusdam amore implicat. Sed hoc erat incommodi, quod, qui a lenone emeret, quod daret, nihil habebat. Interea uxor e Lemno, quae, propter paupertatem, viri, diutius forte, quam solebat, morantis, adventum expectare non posset, conscensa navi Athenas una cum filia et nutrice ipsius venit. Quaerunt Stilphonem frustra: Athenis, qui quemquam eo nomine nosset, reperiebatur nemo. Ibi mater (tanta eam aegritudo ceperat) moritur. Ei funus una cum nutrice procurantem Phanium cum adspexisset Antipho: subito amore illius exarsit. Venit ad nutricem*

*postridie, ut ejus sibi copiam faceret, obsecrans. Illa se, nisi puellam uxorem duceret, facturam negat. Illi, cum et quidvis facere cuperet, et patrem absentem vereretur, parasitus Phormio hoc consilium dedit. Lex erat Athenis, ut orbas puellas, qui eis genere proximi essent, ducere, aut, si nollent, dotem eis dare cogerentur: ego, inquit parasitus, simulabo, me patri virginis amicum fuisse, ideoque causam illius suscipere; vocabo te in judicium, tanquam illius cognatum, tecumque lege agam, ut eam ducas. Tu ita te defendes, ut mihi facilem victoriam praebeas: ita condemnabere. Sic fiet, ut et tu potiaris tua, et patre reverso paratam excusationem habeas. Ita fiunt omnia, ut parasitus suaserat. Confectis jam nuptiis eodem die ambo redeunt senes. Turbari uterque; ille, quod filius indotatam uxorem se absente duxisset; hic, quod vereretur, ne, erepta sibi hac collocandae filiae occasione, tota res fieret palam. Eo ipso die leno, citharistriae, quam Phaedria amabat, dominus, nisi sibi pro ea triginta minae darentur, venditurum se eam minitabatur. Ad eas conficiendas hanc fallaciam Geta confingit: ait senibus, se cum Phormione collocutum; Phormionem vero, si sibi dotis triginta minae darentur, paratum esse eam uxorem accipere, quam duxisset Antipho. Eam pecuniam Demipho a Chremete sumtam numerat Phormioni; is eam Phaedriae, Phaedria lenoni pro amica tradit. Cum haec jam confecta essent: agnoscitur Phanium. Ibi vero senes gaudere, quod, quas nuptias ipsi facere moliebantur, eae ipsis absentibus atque inscientibus factae essent; sed dolebant, sibi periisse triginta minas. Eas dum a Phormione, primo blanditiis, postea etiam per vim, eripere conantur: Phormio, qui jam de duabus Chremetis uxoribus deque tota re intellexerat, inclamat Nausistratam, eique aperit omnia. Illa cum aliquamdiu de viro conquesta esset: tandem placatur, filiique ipsius judicio omnia se permissuram pollicetur.*

# PROLOGUS.

Postquam poëta vetus poëtam non potest
Retrahere ab studio et transdere hominem in otium:
Maledictis deterrere, ne scribat, parat.
Qui ita dictitat, *quas ante hic fecit fabulas,*
*Tenui esse oratione et scriptura levi:*
Quia nusquam insanum fecit adolescentulum
Cervam videre fugere, et sectari canes,
Et eam plorare, orare ut subveniat sibi.
Quod si intelligeret, cum stetit olim, novâ
Actoris operâ mage stetisse quam suâ;
Minus multo audacter, quam nunc laedit, laederet,
Et mage placerent, quas fecisset fabulas.
Nunc si quis est, qui hoc dicat, aut sic cogitet:
*Vetus poëta non lacessisset prior:*

Prologi versu 2. Victorian. et aliquot libri, quos sequitur Bentl., item B Berol.: ab studio; dein tradere fere legitur in scriptis. Helmstad. trahere pro eodem, nisi fallor. Frib.: transducere, quae est interpretatio. V.: Retr. a studio etc. 4. Ita Bentl. C Berol.: ante hec. V.: antehac. 6. Donat.: „Scripsit. Legitur et Fecit." Quam scripturam haud immerito probant Guyet. et Bentl., laudantes Heaut. prol. 31. etc. Ceterum Frib.: fecit insanum. 7. Donat.: „Cerv. vid. f. et s. c. Hic affectus a comoediis removendus est." Et ad sequ. versum: „Haec omnis τραγῳδία tragica est, et ideo in comoedia vitioso inducitur." 9. V.: cum st. olim nova, Actoris etc. Novam aliquam Luscii fabulam scholiastae aliique intelligunt, quasi de uno aliquo ejus opere ageretur, et non totus, ut ita dicam, homo vapularet hoc sermone Terentii. Imo novâ operâ excellentis alicujus actoris magis olim stetit Luscius, quam suâ. Stetit posteriorem syllabam producit: vid. not. ad Adelph. prol. 25. Frustra de metro solliciti, idque ipsum depravantes, scribunt verbis transpositis: olim cum stetit nova. 12. Delent hunc versum Faërn. Bentl. et alii cum propterea quod non legitur in Bembino Vaticano et Victoriano, tum quia ipsis alienus ab hoc loco atque sublectus videtur Andriae prol. 3. Verum neque illi codd. nunquam falluntur, et magis placiturae dicuntur fabulae Luscii, si illis non abutatur ad latrandos aemulos populo probatos; denique similia et apud alios poëtas inveniuntur, et apud ipsum Terentium hujus prol. 31. et Andriae atque Heautontimorumeni 24. et 35, Heaut. 4, 5, 20. et Ad. 5, 5, 7. 14. V.: Vetus si poëta, pessime deproperato magni ponderis verbo Vetus. Frib. Ascens.: Vetus poëta si. Tolle vagantem particulam, elegantiamque suam redde Afro graecissanti. Vid. Vechner. Hellenolex. pag. 147. ed. Heusinger.

*Nullum invenire prologum posset novus.*
*Quae diceret, nisi haberet, cui malediceret?*
Is sibi responsum hoc habeat, in medio omnibus
Palmam esse positam, qui artem tractant musicam.
Ille ad famem hunc ab studio studuit reicere;
Hic respondere voluit, non lacessere.
Benedictis si certasset: audisset bene.
Quod ab illo adlatum est, id relatum sibi putet.
De illo jam finem faciam dicundi mihi,
Peccandi cum ipse de se finem non facit.
Nunc, quid velim, animum attendite. Adporto novam,
*Epidicazomenen* quam vocant comoediam
Graece, Latini *Phormionem* nominent,
Quia primas partis qui aget, is erit Phormio
Parasitus, per quem res geretur maxume,
Voluntas vostra si ad poëtae accesserit.
Date operam; adeste aequo animo per silentium:
Ne simili utamur fortuna, atque usi sumus,

15. V.: potuisset, correpta quidem prima syllabá in prologum, quam producere Latini solent. Correxit Bentl. 16. Putide libri: — novus, Quem diceret etc. Lusus verborum diceret et malediceret. 19. studuit. Frib.: voluit. Sed amat hic noster paronomasias. 22. Legitur versu impedito: Q. ab. i. a. est, id sibi esse rellatum putet. Bentl. ex libris plurimis: — est, sibi esse id r. p., quae scriptura eodem vitio laborat. Esse est glossema, quod non habet A Berol. 25. sequ. Miro prolubio Bentl.: De illo tum f. f. d. m., P. c. i. de se finem fecerit. Significat prologus, taciturum se in posterum de Luscio, quamvis ille non desinat peccare. Donat.: Non facit pro Non faciat. Helmstad.: Pecc. de se cum ipse f. n. f. 26. V.: Epidicazomenon. Donat.: „Hic manifesto errat Terentius: nam haec fabula, quam transtulit, Epidicazomene dicta est a puella, de qua judicium est; cum sit alia Epidicazomenos ejusdem Apollodori. Debuit ergo dicere Epidicazomenen graece.“ Sed recte Bentl.: Non est, inquit, quod cum Donato erroris arguamus Terentium, cum facile corrigere possimus Epidicazomenen. Nam ut Ἐπίδικος, auctore Harpocratione, est virgo orba, de qua lis, cui debeat in matrimonium locari: ita Ἐπιδικαζομένη est, de qua judicium factum est: et talis utique hic a Terentio inducitur Phanium. 27. V.: Graeci, Latini Ph. nominant. Bentl. ex 2 codd.: Graece, Latine, et de se: hic (Terentius) Ph. nominat; quia poëtae sit indere nomen suae fabulae, nec Latini ignotam sibi appellare potuerint. Minore nos negotio scripsimus nominent, nominabunt, nominare possunt me auctore. 30. Inepte libri: Voluntas vostra si ad poëtam accesserit. Imo: ad poëtae, ad poëtae voluntatem, seu propositum. Si idem volueritis, quod vult poëta, rem ita geri, bene agi et peragi hanc fabulam. 32. Cum Hecyra agenda esset. Vid. prolog. ejus fabulae.

Cum per tumultum noster grex motus loco est;
Quem actoris virtus nobis restituit locum,
Bonitasque vestra adjutans atque aequanimitas.

---

# ACTUS I.

## SCENA I.

### DAVUS.

Amicus summus meus et popularis Geta i. s.
Heri ad me venit: erat ei de ratiuncula
Jampridem apud me reliquum pauxillulum
Nummorum; id ut conficerem. Confeci; adfero:
Nam herilem filium ejus duxisse audio
Uxorem; ei, credo, munus hoc conraditur.
Quam inique comparatum est, hi, qui minus habent,
Ut semper aliquid addant divitioribus!
Quod ille unciatim vix de demenso suo,
Suum defrudans genium, conpersit miser,
Id ea universum abripiet, haud existumans,
Quanto labore partum. Porro autem Geta
Ferietur alio munere, ubi hera pepererit;
Porro alio autem, ubi erit puero natalis dies;
Ubi initiabunt. Omne hoc mater auferet:
Puer causa erit mittundi. Sed videon' Getam?

## ACTUS I. SCENA II.

### GETA, DAVUS.

G. Si quis me quaeret rufus... D. Praesto est: desine.
G. Oh! i. s.
At ego obviam conabar tibi, Dave. D. Accipe, hem!
Lectum est; conveniet numerus, quantum debui.
G. Amo te et non neglexisse habeo gratiam.

A. I. SC. I, 7. hi Guelf. Helmst. Donat. et vulgati libri. C Berol.: hij. Bentl.: ii. 8. Frib.: dicioribus. Alii quoque ditioribus: vid. Bentl. 9. Muret.: demenso de suo. 11. Libri minus ἐμμέτρως: Id illa. 14. Ita Bentl. ex suis vett., A Berol. Frib. Ascens. Donat. V.: P. autem alio, occultato quidem verbo alio. 15. Helmst.: omnia hec. 16. C. Berol.: amittundi.

A. I. SC. II, 1. Guelf.: Ah.

Praesertim ut nunc sunt mores: adeo res redit:
Si quis quid reddit, magna habenda est gratia.
D. Sed quid tu es tristis? G. Egone? Nescis, quo in metu,
Quanto in periclo, simus. D. Quid istuc est? G. Scies,
Modo ut tacere possis. D. Abi sis, insciens!
Cujus tu fidem in pecunia perspexeris,
Verere ei verba credere; ubi quid mihi lucri est
Te fallere? G. Ergo ausculta. D. Hanc operam tibi dico.
G. Senis nostri, Dave, fratrem majorem, Chremen
Nostine? D. Quidni? G. Quid? ejus gnatum Phaedriam?
D. Tanquam te. G. Evenit, senibus ambobus simul
Iter illi in Lemnum ut esset, nostro in Ciliciam
Ad hospitem antiquom: is senem per epistolas
Pellexit, modo non montis auri pollicens.
D. Cui tanta erat res et supererat? G. Desinas:
Sic est ingenium. D. Oh, regem me esse oportuit!
G. Abeuntes ambo hinc tum senes me filiis
Relinquunt quasi magistrum. D. O Geta, provinciam
Cepisti duram. G. Mi usus venit; hoc scio.
Memini relinqui me deo irato meo.
Coepi advorsari primo. Quid verbis opust?
Senibus fidelis dum sum, scapulas perdidi.
D. Venere in mentem istaec mihi: namque inscitia est
Advorsus stimulum calces. G. Coepi iis omnia

5. V.: redit. Helmstad. Frib. rediit. Usitatae ejusmodi crases: vide nos ad Plaut. Amph. prol. 74, Senecae Herc. fur. 49, et cf. Virg. A. 5, 269, Propert. eleg. 2, extrem. 64. etc. 7. V.: metu et Qu., obmutescente quidem verbo metu. 8. Scholiastae vett., C Berol. Guelf. Helmst. Frib.: sim. C et Helmstad.: ego sim. Cf. Bentl., qui ex melioribus ipsi visis, a quibus stant A et B Beroll. Ascens., dedit simus. Sic et Zeun. 10. Frib.: prospexeris. 11. C Berol.: Vereris. 12. dico. Nostri: dabo. Frib.: do. Glossemata. 16. Cilic. Nostri: Siciliam. 23. Sic libri, quos sequuntur Faërn. Bentl.; neque aliter A Berol. Alii: usu venit. C Berol. et Helmstad.: per usum venit. 24. deo. domino alicubi reperisse videtur Donatus. Eugraph.: „Noster deus est, qui favet nobis: qui si iratus fuerit, adversa omnia patimur. Ut Virg. (A. 2, 396.) Vadimus immixti Danaïs, haud numine nostro.“ Genium Guyetus intelligit. 26. Ita Guyet. Bentl. V.: Seni. Sed cf. 21. 27. Donat.: „Venire in mentem non ad recordationem tantum dicitur, sed ad reputationem et intelligentiam.“ Getae haec Bentl., sed Davo tribuunt libri vett.; idque rectius, etiam Zeunio monente, ut inter alterius narrationem hoc, quod dicturus est, verbum de calcibus adversus stimulum jactatis in mentem sibi venisse dicat Davus. Ceterum recte Bentl. ex suis: namque, quod habent etiam A et C Beroll. Frib. Ascens. V.: nam quae. Frib.: istaec mihi. V.: mihi (mi) ist. 28. Sic edd. vett. V.: Adversum.

Facere; obsequi, quae vellent. D. Scisti uti foro.
G. Noster mali nil quidquam primo; hic Phaedria
Continuo quandam nactus est puellulam
Citharistriam; hanc amare coepit perdite.
Ea serviebat lenoni inpurissimo;
Neque, quod daretur, quidquam: id curarant patres.
Restabat aliud nil, nisi oculos pascere,
Sectari, in ludum ducere et reducere;
Nos otio dabamus operam Phaedriae.
In quo haec discebat ludo, exadvorsum illico
Tonstrina erat quaedam; hic solebamus fere
Plerique eam opperiri, dum inde iret domum.
Interea dum sedemus illi: intervenit
Adolescens quidam lacrumans. Nos mirarier;
Rogamus, quid sit. *Nunquam aeque*, inquit, *ac modo*
*Paupertas mihi visa onus est et miserum et grave.*
*Modo quandam vidi virginem hic viciniae*
*Misere suam matrem lamentari mortuam*
*(Ea sita erat exadvorsum); neque illi benevolens*
*Neque notus neque cognatus extra unam aniculam*
*Quisquam aderat, qui adjutaret funus. Miseritum est.*
*Virgo ipsa facie egregia.* Quid verbis opust?
Conmorat omnis nos. Ibi continuo Antipho:
*Voltisne eamus visere?* alius: *Censeo*

29. Scisti uti foro. „Secundum illos negotiatores, qui ante locum commercii non praescribunt, quanti vendant, quae advehunt; sed secundum annonam fori, quam deprehenderint, consilium de vendendis aut non vendendis mercibus sumunt.“ Donat. Et Eugraph.: Sc. u. f. Intellexisti, quid te oporteat facere. Cato grammaticus in praefat. Distichorum, ut monet Guyet.: foro pare, i. e. sequere fori consensum, consuetudinem. 37. V., pravis numeris: Nos otiosi operam dabamus Ph. Phaedr. 1, 25, 6.: Lambe otio, etc. 38. illico Faërn. ex Bembino, id est, interprete Guyeto, recta, statim, jam, prope. Qui confert Ad. 2, 1, 3. Sic vel elico vett. apud Palmer. Lamp. Gruter. 4, p. 850, qui pariter probat. Donat.: „Ei loco. Legitur et illico, et adnotatur, ex abundanti additum, ut apud veteres multa sunt.“ Similiter nostrates: gleich gegenüber. V.: ei loco, pro eloco, nisi fallor. Illud ferendum esse negat Palmerius. 40. Libri ταυτολογικῶς: fere Plerumque. 41. Illi pro Illic. Donat. 44. visa Bentl. ex MS. Collegii Corp. Christi et Prisciano pag. 1026. Putsch. V.: visum. 45. hic vicinfae. Hellenismus. Plato de Rep. 1: ἐνταῦθα εἶ τῆς ἡλικίας, etc. Guyet. 46. Libri: Miseram, quod et ambiguum est et praeposterum, cum de miseria virginis dicatur in sequentibus. 47. Ea, mater mortua. 48. Helmstad. et Frib.: N. notus neque vicinus, neque cognatus, extra u. a.

*Eamus.* *Duc nos sodes.* Imus, venimus,
Videmus. Virgo pulchra, et, quo mage diceres,
Nihil aderat adjumenti ad pulchritudinem.
Capillus passus, nudus pes, ipsa horrida,
Lacrumae, vestitus turpis: ut, ni vis boni
In ipsa inesset forma, haec formam extinguerent.
Is, qui illam amabat fidicinam, tantummodo,
*Satis*, inquit, *scita est;* noster vero ... D. Jam scio:
Amare coepit. G. Scin', quam? Quo evadat, vide.
Postridie ad anum recta pergit; obsecrat,
Sibi ut ejus faciat copiam. Enim illaec se negat,
Neque eum aequom facere ait: illam civem esse Atticam
Bonam, bonis prognatam. Si uxorem velit:
Lege id licere facere; sin aliter: negat.
Noster, quid ageret, nescire: et eam ducere
Cupiebat, et metuebat absentem patrem.
D. Non, si redisset, ei pater veniam daret?
G. Ille indotatam virginem atque ignobilem
Daret illi? Nunquam faceret. D. Quid fit denique?
G. Quid fiat? Est parasitus quidam Phormio,
Homo confidens; qui illum di omnes perduint!
D. Quid is fecit? G. Hoc consilium, quod dicam, dedit.
Lex est, ut *orbae, qui sint genere proxumi,*
*Iis nubant; illos ducere* eadem haec lex jubet.
Ego te cognatum dicam et tibi scribam dicam:
Paternum amicum me adsimulabo virginis.
Ad judices veniemus; qui fuerit pater,
Quae mater, qui cognata tibi sit, omnia haec
Confingam, quod erit mihi bonum atque commodum.
Cum tu horum nil refelles: vincam scilicet.
Pater aderit: mihi paratae lites. Quid mea?
Illaec quidem erit nostra. D. Jocularem audaciam!

59. Libri duris numeris et λαβδακισμῷ parum suavi: Ille, qui illam. Saepissime confunduntur pronomina. 63. Ita Guyet. metri gratia. V.: Ut sibi ejus. Deinde libri: Illa enim se negat, correpta priore syllaba τοῦ Illa, quod non licet in versu medio. Vid. not. ad. Ad. 5, 5, 24. 64. Fac. ait, ut Bentl., etiam C. Berol. et Ascens. V., minus expeditis numeris: ait fac. Helmstad. Frib.: illam hinc civem. 66. Lege Helmstad. Large. 67. V.: et illam. Correxit Guyet. 73. qui, quo, quamobrem. Vid. Parei lexic. Plaut. h. v. Aliter Donati simius; sed frustra. 76. Ita Guyet. V.: et illos, numero quidem duriore. 77. B. Berol.: scribam tibi. 84. V.: Illa qui|dem no|stra erit. | Joonla|rem auda|ciam. Qui numeri Terentio sunt indigni. Guelf.: ioculatorem. Licet ponere Nostra illa quidem erit. D. Joculatorem audaculum. Eest.: Audax.

G. Persuasum est homini; factum est; ventum est; vincimur;
Duxit. D. Quid narras? G. Hoc, quod audis. D. O Geta,
Quid te futurum est? G. Nescio hercle; unum hoc scio:
Quod Fors feret, feremus aequo animo. D. Places.
Hem, istuc viri est officium! G. In me omnis spes mihi est.
D. Laudo. G. Ad precatorem adeam, credo, qui mihi
Sic oret: *Nunc amitte, quaeso, hunc; ceterum*
*Posthac si quidquam: nil precor.* Tantummodo
Non addit *Ubi abiero hinc ego, vel occidito.*
D. Quid paedagogus ille, qui citharistriam?
Quid re gerit? G. Sic, tenuiter. D. Non multum habet
Fortasse, quod det. G. Imo nil, nisi spem meram.
D. Pater ejus rediit, an non? G. Nondum. D. Quid? senem
Quoad expectatis vostrum? G. Non certum scio;
Sed ab eo adlatam epistolam audivi modo et
Ad portitores esse delatam; hanc petam.
D. Numquid Geta aliud me vis? G. Ut bene sit tibi.
Puer, heus! — Nemon' huc prodit? — Cape; da hoc Dorcio.

deminutivum facit Andaculus. Cf. lexica h. v. Vel forte depravata est vox rarior, vel oblitterata a magistris, ne discipuli minus usitate loqui discerent. Deminutivum pertinet ad contemtum. 88. Places Guyet. secundum quosdam libros; item Bemb. V.: Placet, quod minus elegans. 90. mihi. Id est pro me, ajunt Donat., vel quisquis ille est, et Guyet. Mihi familiariter additum videtur pronomen. 91. amitte, dimitte. Sic veteres loquebantur: cf. Donat. Ceterum Gualf. Accurs. Bentl. Zeun.: amitte. Alibi fere legitur omitte, vel obmitte, quod habet C. Berol. 93. addit plerique codd., in his Helmstad. C. Berol., Quadratus Puteani apud Guyetum, Frib.: addet. Sequor Bentlejum. 94. qui citharistriam. Donat.: „ἐλλειψις. Sectatur, amat, vel quid tale subaudiendum est.“ Virg.: Novimus et, qui te. 95. Minus ἐμμέτρως libri; rei. Donat.: „Δεικτικῶς Sic dicendum est cum aliquo gestu.“ Cf. Heaut. 5, 1, 49. 96. Ita Guyet. V.: Quod det fort. 98. quoad pro quod ad, extrito d ἐλλειπτικῶς, id est, quod ad tempus. Guyet. 99. Putide libri: Sed epist. ab eo allatam esse aud. m. Et ad port. esse del. 102. MS. Colon. apud Palmer. Lamp. Gruter. 4. p. 854.: procedit. Guyet.: da Dorcio.

# ACTUS II.

## SCENA I.

### ANTIPHO, PHAEDRIA.

A. Adeon' rem redisse, ut, qui mihi consultum optume velit esse, t. t.
Patrem, Phaedria, ut extimescam, ubi in mentem ejus adventi venit? as. t. d. i d.
Quod ni fuissem incogitans, ita eum expectarem, ut par fuit. i. t.
P. Quid istuc? A. Rogitas, qui tam audacis facinoris mihi conscius sis? i. t. h.
Quod utinam ne Phormioni id suadere in mentem incidisset, t. t.
Neu me cupidum eo inpulisset, quod mihi principium est mali! t. t. c.
Non potitus essem: fuisset tum illos mi aegre aliquot dies;
At non quotidiana cura haec augeret animum . . . P. Audio. i. t.
A. Dum expecto, quam mox veniat, hanc qui mi adimat consuetudinem.
P. Aliis, quia defit, quod amant, aegre est; tibi quia superest, dolet.
Amore abundas, Antipho. i. d.
Nam tua quidem hercle certo vita haec expetenda optandaque est. i. t.
Ita me di bene ament, ut mihi liceat tam diu, quod amo, frui,
Jam depecisci morte cupio; tu conjicito ceterum,
Quid ego hac ex inopia nunc capiam, et quid tu ex istac copia.
Ut ne addam, quod sine sumtu ingenuam, liberalem, nactus es;
Quod habes, ita ut voluisti, uxorem, sine mala fama palam;

A. II. SC. I, 2. Bentl. secundum Priscian. lib. 6.: ubi ejus adv. venit in m.? ut hic quoque versus sit troch. tetram. Sed eo nihil opus. 4. Sic idem V.: Q. ist. est? quo versus impeditur. 13. ut, ea conditione, ut. tam diu quam lic. Antipho. 14. Ita Bentl., quia non sunt plura, quae conjiciat. V.: cetera. 15. quid ego. Infortunium scilicet. quid tu. Fructum ac felicitatem. Donat.

Beatus, ni unum desit, animus, qui modeste istaec ferat.
Quodsi tibi res sit cum eo lenone, quocum mihi, tum sentias.
Ita plerique omnes sumus ingenio: nostri nosmet poenitet.
A. At tu mihi contra nunc videre fortunatus, Phaedria,
Cui de integro est potestas etiam consulendi, quid velis,
Retinere amare, an mittere; ego in eum incidi infelix locum,
Ut neque mihi jus sit amittendi, nec retinendi copia.
Sed quid hoc est? videon' ego Getam currentem huc advenire? i. t. c.
Is ipsust. Hei, timeo miser, quam hic nunc mihi nuntiet rem!

## ACTUS II. SCENA II.

### GETA, ANTIPHO, PHAEDRIA.

G. Nullus, Geta, es, nisi jam aliquod tibi consilium celere repereris: t. t. c.
Ita nunc inparatum subito tanta te inpendent mala,
Quae neque uti devitem scio, neque quomodo me inde extraham:
Nam non potest celari nostra diutius jam audacia. i. t.
[Quae si non astu providentur, me aut herum pessum dabunt.]
A. Quidnam ille commotus venit? i. d.
G. Tum temporis mihi punctum ad hanc rem est: herus adest. A. Quid istuc mali est? i. t.
G. Quod cum audierit, ejus quod remedium inveniam iracundiae? i. t. c.

19. Quodsi fere codd., non Et si, sicut vulgo. Illud Bentl. praetulit. V. quoque: mihi est, vel mi est, ita eliso pronomine, ut vix audiatur. 20. Ita Bentl. ex cod. Coll. Corp. Christi. V.: I. pl. ing. sumus omnes, bis acuto vocabulo ing. 23. amare, τὸ amare, amorem, quod ipsum poni cum quibusdam non est necesse. Plaut. Curc. 28.: Ita tuum conferto amare etc. Recte Bentl. an mittere. V.: amittere.

A. II. SC. II, 1. repereris etiam A Berol. B.: reperies. Bentl.: Nullu's (pro Nullus es, contractione insolita), Geta, nisi aliquam cons. cel. repereris. Tibi non legitur apud Priscianum. Libri vulgati: reppereris, sed choriambo finiri non debet hujusmodi versus trochaïcus. 4. Uncinis inclusa non habentur in Bentleji cod. quodam veterrimo et B Berolinensi, sublecta illa Andr. 1, 3, 3, quae recte delevit criticus Britannus.

Loquar? incendam; taceam? instigem; purgem me? laterem lavem.
Heu me miserum! cum mihi paveo, tum Antipho me excruciat animi: t. t.
Ejus me miseret, ei nunc timeo; is nunc me retinet: nam absque eo esset,
Recte ego mihi vidissem et senis essem ultus iracundiam; t. c. c.
Aliquid conrasissem atque hinc me protinam conjicerem in pedes.
A. Quam mi hic fugam aut furtum parat? i. d.
G. Sed ubi Antiphonem reperiam, aut qua quaerere insistam via? i. t.
P. Te nominat. A. Nescio quod magnum hoc nuntio expecto malum.
P. Ah, sanun' es? G. Domum ire pergam: ibi plurimum est. i. s.
P. Revocemus hominem. A. Sta illico. G. Hem, i. d.
Satis pro imperio, quisquis es! A. Geta! G. Ipse est, quem volui, obviam. i. t.
A. Cedo, quid portas, obsecro? atque id, si potes, verbo expedi. t. t. c.
G. Faciam. A. Eloquere. G. Modo apud portum. A. Meumne? G. Intellexti. A. Occidi! P. Hem!
A. Quid agam? P. Quid ais? G. Hujus patrem vidisse me, patruum tuum.
A. Nam quod ego huic nunc subito exitio remedium inveniam miser?
Quod si eo fortunae redeunt, Phanium, abs te ut distrahar:

8. Loquar? Bentl., ut taceam? purgem me? V.: Loquarne? 9. Heu A et B Beroll. et Frib. V.: Eheu, quo servato versus foret iambicus t. h., cum sequens sit troch. tetram., cujus hunc similem existimabimus rectius quam dissimilem propter eandem, quam uterque continet, sententiam. 11. Helmstad.: providissem. Glossema. 12. Ita Bentl., cum vulgo legatur: A. convasassem a. h. me conj. protinus in ped. Et conrasissem quidem legitur in 3 Bentleji libris, 2 nostris (A et B Beroll.); protinam autem Nigidius legit, teste Donato, quam formam et Plauti usus comprobat, et metrum commendat, alioqui sine causa idonea mutandum. 13. V.: Q. h. f. aut f. p.? Helmstad.: Q. hic mihi f. a. f. p.? Bentl.: Quamnam h. f. a. f. p.? 16, 17. ita dividuntur in A Berol., ut fieri jussit Guyetus. Bentl., Ah reciso, in unum versum conjungit, troch. pentam., a quo metri genere Comici abstinent. 19. Malim potest. 23. Ita Guyet. V., cumulatis crasibus: Q. si eo meae fort. red.

Nulla est mihi vita expetenda. G. Ergo, istaec cum ita sint, Antipho,
Tanto magis te advigilare aequom est. *Fortis fortuna adjuvat.*
A. Non sum apud me. G. Atqui opus est nunc cum maxume ut sis, Antipho:
Nam si senserit te timidum pater esse, arbitrabitur
Commeruisse culpam. P. Hoc verum est. A. Non possum immutarier.
G. Quid faceres, si aliquid tibi nunc gravius faciundum foret? i. t.
A. Cum hoc non possum, minus id possem. G. Hoc nihil est, Phaedria; ilicet. t. t. c.
Quid hic conterimus operam frustra? Quin abeo. P. Et quidem ego. A. Obsecro! i. t.
Quid, si adsimulo? satin' est? G. Garris. A. Voltum contemplamini. Hem! t. t. c.
Satin' est sic? G. Non. A. Quid, si sic? G. Propemodum. A. Quid, si sic? G. Sat est.
Hem, istuc serva, et verbum verbo, par pari, ut respondeas:
Ne te iratus suis saevidicis dictis protelet. A. Scio.
G. Vi coactum te esse invitum, lege, judicio. Tenes?
Sed quis hic est senex, quem video in ultima platea? A. Ipsus est.
Non possum adesse. G. Ah, quid agis? quo abis, Antipho? i. a.
Mane, mane, inquam. A. Ego me novi et peccatum meum.
Vobis commendo Phanium et vitam meam.
P. Geta, quid nunc fiet? G. Tu jam lites audies;
Ego plectar pendens, nisi quid me fefellerit.
Sed quod modo hic nos Antiphonem monuimus,
Id nosmet ipsos facere oportet, Phaedria.
P. Aufer mihi *Oportet;* quin tu, quid faciam, impera.
G. Meministin', olim ut fuerit vostra oratio
In re incipiunda ad defendendam noxiam,
Justam illam causam, facilem, vincibilem, optumam?
P. Memini. G. Hem, nunc ipsa est opus ea, aut, si qui potest,

29. aliquid Helmstad. Frib. Ascens. Bentl. ex suis, quibuscum sentiunt Beroll. et Guelf.: aliud quid. V.: aliud. Non liquescit si, sub ictu positum; tibi posteriorem syllabam producit. 30. V.: illud minus p. Helmstad.: id minus p.; sed minus potiore sede collocandum erat. 32. B et C Beroll.: Quid, si sic assim.? 39. Libri depravato metro: egomet. 50. si qui potest, h. e. si qua ratione potest (fieri potest,) εἴ πως δυνατόν ἐστι. Guyet. V.: si quid p.

Meliore, et calllidiore. P. Fiet sedulo.
G. Nunc prior adito tu; ego in insidiis ero hic,
Succenturiatus, si quid deficias. P. Age.

## ACTUS II. SCENA III.

### DEMIPHO, GETA, PHAEDRIA.

D. Itane tandem uxorem duxit Antipho injussu meo? t. t. c.
Nec meum imperium, ac mitto imperium, non simultatem meam
Revereri saltem? non pudere? O facinus audax! o Geta i. t.
Monitor! (G. Vix tandem.) D. Quid mihi dicent, aut quam causam reperient,
Demiror. (G. Atqui reperi jam: aliud cura.) D. An hoc dicet mihi:
*Invitus feci; lex coëgit.* Audio; fateor. (G. Places.)
D. Verum scientem tacitum causam tradere adversariis,
Etiam idne lex coëgit? (P. Illud durum.) G. Ego expediam: sine.)
D. Incertum est, quid agam, quia praeter spem atque incredibile hoc mi obtigit.
Ita sum inritatus, animum ut nequeam ad cogitandum instituere.
Quamobrem omnes, cum secundae res sunt maxume, tum maxume
Meditari secum oportet, quo pacto advorsam aerumnam ferant.

51. insidiis. Subsidiis, quod extat apud Priscianum, in Palmerii Coloniensi Lamp. Gruter. 4. p. 854. et Regio Bentleji, et his duobus placet et Guyeto, mihi frigere videtur sequente Succenturiatus. Accedit, quod, recepto in ordinem verbo subsidiis, et corripienda est postrema syllaba in adito, quam satius est produci more veterum, et pronomina tu et ego sic eliduntur, ut aegre audias, cum sint ὀρθοτονούμενα. Donat.: Succenturiati dicuntur, qui explendae centuriae gratia subjiciunt se ad supplementum ordinum. Et est translatio a re militari. (Quo pertinet etiam adito: vid., quem idem laudat, Virg. A. 5, 379 etc.) 52. Ita Bentl. secundum codicem suum 900 annorum, Bemb. et Priscianum. V.: deficies.

A. II. SC. III, 2. Sic idem ex Bembino Victoriano et Cicerone epist. 2, 19. V.: age, mitto. 5. Donat.: „Demiror pro nescio: nam admirationem ignorantia facit.“ Helmstad.: aliquid cura. Bemb. Bentl.: dicet. V.: dicent. 6. feci Beroll. Guelf. Faërn. Bentl. V.: fecit. Audio; fat. Bemb. Bentl. V.: Aud. et fat. Plerique libri: Placet. 7. Helmstad. Frib.: et tac. 8. Ita Bentl. Cod. ejus Reg.: Etiamne idne. V.: Etiamne id, pronomine occultato. 9. Frib.: hoc evenit mihi. Helmstad.: accidit.

Pericla, damna, exilia, peregre rediens semper cogites,
Aut fili peccatum, aut uxoris mortem, aut morbum filiae;
Communia esse haec; fieri posse: ut ne quid animo sit novum;
Quidquid praeter spem eveniat, omne id deputato esse in lucro.
(G. O Phaedria, incredibile quantum herum anteeo sapientia!
Meditata mihi sunt omnia mea incommoda: herus si redierit,
Molendum esse in pistrino, vapulandum, habendum compedes,
Opus ruri faciundum. Horum nil quidquam accidet animo novum;
Quidquid praeter spem eveniet, omne id deputabo esse in lucro.
Sed quid cessas hominem adire et blande in principio adloqui? t. t. c.
D. Phaedriam mei fratris video filium mi ire obviam.
P. Mi patrue, salve... D. Salve. Sed ubi est Antipho? i. s.
P. Salvom venire... D. Credo; responde hoc mihi.
P. Valet; hic est. Sed satin' omnia ex sententia?
D. Vellem quidem! P. Quid istuc? D. Rogitas, Phaedria?

13 — 15. Sic libri Terentiani, nisi quod Guelf. et quidam Bentleji codd. habent exilia, damna, in MS. autem C. C. apud eundem non legitur exilia. Quibus et similibus argumentis adductus Bentl. delevit hoc vocabulum, totumque locum ita excudi jussit, ut apud Ciceronem legitur Tuscul. 3, 14. Verum non inepte Guyetus existimat, Ciceronem hunc locum non ex Terentii libro, sed memoriter descripsisse; qui quidem locus sic se habet apud Tullium et Bentlejum: Pericla, damna, per. red. semper secum cogitet, Aut fili pecc., aut ux. mort., aut morb. fil.: Comm. esse haec: ne quid horum unquam accidat animo novum. Euripides fragmento Thesei, quod hic noster haud dubie expressit: Ἐγὼ δὲ, τοῦτο παρὰ σοφοῦ τινὸς μαθὼν, Εἰς φροντίδας νοῦν ξυμφοράς τ' ἐβαλλόμην, Φυγάς τ' ἐμαυτῷ προστιθεὶς πάτρας ἐμῆς, Θανάτους τ' ἀώρους καὶ κακῶν ἄλλας ὁδούς· Ἵν', εἴ τι πάσχοιμ' ὧν ἐδόξαζόν ποτε, Μή μοι νεωρὲς προσπεσὸν μᾶλλον δάκοι. Quibus confirmatur verbum exilia. Ceterum cum Guyeto scripsi cogites, quod ostendunt ejus 3 Regii, Palatini 2 apud Faërnum, Guelf. Frib. Ascens. V.: cogitet. 16. V.: Q. pr. sp. eveniat, o. id deputare e. in l. MS. Reg.: deputa, Ascens.: deputato. Deputare non habet quo referatur. 17. Ita Bentl. V.: incred. est. Dictum incredibile quantum, ut Mirum quantum, Nimium quantum, Immane quantum. 19. Ita Faërn. ex Bemb. Victor. Donato. Beroll. et Helmstad.: Mol. mihi esse (B Berol.: esse mihi) usque in pistr. Ascens.: Mol. mihi esse in pistr. Helmstad.: habendum, ut legi voluit Guyetus. Bentl.: Mol. est in pistr., vap., habendum comp. 25. V.: hoc resp.; sed non ita deprimendum est verbum hoc. 27. Bentl. ex Faërni et suis codd.: Q. istuc est?

Bonas me absente hic confecistis nuptias.
P. Eho, an id suscenses nunc illi? (G. O artificem probum!)
D. Egone illi non suscenseam? Ipsum gestio
Dari in conspectum, nunc sua culpa ut sciat,
Lenem patrem illum factum me esse acerrumum.
P. Atqui nil fecit, patrue, quod suscenseas.
D. Ecce autem similia omnia; omnes congruunt;
Unum cognoris, omnis noris. P. Haud ita est.
D. In noxia hic est? ille ad defendendum adest:
Ille est? hic praesto est; tradunt operas mutuas.
(G. Probe horum facta inprudens depinxit senex.)
D. Nam ni haec ita essent: cum illo haud stares, Phaedria.
P. Si est, patrue, culpam ut Antipho in se admiserit,
Ex qua minus rei foret aut famae temperans;
Non causam dico, quin, quod meritus sit, ferat.
Sed si quis forte malitia fretus sua,
Insidias nostrae fecit adolescentiae,
Ac vicit: nostran' culpa ea est, an judicum,
Qui saepe propter invidiam adimunt diviti,
Aut propter misericordiam addunt pauperi.
(G. Ni nossem causam: crederem vera hunc loqui.)
D. An quisquam judex est, qui possit noscere
Tua justa, ubi tute verbum non respondeas,
Ita ut ille fecit? P. Functus adolescentuli est
Officium liberalis: postquam ad judices
Ventum est, non potuit cogitata proloqui:
Ita eum tum timidum ibi obstupefecit pudor.
G. (Laudo hunc. Sed cesso adire quamprimum senem?)
Here, salve; salvom te advenisse gaudeo. D. Oh,
Bone custos, salve, columen vero familiae,
Cui commendavi filium hinc abiens meum!

29. O coalescit cum sequenti vocali. Vid. not. ad Heaut. 2 2, 159. 31. Libri, immisso glossemate ἀμέτρῳ: Dari mi in consp. 32. Frib.: illi, quod fuisse videatur ipsi. 35. Bentl. secundum aliquot codd.: Unum cum noris, o. n. Sed cf. Hec. prol. 1, 8. 36. Ita Glarean., nisi quod scripsit est hic. Bentl., cum in pluribus MSS. et vett. edd. (quibuscum stant B Berol. et Ascens.) reperisset noxia, similiter posuit Cum in noxia hic est, i. ad d. a. V. nullis numeris: Hic in noxa est, ille ad defendendam causam adest. 37. V.: Cum ille est. Bentl. ex cod. Regio: praesto hic est. 41. Libri: Ex qua re minus rei etc. Sed recte Donat.: „Haud venuste insertum re, cum praeposuisset culpam.“ Re glossema est. 45. Sic meliores libri, in his nostri, cum ab Helmstadiensi discesseris. V.: nostrane ea culpa est. 54. ibi, versui necessarium, legitur in Bemb. Victor.; uno Bentleji, Helmstad. Frib. Restituit Bentl.

G. Jamdudum te omnis nos accusare audio
Inmerito, et me horunc omnium inmeritissimo.
Nam quid me in hac re facere voluisti tibi?
Servom hominem causam orare leges non sinunt,
Neque testimoni dictio est. D. Mitto omnia ad
Istuc. Inprudens timuit adolescens. Sino.
Tu servus. Verum si cognata est maxume;
Non fuit necesse habere; sed, id quod lex jubet,
Dotem daretis: quaereret alium virum.
Qua ratione inopem potius ducebat domum?
G. Non ratio, verum argentum deerat. D. Sumeret
Alicunde.... G. Alicunde? Nihil est dicto facilius.
D. Postremo, si nullo alio pacto, foenore.
G. Hui, dixti pulchre, si quidem quisquam crederet
Te vivo! D. Non, non sic futurum est; non potest.
Ego illam cum illo ut patiar nuptam unum diem,
Nil suave meritum est. Hominem conmonstrarier
Mi istum volo, aut, ubi habitet, demonstrarier.
G. Nempe Phormionem? D. Patronum istum mulieris.
G. Jam faxo hic aderit. D. Antipho ubi nunc est? G. Foris.
D. Abi, Phaedria; eum require atque adduce huc. P. Eo
Recta via quidem illuc. G. Nempe ad Pamphilam. D. At
Ego deos penatis hinc salutatum domum
Devortar; inde ibo ad forum atque aliquot mihi
Amicos advocabo, ad hanc rem qui adsient,
Ut ne inparatus sim, si adveniat Phormio.

63. V.: — omnia. Addo (ita Bemb. Bentl.; Beroll. Frib. aliique libri: Adde) istuc; imprudens etc. Sed nihil addit senex neque ad Phaedriae dicta, neque ad Getae. Mitte omnia ad istuc, mitto omnia adversus istuc, omnia, quae contra istuc dici possunt. Non intellectum ad ab aliis in Addo, ab aliis in Adde mutatum est. Vel fraudi fuit scriptura continua. Istud Addo, vel Adde, ne metro quidem convenit, nisi quis est, cui placeat hujusmodi anapaestus Addo istuc. 65. Frib.: maxume, hunc Non fuit etc. 75. meritum est, ab omnibus, Antiphone, parasito, muliere. Frustra Bentl.: merita est. 77. Nempe interrogativum est, secus ac vulgo creditur, sicut Andr. 1, 2, 25, Plaut. Pers. 45 etc. Cf. Horat. Tursellin. de partt. lat. orat. h. v. §. 2. Pronuntianda autem vox, quasi sit Nemp', abjecto e finali. Vide Wasii Senarium cap. 13, nos ad Plauti Asin. 770. edit majoris. 78. Foris non Phaedriae, ut vulgo, sed Getae, cujus est rem domesticam scire, tribuitur a Donato, item in altero Mcadianorum et nostro A, merito probante Bentlejo. 80. quidem Bemb. Bentl. etc. Alii corrupto metro: equidem. At temere expunctum est a Bentlejo. 84. si Bemb. Bentl., quia dubitari poterat, an hoc ipso die venturus esset Phormio. V.: cum adveniat. Legitur etiam adveniet.

# ACTUS III.

## SCENA I.

### PHORMIO, GETA.

P. Itane patris ais conspectum veritum hinc abiisse . . . C. Admodum. t. t. c.
P. Phanium relictam solam . . G. Sic. P. Et iratum senem?
G. Oppido. P. Ad te summa solum, Phormio, rerum redit.
Tute hoc intristi: tibi omne est exedendum: accingere!
G. Obsecro te . . . P. Si rogabit. G. In te spes est. P. Eccere!
Quid, si reddet? G. Tu impulisti . . . P. Sic opinor. G. Subveni.
P. Cedo senem: jam instructa mihi sunt corde consilia omnia.
G. Quid ages? P. Quid vis, nisi uti maneat Phanium, atque ex crimine hoc
Antiphonem eripiam, atque in me omnem iram derivem senis?
G. O vir fortis atque amicus! Verum hoc saepe, Phormio,
Vereor, ne istaec fortitudo in nervom erumpat denique.
P. Ah, non ita est: factum est periclum; jam pedum visa est via. i. t.
Quot me censes homines jam deverberasse usque ad necem, t. t. c.
Hospites, tum civis, quo mage novi, tanto saepius?
Cedodum, en unquam injuriarum audisti mihi scriptam dicam?
G. Qui istuc? P. Quia non rete accipitri tenditur, neque miluo,
Qui male faciunt nobis; illis, qui nil faciunt, tenditur;
Quia enim in illis fructus est, in istis opera luditur.
Aliis aliunde est periclum, unde aliquid abradi potest;
Mihi sciunt nihil esse. Dices, ducent damnatum domum. i. t.

A. III. SC. I, 7. Sic Bentl. ex multis codd. Alii: instr. sunt mi in corde. Helmstad.: structa. 9. senis B Berol. Helmstad. Frib. Ascens. Bentl. ex 2 suis. Alii: patris, quae est interpretatio. 14. Donat.: Hosp., tum cives. „Ανακόλουθον: deest enim supra cum." Guyet. malit saevius. 16. Ita C Berol. Helmstad. Bentl. V.: Quird istuc? 18. Bentl.: in istis, qui contemnuntur, accipitre et miluo. V. bis: in illis. 20. Guyet.: Duc. d. dom. Alludit ad poenam nexorum, qui a creditoribus, quibus satisfacere non poterant, mancipabantur, et, donec eis satisfecissent, in custodia tenebantur. Vide Livium etc. Guyet.

Alere nolunt hominem edacem, et sapiunt mea sententia, t. t. c.
Pro maleficio si beneficium summum nolunt reddere.
G. Non pote satis pro merito ab illo tibi referri gratia.
P. Imo enim nemo satis pro merito gratiam regi refert.
Tene asymbolum venire, lautum atque unctum e balneis,
Otiosum ab animo, cum ille et cura et sumtu absumitur?
Tibi dum fit, quod placeat: ille ringitur; tu rideas,
Prior bibas, prior decumbas; coena dubia adponitur... i. t.
G. Quid istuc verbi est? P. Ubi tu dubites, quid sumas potissimum.
Haec cum rationem ineas quam sint suavia et quam cara sint, t. t. c.
Ea qui praebet, non tu hunc habeas plane praesentem deum?
G. Senex adest: vide, quid agas. Prima coitio est acerruma. i. t.
Si eam sustinueris: post illa jam, ut lubet, ludas licet.

## ACTUS III. SCENA II.

### DEMIPHO, GETA, PHORMIO, HEGIO, CRATINUS, CRITO.

D. En unquam cuiquam contumeliosius i. s.
Audistis factam injuriam, quam haec est mihi?
Adeste quaeso. (G. Iratus est. P. Quin tu hoc agis?
Jam ego hunc agitabo.) Proh deûm inmortalium!
[Negat Phanium esse hanc sibi cognatam Demipho?]
Hanc Demipho negat esse cognatam? G. Negat.

21. Ita Bemb. Glarean. Bentl. Ἀμέτρως legitur mea quidem sent. Beroll. Frib.: sap. quidem mea sent. Guelf.: et mea quid. sap. sent. 23. pote Bentl. metri gratia. V.: potest. 24. regi, domino, patrono. Vide Lindenbrog. ad h. l., Pareum in lexico Plaut. v. Rex, Jac. Dur. Casellii Variarum lect. lib. 2. cap. 14. 27. fit Bemb. Victor. 2 Bentleji, quos ipse sequitur. Cf. 4, 2, 15, Eun. 3, 1, 58. V.: Dum tibi sit, qu. pl. 29. quid sumas. Pravi numeri. Fortasse legendum est sumas quid.

A. III. SC. II, 3. agis B Berol. C: ages? Guelf. quoque, Helmstad. Frib.: ages. Bentl. secundum alios libros: quin tu hoc age. V.: qu. tu hoc age; st. Donat.: „Quin tu hoc age, Annuit, ut taceat." Cf. Muret. Var. Lectt. 15, 17, Livinej. ad Tibull. 2, 1, 6. 4. Uncis inclusa et ταυτολογικά sunt et κακόμετρα: nam quis patienter ferat versum ita dimetientes: Negat Pha-|nium es|se etc.? Recte delet Guyetus. Glossematis Phanium et sibi cetera ista accrevere. A Berol.: — Demipho? G. negat. Sequente versu Hanc — cognatam non legitur in B Berol. et Guelf.

P. Neque patrem se ejus scire, qui fuerit? G. Negat.
P. Nec Stilphonem ipsum scire, qui fuerit? G. Negat.
D. Ipsum esse opinor, de quo agebam: sequimini.
P. Quia egens relicta est misera: ignoratur parens,
Negligitur ipsa. Vide, avaritia quid facit!
G. Si herum insimulabis malitiae: male audies.
D. O audaciam! etiamne ultro adcusatum advenit?
P. Nam jam adolescenti nihil est quod suscenseam,
Si illunc minus norat: quippe homo jam grandior
Pauper, cui in opere vita erat, ruri fere
Se continebat; ibi agrum de nostro patre
Colendum habebat. Saepe interea mihi senex
Narrabat, se hunc negligere cognatum suum;
At quem virum! quem ego viderim in vita optumum.
G. Videas te atque illum, ut narras. I in malam crucem!
P. Nam ni eum existumassem, tam gravis ob hanc
Nunquam inimicitias caperem in vostram familiam,
Quam is adspernatur nunc tam inliberaliter.
G. Pergin' hero absenti male loqui, inpurissime?

6 — 8. Hoc ordine hos versus habet Helmstad. V. 8. primo loco ponitur. 7. Bentlejo spurius videtur versus propterea, quod hic Phormio tenet Stilphonis nomen, quod perdidit 39. Verum nec semper memores sunt mendaces et aliud est patrem Phanii nosse, aliud Stilphonem. Nec Stilphonem ipsum, Ne Stilphonem quidem, quem nosse poterat Demipho, nec tamen scire, Phanium esse ejus filiam. 8. Frib.: ajebam. 11. malitiae fere libri vett. Κακομέτρως legitur avaritiae. 12. Ita Bentl. ex cod. Regio. V.: Etiam me ultro. O liquescit, sicut I 20. Vid. not. ad Heaut. 2, 2, 139. 13. jam quid sibi vult? Legendum fortasse est: N. tam adolescenti. Cic. de Offic. 2, 13: Crassus cum esset admodum adolescens etc. Liv. 42, 28: oppido adolescens. Minus etiam hoc versu placet vocula, cum sequente item habeatur. 15. Sic fere codd. Bentl. V.: cui opera vita erat. 16. Frib.: ubi. Error non infrequens. 20. Vid. te a. ill., ut n. „Cognosce te atque illum, cum quo loqueris.“ Eugraph. (Cognosce, te nihili hominem, et illum esse virum gravem.) Ceterum sic in ed. Bentleji, at vulgo legitur In malam crucem, quod non male defenditur a Guyeto, tanquam dictum ἐλλειπτικῶς, ut Graecorum Ἐς κόρακας: I liquescit; qua de re vid. not. ad 12. Non recte autem haec verba tribuuntur Phormioni, cujus oratio sic procedit: quem ego viderim in vita optimum; nam ni eum existimassem, etc. Ceterum MS. Reg. et vett. Lindenbrogii: hinc in m. cr. Helmstad.: i hinc in m. cr. Beroll. Guelf. Frib.: abi hinc in m. cr. Accens.: abi in m. cr. 21. V.: Nam ni ita eum exist., elisis 3 vocibus continuis, quod durissimum. Atqui Bemb.: Nam ni eum (talem, optimum) esse exist. Ni sub ictu positum non liquescit. 22. Ἀμέτρως legitur: — existimassem, nunquam tam graves Ob hanc inimicitias c. in v. f.

P. Dignum autem hoc illo est. G. Ain' tamen, carcer... D. Geta...
G. Bonorum extortor, legum contortor? D. Geta...
P. Responde. G. Quis homo est? Hem! D. Tace. G. Absenti tibi
Te indignas seque dignas contumelias
Nunquam cessavit dicere. D. Ohe, jam desine! —
Adolescens, primum abs te hoc bona venia expeto,
Si tibi placere potis est, mi ut respondeas.
Quem amicum tuum ais fuisse istum, explana mihi,
Et qui cognatum me sibi esse diceret.
P. Proinde expiscare, quasi non nosses. D. Nossem? P. Ita.
D. Ego me nego; tu, qui ais, redige in memoriam.
P. Eho, tu sobrinum tuum non noras? D. Enicas!
Dic nomen. P. Nomen? Maxume. D. Quid nunc taces?
(P. Perii hercle! nomen perdidi.) D. Hem, quid ais? P. (Geta,
Si meministi id, quod olim dictum est, subjice.) Hem,
Non dico: quasi non noris, tentatum advenis.
D. Egon' autem tento? (G. Stilpho.) P. Atque adeo quid mea?
Stilpho est. D. Quem dixti? P. Stilphonem, inquam, noveras?
D. Neque ego illum noram, nec mihi cognatus fuit
Quisquam istoc nomine. P. Itane? Non te horum pudet?
At si talentum rem reliquisset decem . . .
D. Di tibi mali faciant! P. Primus esses, memoriter
Progeniem vostram usque ab avo atque atavo proferens.
D. Ut dicis. Ego tum si advenissem: qui mihi
Cognata ea esset, dicerem; itidem tu face.
Cedo, qui est cognata? G. Eu, noster! recta! — Heus tu, cave.
P. Dilucide expedivi, quibus me oportuit

25. Pravo numero libri: Ain' tandem. Correxit Bentl. Donat.: Non carcerarium, sed carcerem asperius appellavit. Sic Lucilius: carcer vix carcere dignus. 29. Ohe, jam des. Bentl. ex 5 libris, idemque legitur in B et C. Beroll. Guelf. Helmstad. V.: N. cess. dic. hodie. D. Ohe, des. Ohe posteriorem syllabam producit. 30. expeto Bentl. ex multis libris, neque aliter Beroll. et Guelf. V.: peto; sed recte Bentl. monet, Terentium solere liquefacere postremas syllabas, et aversari homoeoteleuta. 43. Frib.: nec mihi. Bentl.: neque mi. V.: neque mihi, consequente anapaesto post dactylum, quod vitari solet in iambicis trochaicisque. 47. Guelf.: referens. 48. Libri, temere asperato versu: Ita ut dicis. Vid. not. ad Adelph. 5, 4, 6. tum, si decem talenta mihi reliquisset, quorum petendorum causa mihi huc proficiscendum fuisset.

Judicibus. Tum, id si falsum fuerat, filius
Cur non refellit? D. Filium narras mihi,
Cujus de stultitia dici, ut dignum est, non potest.
P. At tu, qui sapiens es, magistratus adi,
Judicium de eadem causa iterum ut reddant tibi:
Quandoquidem solus regnas, et soli licet
Hic de eadem causa bis judicium apiscier.
D. Etsi mihi facta injuria est: verumtamen
Potius, quam litis secter, aut quam te audiam,
Itidem ut cognata si sit, id quod lex jubet,
Dotem dare, abduce hanc; minas quinque accipe.
P. Ha, ha, he, homo suavis! D. Quid? num iniquom postulo?
An ne hoc quidem ego adipiscar, quod jus publicum est?
P. Ita tandem, quaeso, item ut meretricem ubi abusus sis;
Mercedem dare lex jubet ei, atque amittere? an,
Ut ne quid turpe civis in se admitteret
Propter egestatem, proxumo jussa est dari,
Ut cum uno aetatem degeret? quod tu vetas.
D. Ita, proxumo quidem; at nos unde, aut quam ob rem? P. Ohe!
*Actum*, ajunt, *ne agas*. D. Non agam? Imo haud desinam,
Donec perfecero hoc. P. Ineptis. D. Sine modo.
P. Postremo tecum nil re nobis, Demipho, est;
Tuus est damnatus gnatus, non tu: nam tua
Praeterierat jam ad ducendum aetas. D. Omnia haec
Illum putato, quae ego nunc dico, dicere;
Aut quidem cum uxore hac ipsum prohibebo domo.
(G. Iratus est.) P. Tu te idem melius feceris.

58. Ita Bentl. A Berol.: adpiscier. V.: adipiscier, metro minus recto: vid. not. ad 43. 63. V., impeditis numeris: Quid est? 65. Duri sunt numeri vulgatae lectionis Itan, vel Itan'. 67. Ut omissum in C Berol. et Helmstad. Quod si recte factum est, an huic versui addendum erit. Nam quod, ut servato, id fit in quibusdam codd., quos sequitur Bentl. (neque aliter A Berol. Helmstad. Frib.), durissimum mihi videtur. 68. jussa est. Guelf. Helmstad. Frib.: visa est. Ferrem visum est. 75. Helmstad. Frib.: Pr. jam ducendi aetas. 78. V.: Tute idem melius feceris, quasi idem sit masculinum. Sed neque tum ullam vim habet vox, neque, quid melius facturus esse dicatur senex, intelligas. Imo neutrum est et scribendum Tu te idem melius feceris, tu te ipsum melius domo prohibueris. Te propter ictum non eliditur. Vitium continuae scripturae. Cf. not. ad Ad. 2, 2, 24.

D. Itane es paratus facere me advorsum omnia,
Infelix? (P. Metuit hic nos, tametsi sedulo
Dissimulat. G. Bene habent tibi principia.) P. Quin, quod est
Ferundum, fers? Tuis dignum factis feceris:
Ut amici inter nos simus. D. Egon' tuam expetam
Amicitiam, aut te visum, aut auditum velim?
P. Si concordabis cum illa: habebis, quae tuam
Senectam oblectet. Respice aetatem tuam.
D. Te oblectet; tibi habe. P. Minue vero iram. D. Hoc age:
Satis jam verborum est. Nisi tu properas mulierem
Abducere: ego illam ejiciam. Dixi, Phormio.
P. Si tu illam attigeris secus, quam dignum est, liberam:
Dicam tibi grandem inpingam. Dixi, Demipho.
Si quid opus fuerit: heus, domo me. G. Intelligo.

## ACTUS III. SCENA III.

### DEMIPHO, GETA, HEGIO, CRATINUS, CRITO.

D. Quanta me cura et sollicitudine adficit i. s.
Gnatus, qui me et se hisce inpedivit nuptiis,
Neque mi in conspectum prodit, ut saltem sciam,
Quid de hac re dicat, quidve sit sententiae.
Abi, vise, redieritne jam, an nondum, domum.
G. Eo. D. Videtis, quo in loco res haec siet.
Quid ago? Dic, Hegio. H. Ego? Cratinum censeo,
Si tibi videtur. D. Dic, Cratine. Crat. Mene? D. Te.
Crat. Ego, quae in rem tuam sint, ea velim facias; mihi
Sic hoc videtur, quod te absente hic filius
Egit, restitui in integrum, aequom esse ac bonum;
Et id impetrabis. Dixi. D. Dic nunc, Hegio.
H. Ego sedulo hunc dixisse credo; verum ita est:

86. Libri, gratis corrupto versu: Senectutem. 91. Ita Guyet. V., pravis numeris: impingam grandem.

A. III. SC. III, 5. Libri, versu strangulato: Abi tu. Cod. Petrensis, quem sequitur Bentl.: Abi, vise. 7. Censeo, subintell. dicere, utpote digniorem. Guyet. Frustra Bentl.: Cratinus. Sic statim: Mene? Te. 8. Mene vis? Glossema ἄμετρον. Bentl. expunxit Te, quod vulgo sequentem versum incipit. 11. Sic vett. Guyeti et B. Berol., nisi quod in eo libro legitur et pro ac, quod quidem habent Bentlejani, A et C. Beroll. Neque aliter Bentl. V.: aequ. est et bonum. 13. Guyet.: „Sedulo, id est σπουδαίως, cum studio. Gallice: d'affection." Non inepte etiam interpreteris sincere. Donat. ad Ad. 5, 4, 50.: Sedulo, sine dolo, i. e. instanter, quia negligentes dolosi dicuntur.

*Quot homines, tot sententiae; suus cuique mos.*
Mihi non videtur, quod sit factum legibus,
Rescindi posse; et turpe inceptu est. D. Dic, Crito.
CRIT. Ego amplius deliberandum censeo:
Res magna est. H. Numquid nos vis? D. Fecistis probe:
Incertior sum multo, quam dudum. G. Negant
Rediisse. D. Frater est expectandus mihi:
Is quod mihi dederit de hac re consilium, id sequar.
Percontatum ibo ad portum, quoad se recipiat.
G. At ego Antiphonem quaeram, ut, quae acta hic sint, sciat.
Sed eccum ipsum video in tempore huc se recipere.

## ACTUS III. SCENA IV.

### ANTIPHO, GETA.

A. Enimvero, Antipho, multimodis cum istoc animo es vituperandus. i. t. h.
Itane te hinc abisse et vitam tuam tutandam aliis dedisse? t. t.
Alios tuam rem credidisti mage quam tete animadversuros?
Nam, utut erant alia, illi certe, quae nunc tibi domi est, consuleres,
Ne quid propter tuam fidem decepta potiretur mali; t. t. c.
Cujus nunc miserae spes opesque sunt in te uno omnes sitae.
G. Equidem, here, nos jamdudum hic te absentem incusamus, qui abieris...
A. Te ipsum quaerebam. G. Sed ea causa nihilo mage defecimus. i. t.
A. Loquere, obsecro, quonam in loco sunt res et fortunae meae?
Numquid patri subolet? G. Nil etiam. A. Ecquid spe porro est? G. Nescio... A. Ah! as. t. d. i. d.

16. Plures codd.: **inceptum, attentat**, ut interpretatur Guyet. Utrumque rectum.

A. III. SC. IV, 3. **tete** Bemb. Helmstad. Bentl. Alibi legitur **te**. 5. Ita Guilelm. Guyet. Bentl. Donatus: **Pateretur mali.** (Sic vulgati libri.) Legitur et **Potiretur**, quia **Potiri** τῶν μέσων fuit. 7. Sic A. Berol. Helmstad. Frib. Ascens. et vulgati libri. Bentl. secundum suos et Faërni praestantiores: **Et quidem.** Sed non probat, **equidem** aevo Terentii primae tantum personae singularis numeri junctum fuisse. 10. V.: **spei,**

G. Nisi Phaedria haud cessavit pro te eniti. A. Nil fecit novi. i. t.

G. Tum Phormio itidem in hac re, ut aliis, strenuum hominem praebuit.

A. Quid is fecit? G. Confutavit verbis admodum iratum senem.

A. Eu, Phormio! G. Ego quod potui, porro. A. Mi Geta, omnis vos amo.

G. Sic habent principia sese, ut dico. Adhuc tranquilla res est; t. t.

Mansurusque patruum pater est, dum huc adveniat... A. Quid eum? G. Ut aibat.

De ejus consilio velle sese facere, quod ad hanc rem attinet. t. t. c.

A. Quantus metus est mihi, venire huc salvom, Geta, nunc patruum: nam per t. t.

Ejus unam aut vivam, aut moriar, ut audio, sententiam. as. t. d. i. d.

G. Phaedria tibi adest. A. Ubinam est? G. Eccum ab sua palaestra exit foras.

## ACTUS III. SCENA V.

### PHAEDRIA, DORIO, ANTIPHO, GETA.

P. Audi, obsecro... D. Non audio. P. Parumper! D. Quin omitte me! i. t.

---

quod interpretamentum metro minus convenit. Bentlejus, jambicum tetram. effecturus: Num patri | quid subo | let? Nil et. A. E. speji etc. 12. Ita Bemb. Bentl. V.: in aliis. Defendit proceleusmaticum Guyet., nec male; sed elegantior est scriptura Bembina. 13. senem Bemb. Guelf. Bentl. V.: patrem. 16. Frustra Bentl.: Id aibat. Non est hoc ἀνακόλουθον, sed verba Ut aibat ad superiorem Getae orationem pertinent. Ceterum legendum aibat, quod posuit Bentl. Vulgato aiebat versus corrumpitur. 17. Ita Bentleji cod. Reg. B. Berol., vett. edd. Bentl. V.: sese velle. 18. V. sic:

*— — — salvom nunc patruum, Geta!*
*Nam per ejus unam, ut audio, aut vivam, aut moriar, sententiam.*

quorum versuum posteriorem Bentl. ἄμετρον esse videns et merum trochaïcum existimans, scripsit Nam de ejus una — sententia. 20. Sic a Regii, B Berol. Bentl. V. est non legitur.

A. III. SC. V, 1. V.: Dorio, audi, obsecro, etc. quem versum Bentl. habet pro troch. pentametro (vid. not. ad 2, 2, 16, 17.), non eliso nomine Dorionis, quod inauditum in media sententia. Adscriptum a glossatore nomen.

P. Audi, quid dicam. D. At enim taedet jam audire eadem millies. t.t.c.
P. At nunc dicam, quod lubenter audias. D. Loquere: audio.
P. Nequeo te exorare, ut maneas triduum hoc? — Quo nunc abis?
D. Mirabar, si tu mihi quidquam adferres novi. i.s.
A. Hei, lenonem vereor, ne quid... G. Suo suat capiti! P. Idem ego vereor. — as.t.d.i.d.h.
Non mihi credis? D. Hariolare. P. Sin fidem do? D. Fabulae! t.t.c.
P. Foeneratum istuc beneficium pulchre tibi dices. D. Logi!
P. Crede mihi: gaudebis facto. Verum hercle hoc est. D. Somnia!
P. Experire: non est longum. D. Cantilenam eandem canis.
P. Tu mihi cognatus, tu parens, tu amicus, tu.. D. Garri modo. i.t.
P. Adeon' ingenio esse duro te atque inexorabili, t.t.c.
Ut neque misericordia neque precibus molliri queas?
D. Adeon' te esse incogitantem atque inpudentem, Phaedria,
Ut phaleratis dictis ducas me et meam ductes gratiis?
A. Miseritum est. P. Hei, veris vincor! G. Quam uterque est similis sui!
P. Neque, Antipho alia cum occupatus esset sollicitudine, i.t.
Tum hoc esse mi objectum malum! A. Ah, quid istuc est autem, Phaedria?
P. O fortunatissime Antipho... A. Egone? P. Cui, quod amas, domi est, nec t.t.
Cum hujusmodi unquam venit usus ut conflictares malo! t.t.c.

2. quid plerique vett. in his C Berol. et Guelf., Bentl. V.: quod. 6. vereor Bemb. utroque loco. V.: Hei, metuo len., ne quid suo suat capiti. G. Id ego metuo. Bentl.: G. Suo capiti fuat; quemadmodum capiti esse legatur apud Cicer. Epist. fam. 7, 1, et Tibull. 1, 2, 12. Verum suo suat παροίμιον est vere Terentianum. Cf. prol. 19, 22, Andr. prol. 17, Eun. prol. 5, 8, 24, 27, 42, Heaut. prol. 41. etc. Dein Bentl., codicem secutus suum 900 annorum, omisit quoque verba Idem ego metuo. Suat, ῥάπτοι, struat, machinetur, quomodo sutelae et consuti doli leguntur apud Plautum. Fest.: Sutelae dolosae actiones a similitudine suentium dictae sunt. 9. Ita Bemb. Faërn. Bentl. V.: Somnium.

A. Mihin' domi est? Imo, id quod ajunt, *auribus teneo lupum:* i. t.
Nam neque, quo pacto amittam, invenio, neque, uti retineam, scio.
D. Ipsum istuc mihi in hoc est. A. Heja, ne parum leno sies! — t. t. c.
Numquid hic confecit? P. Hiccine? Quod homo inhumanissimus:
Pamphilam meam vendidit. A. Quid? vendidit? G. Ain'? vendidit?
P. Vendidit. D. Quam indignum facinus, ancillam aere emtam suo!
P. Nequeo exorare, ut me maneat et cum illo mutet fidem
Triduum hoc, dum id, quod est promissum ab amicis, argentum aufero. —
Si non tum dedero, unam praeterea horam ne oppertus sies.
D. Obtundis! A. Haud longum est, quod orat, Dorio: exoret sine. i. t.
Idem hoc tibi, quod bene promeritus fueris, conduplicaverit.
D. Verba istaec sunt. A. Pamphilamne hac urbe privari sines? t. t. c.
Tum praeterea horunc amorem distrahi potetin' pati?
D. Neque ego, neque tu. G. Di tibi omnes id, quod es dignus, duint!

21. id meliores libri omnes, in quibus B et C Beroll. Frib., Bentl. V. desideratur. 22. V.: N. n., quomodo a me amitt. etc. Bentl. et alii: quo pacto. Verba a me non leguntur in Helmstadiensi codice. Frustra νοθείας versum insimulat Bentl. propter 2, 1, 24. Donatus: „Auribus teneo lupum. Graecum proverbium Τῶν ὤτων ἔχω τὸν λύκον· οὔτ' ἔχειν, οὔτ' ἀφεῖναι δύναμαι." Cf. Lindenbrog. 25. V.: G. Quid? v? A. Ain'? v.? Antiphoni haec omnia tribuuntur in vett. quibusdam MSS. apud Guyetum. 26. meo Helmstad. et codd. aliquot Guyeti, cui ineptum et frigidum videtur. Suo etiam Donat. 28. Beroll. Ascens.: affero. 29. Temere Bentl.: siet, et sequente versu Optume pro Obtundis, cum in libris nonnullis, a quibus stat C. Berol., invenisset Obtunde. 30. Guelf. Helmstad.: Obtundes. MS. Antesignani, Bentl.: H. long. est qu. or. C Berol. Helmstad. Ascens.: haud l. est id qu. or. V.: H. l. id. qu. or. 31. Bentl. secundum Victorian. et Basilic.: Idem hic (Phaedria) etc. condupl. idem esse monet Donat., quod supra (8) foenerari beneficium. 32. Malit Guyet. Pamphilane hanc urbem. Cf. Hec. 1, 2, 13. 33. Ita Basilic. Bentl. V.: horum. 34. Neque ego, neque tu. Εἰρωνεία. Significat enim, et se et Antiphonem

D. Ego te compluris advorsum ingenium meum mensis tuli

Pollicitantem et nil ferentem, flentem; nunc contra omnia haec

Reperi, qui det, neque lacrumet: da locum melioribus.

A. Certe hercle, ego si satis conmemini, tibi quidem est olim dies,

Quoad dares huic, praestituta. P. Factum. D. Num ego istuc nego?

A. Jamne ea praeteriit? D. Non; verum haec ei antecessit. A. Non pudet

Vanitatis? D. Minume, dum ob rem. G. Sterculinum! P. Dorio,

Itane tandem facere oportet? D. Sic sum; si placeo: utere.

A. Sicne hunc decipis? D. Imo enimvero, Antipho, hic me decipit:

Nam hic me hujusmodi esse scibat; ego hunc esse aliter credidi.

Iste me fefellit; ego isti nihilo sum aliter, ac fui.

Sed utut haec sunt: tamen hoc faciam. Cras mane argentum mihi

Miles dare se dixit; si mihi prior tu attuleris, Phaedria,

Mea lege utar, potior ut sit, prior ad dandum qui est. Vale.

## ACTUS III. SCENA VI.

### PHAEDRIA, ANTIPHO, GETA.

P. Quid faciam? unde ego nunc tam subito huic argentum inveniam miser,

facile id pati posse. Es dignus Bentl. ex libris melioribus. V.: est dignum. 36. Ita Bentl, aliique, in his codd. Beroll. Frib. Ascens. V.: Poll., flentem et n. fer. 39. Quoad (h. e. ad quam diem, ut 1, 2, 98 etc.) Bentl. ex cod. Petrensi. A Berol.: Qua adderes. Guelf.: Quo adderes. B et C. Beroll.: Quam dares. V.: Quam ad dares. 40. Sic Eugraph. Frib.: Jam ean. V.: Jam ea. 41. Onomast. Guyeti: Vanitas, ψεῦδος, Virg. A. 2, 80.: vanum etiam mendacemque. Sterculinum Bentl. ex uno cod. Sic Plautus, Phaedrus. C Berol.: sterchillinum. Alii libri: stercilinium. V. sterquilinium, Gloss. vet. apud Bentl.: Sterculinum, κοπροδοχεῖον, κοπριά. 44. Ita Guyet. Bentl. V.: sciebat. 45. Frib.: quam fui. Glossema. 48. V.: M. l. u., ut pot. sit, qui prior ad d. e. Bentleji unus Reg. B Berol., vett. edd.: sit pot. Bentl.: ut sit pot., prior ad d. q. e.

Cui minus nihilo est? Quodsi hinc pote fuisset exorarier
Triduum hoc: promissum fuerat. A. Itane hunc patiemur, Geta,
Fieri miserum, qui me dudum, ut dixti, adjurit comiter?
Quin, cum opus est, beneficium rursum ei experimur reddere?
G. Scio equidem hoc esse aequom. A. Age ergo: solus servare hunc potes.
G. Quid faciam? A. Invenias argentum. G. Cupio; sed, id unde, edoce.
A. Pater adest hic. G. Scio; sed quid tum? A. Ah, *dictum sapienti sat est.*
G. Itane? A. Ita. G. Sane hercle pulchre suades. Etiam tu hinc abis?
Non triumpho, ex nuptiis tuis si nil nanciscor mali;
Ni etiam nunc me hujus causa quaerere in malo jubeas crucem?
A. Verum hic dicit. P. Quid? ego vobis alienus sum, Geta? G. Haud puto; as. t. d. i. d.
Sed parumne est, omnibus quod nunc nobis suscenset senex, t. t. c.
Ni instigemus etiam, ut nullus locus relinquatur preci?
P. Alius ab oculis meis illam in ignotum hinc abducet locum? Hem! — as. t. d. i. d.
Dum igitur licet, dumque adsum, loquimini mecum, Antipho; t. t. c.
Contemplamini me! A. Quamobrem, aut quidnam facturus? Cedo.

A. III. SC. VI, 2. hinc (a lenone: cf. Ad. 3, 3, 7.) Bentl. Pote fuisset Bemb. Victorian. Mead. Sequor Bentlejum. V.: quodsi hic potuisset ex. 3. Trid. est casus rectus, ut monet Bentl. 4. Sic idem. V., ruente versu, adjuverit. 5. Ita Faern. Bentl. Bemb.: experiemur. V.: experiamur. 9. Itane non eliditur propter interpunctionem. Vid. not. ad Andr. 2, 2, 8. Cod. Reg. Bentleji: Itane dicis? Ipse Bentl.: It. dicis? Uterque frustra. Etiam tu hinc abis? Abi! Non tu hinc abis? Contemnentis haec, seu reprehendentis. 11. Male Bentl.: jubeas malum. Neque de hoc Donatus cogitavit. Rectius Guyet.: in parvo malo magnum malum. 15. hinc non habetur in Bembino Victor. et 2 Bentleji, quibus ipse obtemperat. Sed videtur haec esse correctio nescio cujus de metro perperam solliciti. In non legitur in Berolinensibus. Sic etiam Aldus probante quidem Palmerio Lamp. Gruter. 4. p. 845. 16. Sic A et C Beroll. (B: Duc igitur) Helmstad. Frib. Ascens. V.: Tum ig., dum licet etc. Bentl. secundum Serv. ad Aen. 9, 484: Quin ig. dum licet.

P. Quoquo hinc asportabitur terrarum, certum est persequi,
Aut perire! G. Di bene vortant, quod agas; pedetemtim tamen.
A. Vide, si quid opis potes adferre huic. G. Si quid! Quid? A. Quaere, obsecro:
Ne quid plus minusve faxit, quod nos post pigeat, Geta.
G. Quaero. — Salvos est, ut opinor; verum enim metuo malum.
A. Noli metuere: una tecum bona, mala, tolerabimus.
G. Quantum opus tibi est argenti? Eloquere. P. Solae triginta minae. i. t.
G. Triginta? Hui, percara est, Phaedria! P. Istaec vero vilis est. t. t. c.
G. Age, age, inventas reddam. P. O lepidum! G. Aufer te! P. Jam opust. G, Jam feres.
Sed opus est mihi Phormionem ad hanc rem adjutorem dari.
[P. Abi: dic, praesto ut sit domi.]
A. Praesto est. Audacissime oneris quidvis inpone, et feret:
Solus est homo amico amicus. G. Eamus ergo ad eum ocius.
A. Numquid est, quod opera mea opus vobis sit? G. Nil; verum abi domum et as. t. d. i. d.
Illam miseram, quam ego nunc intus scio esse exanimatam metu,
Consolare. Cessas? A. Nihil est, aeque quod faciam lubens. t. t. c.
P. Qua via istuc facies? G. Dicam in itere; modo te hinc amove.

18. hinc. Malim haec. 19. ped., caute, a pedibus et tentando. Donat. 22. ut non legitur in A Berol. 24. Bentl., trochaicum hunc quoque versum arbitratus, omisit tibi, quod abest ab ejus codice Petrensi. Alius ejus liber et Frib.: eloquere, quod praetulit loquere vulgato. 25. Istaec. B Berol.: istoc. 26. Ita Bentl. secundum libros spectatissimos, in his veterrimum ejus et Bembinum. Guelf. quoque: auferte. Ἀμέτρως legitur: A., a. i. reddam (Ascens. dabo.) P. O lep. caput (hoc omisit Bemb.)! G. Aufer te hinc. Auferte seorsum accipiendum est, intellecto amplexari, quia uterque adolescens prae gaudio in amplexus Getae ruebant, ut monet Bentl. 27. Verba cancellata non leguntur in Bembino Victor. et B Berol. A et C, Helmstad. aliique libri habent post 29. Recte ὀβελίζουσι Faërn. et Bentl., cum ipse Phaedria Getam comitetur. 33. itere Bentl. Κακομέτρως libri: itinere. Vetus Venet.: modo hinc move, temere probante Palmerio Lamp. Gruter. 4. p. 868.

# ACTUS IV.

## SCENA I.

### DEMIPHO, CHREMES.

D. Quid? qua profectus causa hinc es Lemnum, Chreme,
Adduxtin' tecum filiam? C. Non. D. Quid ita non?
C. Postquam videt me ejus mater esse hic diutius,
Simul autem non manebat aetas virginis
Meam negligentiam: ipsam cum omni familia
Ad me profectam esse aibant. D. Quid illic tam diu,
Quaeso, igitur conmorabare, ubi id audiveras?
C. Pol me detinuit morbus. D. Unde, aut qui? C. Rogas?
Senectus ipsa est morbus. Sed venisse eas
Salvas audivi ex nauta, qui eas vexerat.
D. Quid gnato obtigerit me absente, audistin', Chreme?
C. Quod quidem me factum consili incertum facit.
Nam conditionem hanc si cui tulero extrario:
Quo pacto aut unde mihi sit, dicundum ordine est.
Te mihi fidelem esse aeque atque egomet sum mihi,
Scibam; ille si me alienus adfinem volet,
Tacebit, dum intercedet familiaritas;
Sin spreverit me: plus, quam opus est scito, sciet;
Vereorque, ne uxor aliqua hoc resciscat mea.
Quod si fit: ut me excutiam, atque egrediar domo,
Id restat; nam ego meorum solus sum meus.
D. Scio, ita esse, et istaec mihi res sollicitudini est:
Neque defetiscar usque adeo experirier,
Donec, quod sum pollicitus tibi, id effecero.

A. IV. SC. I, 10. *eas* Frib., qui non eliso propter ictum. V.: *illas*, quae videtur esse emendatio metricam ignorantis. 11. Guyet. malit: *audisti, Chreme*. In Helmstadiensi additur *audivi*, quod intelligendum est. 13. Ita C Berol. V.: *hanc cond*. 18. *Sin spreverit me*, filia mea repudiata, ut explicat Guyet., qui confert Andr. 1, 5, 13 sequ., Ciceronis illud *repudiatus et spretus*, Nonii *Spernere* pro *Segregare*. 20. *ut me excutiam*. Hoc est proprie: ut vestem meam excutiam, ne quid asportare videar per furtum. Plaut. Aul. 4, 2, 59: *excutedum pallium*. Recte Gesner. in Thesauro lat. linguae: ut resoluta dote discedam e matrimonio illius. 21. *nam — meus*. H. e., interprete Zeunio: praeter corpus et libertatem nihil habeo, quod meum dici possit. Quae verba sunt hominis pauperrimi. Apollodorus apud Donatum:

Ἐγὼ γὰρ εἰμι τῶν ἐμῶν ἐμὸς μόνος.

23. Ita Bentl. secundum Priscianum pagg. 889. et 1147. Putsch. Libri vulgati nullo numero? *N. adeo def. unquam exp.* Guyeti

## ACTUS IV. SCENA II.

### GETA.

Ego hominem callidiorem vidi neminem, i. s.
Quam Phormionem. Venio ad hominem, ut dicerem,
Argentum opus esse, et id quo pacto fieret.
Vix dum dimidium dixeram: intellexerat;
Gaudebat; me laudabat; quaerebat senem;
Dis gratias agebat, tempus sibi dari,
Ubi Phaedriae esse ostenderet nihilo minus
Amicum sese, quam Antiphoni. Hominem ad forum
Jussi opperiri: eo me adducturum senem.
Sed eccum ipsum: qui est ulterior? Attat, Phaedriae
Pater venit. Sed quid pertimui autem, bellua?
An quia, quos fallam, pro uno duo sunt mihi dati?
Commodius esse opinor, duplici spe utier.
Petam hinc, unde a primo institui. Is si dat: sat est;
Si ab eo nil fiet: tum hunc adoriar hospitem.

## ACTUS IV. SCENA III.

### ANTIPHO, GETA, CHREMES, DEMIPHO.

A. Expecto, quam mox recipiat sese Geta. i. s.
Sed patruum video cum patre adstantem. Hei mihi,
Quam timeo, adventus hujus quo inpellat patrem!
G. (Adibo hosce.) O noster Chreme... C. Salve, Geta.
G. Venire salvom volupe est. D. Credo. G. Quid agitur?
C. Multa advenienti, ut fit, nova hic compluria.
G. Ita. De Antiphone audistin' quae facta? C. Omnia.
G. Tun' dixeras huic? Facinus indignum, Chreme,
Sic circumiri. C. Id cum hoc agebam commodum.

Reg. et Quadratus, item C Berol. et Ascens. haud male: N. def. unquam ego exp. Frib.: N. def. unquam adeo exp. Guyeto vox adeo suspecta est propterea quod incertam sedem habet in exemplaribus.

A. IV. SC. II, 7, 8. V.: Ubi Ph. se ost. nih. minus Am. esse quam Antiph., quorum versuum posterior est ἄμετρος. Bentl.: U. Phaedriai ost. nih. min. Amic. se esse qu. A. Phaedriai placuerat etiam Guyeto; nobis abhorrere videtur ab usu Comicorum. Sese B et C Beroll. 9. V.: eo me esse a. s., invenuste deproperato eo, verbo graviore. Helmstad.: opperirier.

A. IV. SC. III, 3. patrem. Helmstad.: meum. 4. Bentl., non ferens caesura carentes medios hujus versus pedes, deleto verbo hosce, excudi jussit Bembini lectionem hanc: O salve, noster Chreme. Verum Chreme posteriorem syllabam producit. Ceterum libri vulgati minus recte: Chremes.

G. Nam hercle ego quoque id quidem agitans mecum sedulo,
Inveni, opinor, remedium huic re. C. Quid, Geta?
D. Quod remedium? G. Ut abii abs te, fit forte obviam
Mihi Phormio, C. Qui Phormio? G. Is, qui istanc, C. Scio.
G. Visum est mi, ut ejus tentarem prius sententiam.
Prendo hominem solum. *Cur non*, inquam, *Phormio;*
*Vides, inter vos sic haec potius cum bona*
*Ut componantur gratia, quam cum mala?*
*Herus liberalis est et fugitans litium.*
*Nam ceteri quidem hercle amici omnes modo*
*Uno ore ductores fuere, ut praecipitem hanc daret.*
(A. Quid hic coeptat, aut quo evadet hodie?) G. *An legibus*
*Daturum poenas dices, si illam ejecerit?*
*Jam id exploratum est. Heja, sudabis satis,*
*Si cum illo inceptas homine: ea eloquentia est.*
*Verum pone, esse victum eum; at tandem tamen*
*Non capitis ei res agitur, sed pecuniae.*
Postquam hominem his verbis sentio mollirier:
*Soli sumus nunc*, inquam, *hic: eho, quid vis dari*
*Tibi in manum, herus ut his desistat litibus,*
*Haec hinc facessat, tu molestus ne sies?*
(A. Satin' illi di sunt propitii?) G. *Nam sat scio,*
*Si tu aliquam partem aequi bonique dixeris,*
*Ut bonus vir ille est, tria non commutabitis*
*Verba hodie inter vos.* D. Quis te istaec jussit loqui?
C. Imo non potuit melius pervenirier
Eo, quo nos volumus. (A. Occidi!) C. Perge eloqui.
G. A primo homo insanibat. D. Cedo, quid postulat?
G. Quid? Nimium quantum. C. Quantum? dic. G. *Si quis daret*
*Talentum magnum.* D. Imo malum hercle. Ut nil pudet!
G. Quod dixi ei adeo: *quaeso, quid, si filiam*

10. quidem etiam B et C Beroll. et Guelf. V. desideratur, claudicante versu. 14. Ita Bentl. ex 2 libris suis veterrimis. V. non legitur prius. Ejus μονοσυλλάβως pronuntiandum est, ut passim. 16. Bentl., libros aliquot secutus, in quibus partim sic non habebatur, partim nos scriptum erat pro vos, haec posuit: Videmus int. nos haec pot. etc. 26. ei Bentl. secundum Guyeti codicem quadratum. V.: ejus, quod minus elegans. 57. Helmstad. Ascens.: At primo. 38. V.: Quid? nim. qu. libuit. C. dic. G. si qu. d. Vetus liber Pulmanni: G.: Quid? nimium. D. quantum? G. quantum libuit. D. dic. Bentleji cod. 900 annorum: qu. voluit. Sequor Palmerium Lamp. Gruter. 4. p. 864. et Bentlejum. 40. Ἀμέτρως legitur adeo ei. Bentl.: ad eji.

*Suam unicam locaret? Parvi retulit,*
*Non suscepisse: inventa est, quae dotem petat.*
Ad pauca ut redeam ac mittam illius ineptias,
Haec denique ejus fuit postrema oratio:
*Ego*, inquit, *jam a principio amici filiam*,
*Ita ut aequom fuerat, volui uxorem ducere:*
*Nam mihi veniebat in mentem ejus incommodi,*
*In servitutem pauperem ad ditem dari.*
*Sed mi opus erat, ut aperte tibi nunc fabuler,*
*Aliquantulum quae adferret, qui dissolverem,*
*Quae debeo. Et nunc etiam, si volt Demipho*
*Dare, quantum ab hac accipio, quae sponsa est mihi,*
*Nullam mihi malim quam istanc uxorem dari.*
(A. Utrum stultitia facere ego hunc an malitia
Dicam, scientem an inprudentem, incertus sum.)
D. Quid, si animam debet? G. *Ager oppositust pignori ob*
*Decem mnas*, inquit. D. Age, age, jam ducat: dabo.
G. *Aediculae item sunt ob decem alias.* D. Oieï,
Nimium est! C. Ne clama. — Petito illasce a me decem.
G. *Uxori emunda ancillula est; tum pluscula*
*Supellectile opus est; opus est sumtu ad nuptias.*
*His rebus pone sane mnas*, inquit, *decem.*
D. Sexcentas proinde scribito jam mihi dicas.
Nil do! Inpuratus me ille ut etiam inrideat?
C. Quaeso (ego dabo), quiesce. Tu modo filius
Fac ut illam ducat, nos quam volumus. (A. Hei mihi!
Geta, occidisti me tuis fallaciis!)
C. Mea causa ejicitur: me hoc est aequom amittere.
G. *Quantum potest, me certiorem*, inquit, *face:*
*Si illam dant, hanc ut mittam, ne incertus siem:*
*Nam illi mihi dotem jam constituerunt dare.*
C. Jam accipiat, illis repudium renuntiet,
Hanc ducat. D. Quae quidem illi res vortat male!
C. Opportune adeo argentum nunc mecum attuli,

47. Ita Bentl. V.: N. m. veniebat in m. e. incommodum. 57. mnas Bentl. metri gratia. V.: minas. 58. Sic idem. Bemb. oi ei. V.: hoi, hui. 60. Bentl. secundum codd., quibuscum sentiunt 2 Beroll. et Frib.: Ux. em. ancilla est; tum autem pl. C Berol. Ascens.: ancillula. 61. Legi posset lenioribus numeris et meliore loco posita voce sumtus: Supellex opus est, sumtus opust ad nuptias; vel sic: Supellex opus est, opus est sumtu ad nupt. Mire Donat.: Sumtu ad nupt. Opus est subauditur. 62. V.: H. r. sane pone, inquit, decem minas. Bentl. pro arbitrio: H. r. alias pone sane, inqu., decem.

Fructum, quem Lemni uxoris reddunt praedia;
Sumam inde; uxori, tibi opus esse, dixero.

## ACTUS IV. SCENA IV.

### ANTIPHO, GETA.

A. Geta... G. Hem! A. Quid egisti? G. Emunxi argento senes. i. s.
A. Satin' est id? G. Nescio hercle; tantum jussus sum.
A. Eho verbero, aliud mihi respondes, ac rogo?
G. Quid ergo narras? A. Quid ego narrem? Opera tua
Ad restim mihi quidem res redit planissume.
Ut te quidem omnes di, deae, superi, inferi,
Malis exemplis perdant! Hem, si quid velis,
Huic mandes, qui te ad scopulum e tranquillo auferat.
Quid minus utibile fuit quam hoc ulcus tangere,
Aut nominare uxorem? Injecta est spes patri,
Posse illam extrudi. Cedo nunc porro! Phormio
Dotem si accipiet, uxor ducenda est domum:
Quid fiet? G. Enim non ducet. A. Novi; ceterum
Cum argentum repetent, nostra causa scilicet
In nervom potius ibit. G. Nihil est, Antipho,
Quin male narrando possit depravarier.
Tu id, quod boni est, excerpis; dicis, quod mali est.
Audi nunc contra jam. Si argentum acceperit:
Ducenda est uxor, ut ais. Concedo tibi:
Spatium quidem tandem adparandis nuptiis,
Vocandi, sacrificandi, dabitur paululum;
Interea amici, quod polliciti sunt, dabunt:
Inde iste reddet. A. Quamobrem, aut quid dicet? G. Rogas?

75. Donat.: Et Lemni et Lemno legitur. 76. V.: Id sumam, quasi omnis is fructus non amplius 30 minis constitisset, quod nobis haud magis probabile videtur quam Bentlejo. (Vid. 5, 3, 6. seqq.) Bemb.: Inde sumam, quod ipsum excudi jussit Bentl. Cf. 4, 4, 23.

A. IV. SC. IV, 6. Κακομέτρως legitur deaeque. 8. Ita Laceratus Guyeti, Bentleji Reg., B Berol. et Helmstad. Libri vulgati secundum Bemb. Victor. et Basilic.: H. m., quod quidem recte curatum velis, quod sublectum Ad. 3, 4, 9. Et hoc et illud qui te ad scop. e tr. auf. habetur in A et C Beroll. Frib. Ascens. aliisque multis codd. 13. Sic libri quidam. Franc. Fabricii, quos sequitur Muretus. V.: non enim d. 23. V.: Id istis reddet. Bentl. secundum Bemb.: Inde iste r. Cf. 4, 6, 76. Vet. cod. Brunianus apud Palmerium Lamp. Gruter. 4 p. 850: aut quid dicis (genit.)? hoc est, inquit Palmer., quid simulabitur? quid praetextus erit? Et probat, nec tamen prorsus rejecta lectione vulgata.

*Quot res postillà monstra evenerunt mihi!*
*Introiit in aedis ater alienus canis;*
*Anguis in impluvium decidit de tegulis;*
*Gallina cecinit; interdixit hariolus;*
*Haruspex vetuit ante brumam aliquid novi*
*Negoti incipere;* quae causa est justissima.
Haec fient. A. Ut modo fiant. G. Fient: me vide.
Pater exit: abi; dic, esse argentum, Phaedriae.

## ACTUS IV. SCENA V.

### DEMIPHO, GETA, CHREMES.

D. Quietus esto, inquam: ego curabo, ne quid verborum duit.
Hoc temere nunquam amittam ego a me, quin mihi testis adhibeam;
Cum dem, et quamobrem dem, commemorabo. (G. Ut cautus est, ubi nil opus!)
C. Atqui ita opus facto est; et matura, dum lubido eadem haec manet:
Nam si altera illaec magis instabit, forsitan nos reiciat.
G. Rem ipsam putasti. D. Duc me ad eum ergo. G. Non moror. C. Ubi hoc egeris:
Transito ad uxorem meam, ut conveniat hanc prius quam hinc abit;
Dicat, eam dare nos Phormioni nuptum, ne suscenseat;
Et magis esse illum idoneum, ipsi qui sit familiarior;
Nos nostro officio nil degressos: quantum is voluerit, datum

24. Eugraph.: „Ordo: Postilla, quot mihi res evenerunt, quae res monstra sunt." Guyet.: „Quot res monstra, appositio." Minus recte legitur: Quot res? postilla etc. 26. Ita Guyet. Bentl., cum legatur perversis numeris: per impluv. Plaut. Amph. 5, 1, 56: Devolant angues jubati deorsum in impluvium duo. 28. Sic plerique libri, in his vulgo editi. Bentl. secundum alios, quibuscum consentiunt C Berol. et Guelf.: ante br. autem novi etc. A Berol.: autem quid, neque aliter Guyeti Reg., nisi quod inter versus habet quid. Ante br. Quod ante brumam dies decrescere incipiant. Donat. Addit Guyetus: „Naturam enim sequi justum est." 29. Temere Bentl.: ante br. autem novi Negoti nihil incipere causa est sontica.

A. IV. SC. V, 3. V.: ubi nihil op. est. Frib.: u. n. est opus. Scires, supposititiam esse copulam. 4. et antiqui codd. Faerni, Frib. Bentl. V.: at. Bentl., mature. 5. Ita C Berol. Helmst. Frib. Bentl. V.: rejiciat. 7. abit meliores libri, quos sequitur Bentl. Ἀμέτρως legitur abeat. 9. Ita Bentl. ex cod. Acad. V.: qui ipsi. 10. Sic itidem Bentl. B Berol. digressos, quae

Tantum esse dotis. D. Quid tua, malum, id refert? C. Magni, Demipho.

Non satis est, tuum te officium fecisse, id si non fama adprobat;

Volo ipsius voluntate haec fieri, ne se ejectam praedicet.

D. Idem ego istuc facere possum. C. Mulier mulieri mage congruet.

D. Rogabo. C. Ubi illas nunc ego reperire possim, cogito.

## ACTUS IV. SCENA VI.

### SOPHRONA, CHREMES.

S. Quid agam? quem mi amicum inveniam misera, quo consilia haec referam, aut t. t.

Unde mi auxilium petam? t. d. c.

Nam vereor, hera ne ob meum suasum indigne injuria adficiatur: t. t.

Ita patrem adolescentis facta haec tolerare audio violenter.

C. Nam quae haec anus est exanimata, a fratre quae egressa est meo? t. t. c.

S. Quod ut facerem, egestas me inpulit, cum scirem infirmas nuptias i. t.

Hasce esse, ut id consulerem, interea vita ut in tuto foret.

C. Certe edepol, nisi me animus fallit, aut parum prospiciunt oculi, t. t.

Meae nutricem gnatae video. S. Neque ille investigatur... C. Quid ago? as. t. d. i. d. h.

est vulgata lectio. Ceteri vett. fere: egressos. Deinde Bentl.: — degressos: quantum is vol. dari, Datum esse d., cum dari non legatur in vulgatis libris. Frib.: egressos esse. Sed C Berol.: quantum is vol., Tantum esse d. 12. V., numeris imperfectis: Non sat tuum te off. fec., si non id f. a. B Berol. et Frib.: N. sat est t. te off. fec., id si non f. a. Bentl.: N. satis est t. te off. facere etc. 13. Libri ὑπερμέτρως: V. ips. quoque vol. hoc f. Bentl. secundum suos, quibuscum stat B Berol.: haec. Ascens. Govean. Muret. Guyet., nescio qua fide: ejectam putet. 14. congruet Basilic., omnes Bentlejani, A et C Beroll., Bentl. V.: congruit. Bemb.: convenit. 15. V.: Ubi illas nunc iam r. p. c.

A. IV. SC. VI, 1. misera inv. Bentl. secundum suos. Sic etiam A Berol. et Ascens. V.: — misera, aut cui consil. Bemb.: aut quo. Bentl.: inv., quo cons. haec ref., atque Unde etc. 2. mihi non comparet in A et C Beroll. 3. indigne a Guyeti, totidem nostri (A et B Beroll.), Bentleji omnes, quos ipse sequitur, Ascens. Muret. Indigna Bemb. Faërn. 7. Parum haec eloquenter. Malim sane; inter. vita qui in t. f. 9. ago Bemb. Bentl. V.: agam.

S. Qui ejus pater est. C. Adeo, an maneo, dum ea, quae loquitur, mage cognosco? t. t.
S. Quodsi eum nunc reperire possim: nihil est, quod verear. C. Ipsa ea est: as. t. d. i. d.
Conloquar. S. Qui hic loquitur... C. Sophrona... S. Et meum nomen nominat? t. t. c.
C. Respice ad me. S. Di, obsecro vos, estne hic Stilpho? C. Non. S. Negas?
C. Concede hinc a foribus paululum istorsum sodes, Sophrona. — as. t. d. i. d.
Ne me istoc posthac nomine adpellassis. S. Quid? non, obsecro, es, i. t.
Quem semper te esse dictitasti? C. St! S. Quid has metuis foris?
C. Conclusam hic habeo uxorem saevam. Verum istoc me nomine
Eo perperam olim dixi, ne vos forte inprudentes foris
Effutiretis, atque id porro aliqua uxor mea rescisceret.
S. Hem, istoc pol te nos invenire hic miserae nunquam potuimus.
C. Eho, dic mihi, quid tibi rei est cum familia hac, unde exis? i. t. c.
Ubi illae? S. Miseram me! C. Hem, quid est? vivuntne? S. Vivit gnata.
Matrem ipsam ex aegritudine hac miseram mors consecuta est.
C. Male factum! S. Ego autem, quae essem anus deserta, egens, ignota,
Ut potui, nuptum virginem locavi huic adolescenti,
Harum qui est dominus aedium. C. Antiphonine? S. Isti, inquam, ipsi.
C. Quid? duasne is uxores habet, obsecro? S. Au, ille quidem hanc solam.

11. Ita Frib. V: Ea est ipsa. 12. Libri asperiore numero: quis. 13. Guelf.: R. in me. 14. Bentl. metri, ut ait, gratia paulum arcessivit ex codd. suis recentioribus, quibuscum id convenit C nostro, cum versum asynartetum vir optimus non agnosceret. 17. me Victorian. Bentl. V.: de. 20. Hem legitur in 3 Beroll. et Helmstad. Deinde A Berol.: te nos inv. hic, acuto te pronomine. V.: Ist. pol nos te hic inv. C Berol.: nequaquam pot. 21, 22. Sic Bentl. ex duobus suis. Alii, in his Beroll. Frib. Ascens.: — exis, aut Ubi illae sunt? Sunt etiam in vulgatis legitur. Ceterum Frib. Ascens.: tibi rei, acuto tibi. V.: rei tibi. 23. hac Frib. V. non legitur. 26. Ita Bentl. secundum codicem Acad., quicum sentiunt C Berol. et Guelf. V.: C. Antiph.? S. Hem, illi ipsi. 27. V.: — habet.

C. Quid illam alteram, quae dicitur cognata? S. Haec ergo est. C. Quid ais?
S. Composito factum est, quo modo hanc amans habere posset
Sine dote. C. Di, vostram fidem, quam saepe forte temere
Eveniunt, quae non audeas optare! Offendi adveniens,
Quicum volebam atque ut volebam, conlocatam filiam. i. t.
Quod nos ambo opere maxumo dabamus operam, ut fieret,
Sine nostra cura, maxuma sua cura, haec sola fecit. i. t. c.
S. Nunc quid opus facto sit, vide: pater adulescentis venit,
Eumque animo iniquo hoc oppido ferre ajunt. C. Nil pericli
Est. Sed, per deos atque homines, meam esse hanc cave resciscat quisquam. as. t. d. i. d. h.
S. Nemo scibit ex me. C. Sequere me: intus cetera audies. t. t. c.

---

# ACTUS V.

## SCENA I.

### DEMIPHO, GETA.

D. Nostrapte culpa facimus, ut malis expediat esse, i. t. c.

S. Au, obsecro, unam ille quid h. sol., quae ἄμετρα sunt. Bentl. delevit habet, tanquam glossema. Sed eo nomine reprehendendum potius videtur unam, obsecro autem referendum ad Chremetis orationem. 28. Ita Bentl. secundum Bembinum et suum ipsius veterrimum, neque aliter B Berol. V.: illa altera. Cf. 3, 4, 16, Heaut. 5, 1, 77. 32. Frustra Bentl., ut versus similis fieret praegressis, quo nihil opus est, de se dedit filiam locatam. 34. Idem hunc versum temere ὀβελίζει, tanquam antecedenti repugnantem, quod non est, ut monet Zeunius. Ceterum malim effecit. 37. Est versui praegresso additur in libris; quo facto hic quoque esse videtur iamb. tetram. catal. Sed quid tum fiet ultimo scenae versu? num eum in eandem formam redacturi legemus cum Bentlejo audiemus? Minime; sed illo Est versum 37. auspicati (vid. not. ad Ad. 3, 4, 32.) gravissimum in gravissimo affectu metrum usurpabimus, de quo ad Ad. 4, 5, 8, ultimum autem versum, scribendo scibit ex me pro vulgato ex me scibit, quo remedio nullum facilius probabiliusque, efficiemus trochaïcum tetram. cat.

A. V. SC. I, 1. malis Bentl. ex 3 ejus veterrimis, a quibus stat Frib. V.: malos, quod minus elegans.

Dum nimium nos dici bonos studemus et benignos.
*Ita fugias, ne praeter casam*, quod ajunt. Nonne id sat erat,
Accipere ab illo injuriam? Etiam argentum est ultro objectum:
Ut sit, qui vivat, dum aliud aliquid flagiti conficiat.
G. Planissume. D. His nunc praemium est, qui recta prava faciunt.
G. Verissume. D. Ut stultissume quidem illi rem gesserimus.
G. Modo ut hoc consilio possiet discedi, ut istam ducat.
D. Etiam idne dubium est? G. Haud scio hercle, ut homo est, an mutet animum.
D. Hem, mutet autem? G. Nescio; verum „Si forte" dico.
D. Ita faciam, ut frater censuit: uxorem huc ejus adducam,
Cum ista ut loquatur. Tu abi prae, Geta; nuntia hanc venturam.

## ACTUS V. SCENA II.

### GETA.

Argentum inventum est Phaedriae; de jurgio siletur; i. t. c.
Provisum est, ne in praesentia haec hinc abeat: quid nunc porro?
Quid fiet? In eodem haesitas luto; vorsura solvis,
Geta. Praesens quod fuerat malum, in diem abiit; plagae crescunt,
Nisi prospicis. Nunc hinc domum ibo ac Phanium edocebo,
Ne quid vereatur Phormionem ad hujus orationem.

2. Ita C Berol., vitato ὁμοιοτελεύτῳ. V.: dici nos. 6. His A et C Beroll. Helmstad. Ascens. Eugraph.; hijs Frib.; vulgo: iis. 7. illi, illic. Male Frib.: illi morem gess. 9. Ita Bentl. ex uno regio. V.: Etiamne id dubium est, τῷ id occultato. 11. Ita B Berol. Frib. Ascens. etc. V.: ut uxorem huc ejus, non ejus huc (illud praetulit Bentl.) iidem libri cum plerisque aliis. 12. V., numeris invenustis: tu, Geta, abi prae. Non liquescit Tu propter ictum.

A. V. SC. II, 3. vorsura libri vett. G. Fabricii, probantibus Goveano, Guyeto, Bentlejo, qui et legendum vidit solvis. V.: vorsuram solves. Effectum Salmasii atque Gronovii industria, ut versura solvere is dicatur, qui vetus debitum novo solvit. 6. Legitur vulgo, trepidantibus viris doctis: Ne quid vereatur Phormionem, aut ejus orationem. Sane de-

## ACTUS V. SCENA III.

### DEMIPHO, NAUSISTRATA.

D. Agedum, ut soles, Nausistrata, fac, illa ut placetur nobis: i. t. c.
Ut sua voluntate id, quod est faciendum, faciat. N. Faciam.
D. Pariter nunc opera me adjuvas, ac re dudum opitulata es.
N. Factum volo; at pol minus viri queo culpa, quam me dignum est.
D. Quid autem? N. Quia pol mei patris bene parta indiligenter
Tutatur: nam ex his praediis talenta argenti is bina
Capiebat statim. Hem, vir viro quid praestat! D. Binan', quaeso?
N. Ac rebus vilioribus multo; tamen duo bina. D. Hui!
N. Quid haec videntur? D. Scilicet... N. Virum me natum vellem:
Ostenderem ego... D. Certo scio. N. Quo pacto... D. Parce, sodes:
Ut possis cum illa: ne te adolescens mulier defatiget.
N. Faciam, ut jubes. Sed meum virum abs te exire video.

pravatus est hic locus, sed levius quam videbatur Bentlejo, qui quidem hoc posuit: Ne q. ver. Naustratam, neque ejus or. Scribendum haud cunctanter: Ne q. v. Phormionem ad hujus (vicinae, Nausistratae) orationem, h. e. ne quid vereatur Phormionis nuptias audita hujus oratione, seu propter hujus orationem. Notus is usus ad praepositionis. Liv. 6, 27: Ad famam belli legiones scribendas Patres censuerant etc. Similia vero hujus, ujus, ejus, nec raro ac, at, ad, aut commutata inter se deprehenduntur in codd.

A. V. SC. III, 1. ut soles. Sicut adsoles, benignitatem tuam praesta etc. Eugraph. 3. adjuvas, quae Bentleji lectio, etiam Guelf. et Helmstad. V.: adjuves. Beroll.: adjuva. 6. Addidimus is, ne intelligatur Chremes, sed pater mulieris. 8. V.: Ac r. v. m., tamen talenta bina. Verum Bentleji codd. A et B Beroll. Guelf. Helmstad. Frib.: tamen duo tal. Ascens. non habet bina. Bentl. item: Ac r. vil., tamen duo talenta. D. Hui! Rectum videtur duo bina, h. e. duo simul, par talentorum, quod dictum ad augendam rei magnitudinem. Talenta est glossema. 9. Delenda fortasse est persona Demiphonis. natum Bemb., Bentleji cod. 900 annorum, B Berol., Bentl. V.: natam, quod soloecum. 10. Frib.: Certe. 11. Bentl.: ne adulescens. mul. te fatiget; quae lectio esse videtur libri Guelf. Frib. Ascens.: defatiget. V.: defetiget.

## ACTUS V. SCENA IV.

### DEMIPHO, NAUSISTRATA, CHREMES.

C. Hem, Demipho, i. t.
Jam illi datum est argentum? D. Curavi illico. C. Nollem datum.
(Hei, video uxorem! Paene plus, quam sat erat.) D. Cur nolles, Chreme?
C. Jam recte. D. Quid tu? ecquid locutus cum ista es, quamobrem hanc ducimus?
C. Transegi. D. Quid ait tandem? C. Abduci non potest. D. Qui non potest?
C. Quia uterque utrique est cordi. D. Quid istuc nostra? C. Magni. Praeter haec
Cognatam comperi esse nobis. D. Quid? deliras? C. Sic erit;
Non temere dico: redii mecum in memoriam. D. Satin' sanus es?
N. Au, obsecro, vide, ne in cognatam pecces. D. Non est. C. Ne nega.
Patris nomen dictum est aliud: hoc tu errasti. D. Non norat patrem?
C. Norat. D. Cur aliud dixit? C. Nunquam hodiene concedes, neque
Intelliges? D. Si tu nil narras. C. Pergin'? N. Miror, qui hoc siet.
D. Equidem hercle nescio. C. Vin' scire? At ita me servet Jupiter,
Ut propior illi, quam ego sum ac tu, homo nemo est. D. Di, vostram fidem,
Eamus ad ipsam: una omnis nos aut scire, aut nescire hoc volo. C. Ah!
D. Quid est? C. Itan' parvam mihi fidem esse apud te? D. Vin' me credere,

A. V. SC. IV, 8. redii recte positum a Bentlejo. Libri soloece et ἀμέτρως: redi. 9. A Berol.: Ah vero obsecro. B: Haud obs. Non displicet Ah, quod significare videtur etiam An Friburgensis. 11. Ita C Berol. V.: Nunquamne hodie, quod minus elegans. Legitur quoque concedes mihi, et sequente versu: Neque intell., numeris quidem perquam duris. Glossema est mihi. 12. narras, ut Bentl. et Zeun., etiam B Berol. Alii: narres. Frib.: Pergin? N. M. qui h. s. Bemb. Victorjan.: Perdis. Bentl. quoque: qui hoc siet. V.: Pergis? N. M., quid h. s. 14. V. secundum Bembinum: ac tu, nemo est. Habent homo etiam Beroll. Guelf. Ascens. Riv. Bentl. 16. Ita Bentl. secundum Bembinum. Plerique, in his Beroll. Frib. Ascens.: vin' me hoc credere, cum sequatur istuc.

Vin' satis quaesitum mi istuc esse? Age, fiat. Quid? illa filia
Amici nostri quid futurum est? C. Recte. D. Hanc igitur mittimus. . .
C. Quidni? D. Illa maneat? C. Sic. D. Ire igitur tibi licet, Nausistrata.
N. Sic pol commodius esse in omnis arbitror, quam ut coeperas,
Manere hanc: nam perliberalis visa est, cum vidi, mihi.
D. Quid istuc negoti est? (C. Jamne operuit ostium? D. Jam.) C. O Jupiter,
Di nos respiciunt: gnatam inveni nuptam cum tuo filio. D. Hem,
Quo pacto id potuit? C. Non satis tutus est ad narrandum hic locus.
D. At tu intro abi. C. Heus, ne filii quidem nostri hoc resciscant volo.

## ACTUS V. SCENA V.

### ANTIPHO.

Laetus sum, utut meae res se habent, fratri obtigisse, quod volt. i. t. c.
Quam scitum est, ejusmodi parare in animo cupiditates,
Quas, cum res advorsae sient, paulo mederi possis!
Hic simul argentum reperit, cura sese expedivit;
Ego nullo possum remedio me evolvere ex his turbis,
Quin, si hoc celetur, in metu, sin patefit, in probro sim;
Neque me domum nunc reciperem, ni mi esset spes ostenta
Hujusce habendae. Sed ubinam Getam invenire possiem, ut i. t.
Rogem, quod tempus conveniundi patris me capere suadeat?

17. **Filia amici nostri.** Tua scilicet. Quodque aperte non potuit, occulte dixit. Eugraph.

A. V. SC. V, 1. Bemb. Helmstad. et alii quidam libri: ut meae res sese habent, quod miror Bentlejo placuisse. Recte Frib. Guyet.: se. 5. tricis pro turbis non ita male liber Brunian. apud Palmerium Lamp. Gruter. 4. p. 855. 7. Sic meliores MSS. et edd. V.: ostensa. 8. Bentl.: habendi. Idem ex libris plurimis, quibuscum faciunt Guelf. et Frib.: possim. B Berol. Ascens. et vulgo edd.: possum. A Berol. possem pro possiem, nisi fallor, idque verum: ut hic versus et sequens sint iambici tetram. acat., alia in alio cogitato usurpata metri forma. 9. Sic Faerni antiquiores et Frib. A Berol.: persuadeat. V.: jubeat.

## ACTUS V. SCENA VI.

### PHORMIO, ANTIPHO.

P. Argentum accepi, tradidi lenoni; abduxi mulierem; i. t.
Curavi, propria Phaedria ut poteretur: nam emissa est manu.
Nunc una mihi res etiam restat, quae est conficiunda, otium
Ab senibus ad potandum ut habeam: nam aliquot hos sumam dies.
A. (Sed Phormio est.) Quid ais? P. Quid? A. Quidnam nunc facturust Phaedria?
Quo pacto satietatem amoris ait se velle absumere?
P. Vicissim partis tuas acturust. A. Quas? P. Uti fugitet patrem.
Te suas rogavit rursum ut ageres, causam ut pro se diceres:
Nam potaturus est apud me: ego me ire senibus Sunium
Dicam ad mercatum, ancillulam emtum, dudum quam dixit Geta:
Ne, cum hic non videant, me conficere credant argentum suum.
Sed ostium concrepuit abs te. A. Vide, quis egreditur. P. Geta est.

## ACTUS V. SCENA VII.

### GETA, ANTIPHO, PHORMIO.

G. O Fortuna, o Fors Fortuna, quantis commoditatibus t. t. c.
Quam hero subito meo Antiphoni ope vostra hunc onerastis diem...
A. Quidnam hic sibi volt? G. Nosque amicos ejus exonerastis metu!
Sed ego mihi nunc cesso, qui non humerum hunc onero pallio,

A. V. SC. VI, 2. Ita nonnulli codd. Faërni, B Berol. Helmst. Frib. V.; propria ea. Poteretur Bemb., 2 Bentlejani, Guelf., Glarean. Bentl., quod metro convenit, V.: potiretur. 4. Helmstad. Ascens.: A senibus. Frib.: aliquos. 12. Ita Helmstad. Ascens. V.: egrediatur. Bemb. Bentl.: qui egrediatur.

A. V. SC. VII, 2. Bentl., cui meo videtur insititium: Quam desubito hero Ant. Legitur autem vulgo: Q. sub. hero meo Ant. Jam verbum Quam non liquescit propter ictum. 4. Beroll. Frib.: mihi nunc. Ascens.: S. mihi nunc ego. Guyet.: Humerum pallio onerare festinantis gestus est et itineri se parantis, servi maxime in fabulis palliatis. Plaut. Epid. 2, 2: Age nunc iam, orna te, Epidice, et palliolum in collum conjice etc.

Atque hominem propero invenire, ut haec, quae contigerint, sciat.
A. Num tu intelligis, hic quid narret? P. Num tu? A. Nil. P. Tantundem ego.
G. Ad lenonem hinc ire pergam: ibi nunc sunt. A. Heus, Geta! G. Hem tibi!
A. Num novum aut mirum est revocari, cursum cum institeris? Geta!
G. Pergin'? Hercle nunquam tu odio me tuo vinces! A. Non manes?
G. Vapula! A. Id quidem tibi jam fiet, nisi resistis, verbero!
G. Familiariorem oportet esse hunc: minitatur malum.
Sed isne est, quem quaero, annon? Ipsust. A. Congredere actutum. — Quid est? i. t.
G. O omnium, quantum est, qui vivunt, homo hominum ornatissume:
Nam sine controversia ab dis solus diligere, Antipho. t. t. c.
A. Ita velim; sed, qui istuc credam ita esse, mihi dici velim.
G. Satin' est, si te delibutum gaudio reddo? A. Enicas.
P. Quin tu hinc pollicitationes aufer et, quod fers, cedo! G. Oh,
Tu quoque aderas, Phormio? P. Aderam; sed tu cessas. G. Accipe, hem!
Ut modo argentum tibi dedimus apud forum: recta domum
Sumus profecti. A. Interii! G. Mittit herus me ad uxorem tuam.

8. institeris Glarean., Guyeti codd. antiquissimi, Bentl. Ἀμέτρως legitur institueris; nec recte verba Num — instit. Antiphoni tribuuntur. 9. Pergin unus Bentleji et A Berol. V.: Pergit hercle. Acad. Bentleji, vitio, ut opinor, calami: tu hodie. Quem tamen librum Bentl. secutus excudi jussit: Pergin? hercle nunquam hodie odio tu me vinces. 10. Guelf.: restiteris. Hunc versum inter et sequentem haec leguntur apud Ascensium: G. Curialis vernula est, qui me vocat, quae recentiores, nescio qua fiducia, inseruere post versum 8. Vid. Bentl. 11. Sic antiquiores, in his A et C Beroll., Faërn. Bentl. V.: qui min. m. 12. Ita Guyet. V.: Ph. Congr. act. A. Quid est? 13. ornat., instructissime bonis rebus. 14. A et B Beroll. Helmst. Frib.: a dis. Ascens.: N. s. contr. diis s. d. antipho. 15. Malim: dici volo. Obnoxium velim non decet dominum adversus servum. 20. Inepte libri: Sumus profecti, interea mittit etc.: nam quomodo interea, h. e. inter proficiscendum domum suam, Demipho mittere Getam potuit ad uxorem Antiphonis, quae habitabat apud ipsum Demiphonem? Imo se interiisse clamat adolescens, postquam audiit, dote

A. Quamobrem? G. Omitto proloqui; nam nihil ad hanc rem est, Antipho.
Ubi in gynaeceum ire occipio: puer ad me adcurrit Mida, i. t.
Pone adprehendit pallio, resupinat. Respicio; rogo,
Quamobrem me retineat. Ait esse vetitum, intro ad heram accedere:
*Sophrona modo fratrem huc*, inquit, *senis introduxit Chremem*, t. t. c.
Eumque nunc esse intus cum illis. Hoc ubi ego audivi, ad foris
Placide suspenso gradu ire perrexi, accessi, adstiti,
Animam compressi, aurem admovi; ita animum coepi attendere.
P. Hoc modo sermones captas? Eu, Geta! Hic pulcherrimum
Facinus audivi, itaque paene hercle exclamavi gaudio.
A. Quod? G. Quodnam arbitrare? A. Nescio. G. Atqui est mirificissimum:
Patruus tuus est pater inventus Phanio uxori tuae. A. Hem,
Hem, quid ais? G. Cum ejus consuevit olim matre in Lemno clanculum. i. t.
P. Somnium! Utne haec ignoraret suum patrem? G. Aliquid credito, t. t. c.
Phormio, esse causae; sed me censen' potuisse omnia
Intelligere extra ostium, intus quae inter sese ipsi egerint?
A. Atque hercle ego quoque eam inaudivi fabulam. G. Imo etiam dabo,
Quo mage credas. Patruus interea inde huc egreditur foras;
Haud post multo cum patre idem recipit se intro denuo;

numerata Phormioni, patrem cum Geta domum profectum esse, renunciatum (ut quidem putabat) Phanio repudium. Cf. 4, 4, 11, 12. Frustra Bentl.: — apud forum, recta ad Chremem Sumus profecti: interea mittit etc. 21. proloqui, eloqui, dicere. 26. illis, Phanio et Sophrona. Guyet. 28. Frigide legitur: — attendere, Hoc modo sermonem captans. A. Eu, Geta! Irridens servulum Phormio per jocum: Hoc, inquit, modo sermones tu captas? et addit εἰρωνικῶς: Eu, Geta! Ceterum A Berol.: aptans, quasi hoc vellet sermoni me aptans. 34. Ita Bentl. V.: utin' haec. Duo Bentlejani A Berol. Guelf.: ut haec. 37. Atque — fabulam. Recte haec Antiphoni tribuit Bentl., codicem Acad. secutus. Vulgo sub Phormionis persona leguntur. Legitur autem illam inaudivi, quod minus ἔμμετρον. Dabo, dicam. Guyet. 38. Idem malit: interea intus egr. foras. 39. Libri numero durissimo: H. multo post. Gaudet Afer trajectionibus verborum.

Ait uterque, tibi potestatem ejus habendae se dari;
Denique ego missus sum, te ut requirerem atque adducerem. A. Hem,
Hem; quin ergo rape me! Quid cessas? G. Fecero. A. O mi Phormio, as. t. d. i. d.
Vale. P. Vale, Antipho.

## ACTUS V. SCENA VIII.

### PHORMIO solus.

Bene, ita me di ament, factum! Gaudeo, t. t. c.
Tantam fortunam de inproviso esse his datam. i. s.
Summa eludendi occasio est mihi nunc senes,
Et Phaedriae curam adimere argentariam,
Ne cuiquam suorum aequalium supplex siet:
Nam idem hoc argentum, ita ut datum est, ingratiis
His datum erit. Hoc qui cogam, re ipsa reperi.
Nunc gestus mihi voltusque est capiundus novos.
Sed hinc concedam in angiportum hoc proxumum;
Inde hisce ostendam me, ut erunt egressi foras.
Quo me adsimularam ire ad mercatum, non eo.

## ACTUS V. SCENA IX.

### CHREMES, DEMIPHO, PHORMIO.

C. Estne ea, ita ut dixi, liberalis? D. Oppido. i. s.
Dis magnas merito gratias habeo atque ago,
Quando evenere haec nobis, frater, prospere.
Quantum potest, nunc conveniundus Phormio est,
Priusquam dilapidat, nostras triginta minas
Ut auferamus. P. Demiphonem, si domi est,
Visam: ut, quod... D. At nos ad te ibamus, Phormio.

40. se Ascens. et vett. edd., quas recte sequitur Bentl. Alibi vox haud comparet. Bentl.: habendi. C Berol.: ejus habendo clam Denique etc.

A. V. SC. VIII, 6. Hoc argentum, ita ut datum est, datum his (ab his, Demiphone et Chremete) erit, quamvis invitis; eis non reddetur. Bemb.: Ei dat. erit. Guelf.: re ego ipsa. 9. Bentlejani duo, A Berol. Priscian. p. 714. Putsch.: hunc angip. 10. Ita B Berol. V.: ubi erunt, frequentiore elisione vocalium.

A. V. SC. IX, 1. Hoc loco versus legitur in edd. quibusdam recentioribus, cum vulgo habeatur post 12, nescientibus quidem, quo se vertant, variaque molientibus viris doctis. Apte sic Chremes, exiens a Phanie cum Demiphone. Ceterum A et B Beroll. Frib. Ascens. etc. non habent ea. Bentl.: E., ita uti dixi.

P. De eadem hac fortasse causa? D. Ita hercle. P. Credidi.
Quid ad me ibatis? Ridiculum! An veremini,
Ne non id faciam, quod semel receperim?
Heus, quanta quanta haec mea paupertas est, tamen
Adhuc curavi unum hoc quidem, ut mi esset fides.
Idque adeo venio nuntiatum, Demipho,
Paratum me esse. Ubi voltis: uxorem date.
Nam omnis posthabui mihi res, ita uti par fuit,
Postquam, tantopere id vos velle, animadverteram.
D. At hic dehortatus est me, ne illam tibi darem:
*Nam qui erit rumor populi*, inquit, *si id feceris?*
*Olim cum honeste potuit, tum non est data;*
*Nunc viduam extrudi turpe est;* ferme eadem omnia,
Quae tute dudum coram me incusaveras.
P. Satis superbe inluditis me. D. Qui? P. Rogas?
Quia ne alteram quidem illam potero ducere:
Nam quo redibo ore ad eam, quam contemserim?
C. *Tum autem Antiphonem video ab sese amittere*
*Invitum eam*, inque. D. Tum autem video filium
Invitum sane mulierem ab se amittere.
Sed transi sodes ad forum atque illud mihi
Argentum rursum jube rescribi, Phormio.
P. Quodne ego discripsi porro illis, quibus debui?
D. Quid igitur fiet? P. Si vis mi uxorem dare,
Quam despondisti, ducam; sin est, ut velis
Manere illam apud te, dos hic maneat, Demipho:
Nam non est aequom, me propter vos decipi,
Cum vostri ego honoris causa repudium alterae
Remiserim, quae dotis tantundem dabat.
D. In' in malam rem hinc cum ista magnificentia,

8. Bentl. verba Ista hercle Phormioni tribuit. 9. Sic idem secundum vetustiores suos, quibuscum congruit A Berol. Ἀμέτρως legitur verebamini. 10. V.: Ne n. id facerem, qu. recepissem semel? quae refingenda erant, postquam positum esset veremini. 13. V.: Itaque ad vos venio nunt. Bemb.: Idque adeo ad vos etc. Helmstad.: Ita ad vos etc. Bentl.: Itaque adeo advenio nunt. 16. Helmstad.: advorteram. Ascens. aliique: animum advorteram. 22. Ita Bemb. et alii quidam Faërniani, alterque Meadianorum. V.: Satin', h. e. Nonne. Bentl. de se: Satis pol sup. Cf. 75. 30. Ita Bemb., quem recte sequitur Bentl. Sic etiam Guelf. Alii Faërniani, B et C Beroll. Helmstad.: descripsi. V.: perscripsi. Frib. Ascens. prescripsi. 35. Sic Frib. V.: ego vestri. Alterae optimi Faërniani. Frib. Ascens.: altere. V. alteri, quod est glossema. Cf. Heaut. 2, 2, 30 etc. 37. B Berol.: In mal. rem hinc c. i. m.; Frib.: In mal rem i c. i. m., cum alterum in alteri effecisset, ut opinor. Bemb.: I in mal. rem hinc etc.

Fugitive! Etiamnum credis te ignorarier,
Aut tua facta adeo? P. Inritor? D. Tun' haec duceres,
Si tibi data esset? P. Fac periclum. D. Ut filius
Cum illa habitet apud te, hoc vostrum consilium fuit.
P. Quaeso, quid narras? D. Quin tu mi argentum cedo!
P. Imo tu vero uxorem! D. Ehem, in jus ambula!
P. In jus? Enim odio si esse porro pergitis...
D. Quid facies? P. Egone? Vos me indotatis modo
Patrocinari fortasse arbitramini;
Etiam dotatis soleo. C. Quid id nostra? P. Nihil.
Hic quandam noram, cujus vir uxorem... (C. Hem! D. Quid est?)
P. Lemni habuit aliam... (C. Nullus sum!) P. Ex qua filiam
Suscepit et eam clam educat. (C. Sepultus sum!)
P. Haec adeo ego illi jam denarrabo. C. Obsecro,
Ne facias! P. Oh, tun' is eras? (D. Ut ludos facit!)
C. Missum te facimus. P. Fabulae! C. Quid vis tibi?
Argentum, quod habes, condonamus te. P. Audio.
Quid vos, malum, ergo me sic ludificamini,
Inepti, vostra puerili sententia?
*Nolo, volo; volo, nolo rursum; cape, cedo;*
*Quod dictum, indictum est; quod modo erat ratum, inritum est.*
(C. Quo pacto aut unde haec hic rescivit? D. Nescio;
Nisi, me dixisse nemini, id certo scio.
C. Monstri, ita me di ament, simile! P. Injeci scrupulum. D. Hem,
Hiccine ut a nobis tantum hoc argenti auferat,
Tam aperte inridens? Emori hercle satius est.

Bentl.: In' hinc mal. r. c. i. m., quemadmodum Plautus dixit Poen. 2, 1, 48: Malam crucem ibo potius etc. V.: I hinc in malam r. c. i. m. 39. Minus recte libri affirmate: irritor. 43. Libri vulgati κακομέτρως: I. vero ux. tu cedo. D. In j. a. B Berol.: Hem, in j. amb. Cedo est glossema. 44. V. nullis numeris: In jus? Enimvero si porro esse odiosi perg. Helmstad.: odiosi esse. Frib.: odio. Bentl. expunxit verba In jus? 56. Numeri Terentio parum digni. Legendum censeo: — ludificamini? Inepti vostra puerili sententia, h. e. Sententia vostra est inepti puerili (sententia). Verba puer. sent. et quae sequuntur usque ad 5, 10, 22. desunt in C Berol., amisso folio. Laceratum quoque proximum folium, quod incipit a verbis nam me. 57. Sic libri plurimi (etiam B Berol., nisi quod bis habet cape, Frib. Ascens.), quos expressit Bentl. V.: cedo, cape. 58. Sic B codex. Bentl.: quod modo ratum erat, inrit. est. V.: q. m. er. rat., id i. est. 62. Ita Bentl., neque aliter plerique vett., in his A Berol. V.: hoc tantum. 63. suavius est MS. Brunian., probante Palmerio Lamp. Gruter. 4. p. 853.

Animo virili praesentique ut sis, para.
Vides tuum peccatum esse elatum foras,
Neque jam celare id posse te uxorem tuam:
Quod ipsa ex aliis auditura sit, Chreme, id
Nunc nosmet indicare placabilius est.
Tum hunc inpuratum poterimus nostro modo
Ulcisci. P. Attat, nisi mihi prospicio: haereo:
Hi gladiatorio animo ad me adfectant viam.
C. At vereor, ut placari possit. D. Bono animo es:
Ego redigam vos in gratiam, hoc fretus, Chreme,
Cum e medio excessit, unde haec suscepta est tibi.)
P. Itan' agitis mecum? Satis astute adgredimini:
Non hercle ex re istius me instigasti, Demipho.
Ain' tu? ubi, quae lubitum fuerit, peregre feceris,
Neque hujus sis veritus foeminae primariae,
Novo modo ei quin faceres contumeliam:
Venias mihi precibus lautum peccatum tuum?
Hisce illam ego dictis ita tibi incensam dabo,
Ut ne restinguas, lacrumis si exstillaveris.
D. Malum quod isti di deaeque omnes duint!
C. Tantane adfectum quemquam esse hominem audacia?
Non hoc publicitus scelus hinc deportarier
In solas terras? Sum redactus in id loci,
Ut, quid agam ex illo, nesciam prorsum. D. Ego scio:

65. Ita Bentl. ex libris plurimis. V.: delatum. 67. V., secundum Bembinum: Nunc quod ipsa ex al. auditura est, Chreme. Libri plurimi, in quibus A Berol. et Helmstad.: aud. sit. Sic etiam Bentl. 69. Male Ascens.: imparatum. 70. Ulcisci non eliditur propter interpunctionem, ut carere possimus Bentlejano Atattat. Vid. not. ad Andr. 2, 2, 8. 77. Ita Bemb. Bentl. V.: A. tu? ubi per. tibi quod lub. fuit, fec. Frib. quoque fueris. Quidam libri, in his B Berol. Guelf. Frib.: A. tu tandem? 79. V.: Quin novo m. ei f. c., quae vix ἔμμετρα dicantur. Bentl. satis habuit ponere eji. 80. Sic idem. Libri vett. alii Ven. nunc mihi prec., alii: V. mihi nunc pr., Guelf.: V. nunc pr. mihi. Vulgo: V. nunc pr. laut. p. t.? 83 — 86. Verba Malum — terras vulgo sub unius, Demiphonis, persona leguntur omnia, cum non ejusdem esse videatur primum precari malum quod (h. e. malum aliquod: perperam enim libri: Malum, quod etc.), dein eadem oratione malum certum, deportationem. Quamobrem verba Tantane terras tribuimus Chremeti, ad quem magis res pertinet, quam ad alterum senem. Ceterum integer versus 83. habetur Plaut. Most. 5, 1, 126, quem ob venustatem usurpasse videtur Terentius. 86. Libri, invecto cretico pro iambo: In s. t.? in id red. sum l. 87. Ita Bentl. secundum 5 suos, similiterque A Berol. V.: quid agam cum illo. Porro Bentl. ex uno cod.: — illo, prorsus nesciam. A quoque et B Berol. et edd. vett.

In jus eamus. P. In jus? Huc, si quid lubet.
D. Adsequere ac retine, dum ego hinc servos evoco.
C. Enim solus nequeo: adcurre huc. P. Una injuria est
Tecum... D. Lege agito ergo. P. Altera est tecum, Chreme.
D. Rape hunc! P. Sic agitis? Voce enimvero est opus.
Nausistrata, exi! C. Os opprime! D. Inpurum vide,
Quantum valet. P. Nausistrata, inquam! C. Non taces?
P. Taceam? D. Nisi sequitur: pugnos in ventrem ingere,
Vel oculum exclude! P. Est, ubi vos ulciscar probe.

## ACTUS V. SCENA X.

NAUSISTRATA, CHREMES, PHORMIO, DEMIPHO.

N. Quis nominat me? C. Hem! N. Quid istuc turbae est, obsecro, i. s.
Mi vir? P. Ehem, quid nunc obstipuisti? N. Qui hic homo est?
Non mihi respondes? P. Hiccine ut respondeat,
Qui hercle, ubi sit, nescit? C. Cave quidquam isti creduas.
P. Abi, tange: si non totus friget, me enica.
C. Nihil est. N. Quid est, quod istic narrat? P. Jam scies:
Ausculta. C. Pergin' credere? N. Quid ego, obsecro,
Huic credam, qui nil dixit? P. Delirat miser
Timore. N. Non pol temere est, quod tu tam times.
C. Ego timeo? P. Recte sane. Quando nil times,
Et nihil est, quod ego narro: tu narra. D. Scelus,
Tibi narret? P. Ohe, tu! Factum est abs te sedulo

88. Huc, ad Chremetem. Non placet autem, alterum jus ita corripi, ut vix audiatur. Dederat fortasse poëta hoc: In jus eas. P. In jus? Huc, huc, si q. l. 89. Ita plerique libri, in his Guelf. Frib. Ascens. V.: d. ego huc ev., frequentius huc illato. 90. Sic A Berol. et probatiores codd. Donat. Bentl. Helmstad. Enimvero, quae est interpretatio. Ascensius, de metro perperam sollicitus: Solus enim. Vulgati libri nullis numeris: Etenim, quae est correctio Enim principio orationis non ferentium. 92. B codex: vocem opus, quasi librarius voluisset vocem (voce mihi) op. V. pravis numeris: enimv. voce est op. 96. Bemb.: exsculpe, quod nihil aliud est quam glossema. Cf. Plaut. Pseud. 1, 5, 95.

A. V. SC. X. 3. Libri impedito metro: H. ut tibi resp.? 6. V.: Quid ergo est? quid istic n.? Bentl. secundum aliquot libros: Q. ergo est, quod i. n. In B Berol. ergo non legitur. 7. Frib.: Q. ergo obs. 10. Ita Helmst. V., asperiore quidem metro: Egon'. 11. V.: Et hoc nihil est, quod ego dico, tu narra. Hoc si genuinum esset, non ita deproperandum fuisset. Narro Frib., quod concinnius quam dico. 12. Ita Bemb. et Helmstad. Minus apte legitur Eho tu. A Berol.: a te.

Pro fratre. N. Mi vir, non mihi dicis? C. At . . . N. Quid *at?*
C. Non opus est dicto. P. Tibi quidem; at scito huic opust.
In Lemno... C. Hem, quid agis? D. Non taces? P. Clam te... C. Hei mihi!
P. Uxorem duxit... N. Mi homo, di melius duint!
P. Sic factum est... N. Perii misera! P. Et inde filiam
Suscepit jam unam, dum tu dormis. C. Quid agimus?
N. Proh di inmortales, facinus miserandum et malum!
C. Hoc actum est! N. An quidquam hodie est factum indignius,
Qui mi, ubi ad uxores ventum est, tum fiunt senes?
Demipho, te adpello: nam me cum hoc ipso distaedet loqui. as. t. d. i. d.
Haecine erant itiones crebrae illae et mansiones diutinae
Lemni? haeccine erat ea, quae nostros minuebat fructus, vilitas?
D. Ego, Nausistrata, esse in hac re culpam meritum, non nego; t. t. c.

13. dicis Bemb. Bentl., quod respondet verbo dicto in sequentibus. V.: narras? 15. agis Bentl. ex 3 codd. V.: quid ais? 19. Ita Victorian. Vatican. Basilic. B Berol. Helmstad. Frib. Ascens. etc. V.: facinus indignum et malum. Sed statim sequitur indignius. 20. seqq. V. verba Hoc actum est, quae sunt desperantis, Phormioni nimis inepte tribuuntur. Bentl. autem, libris suis obtemperans, a quibus stant A Berol. et Frib., non multo aptius loqui haec facit Demiphonem. Imo Chremes dicit, idque pridem sensit Palmerius Lamp. Gruter. 4. p. 853, cui tamen, Hoc dolenti, non assentior. Haud melius rem gerere mihi videtur Bentl., cum sub Phormionis persona jubet legi verba An quidquam — senes? quae verba matronam Comicam non magis dedecent, quam Artemonae ista apud Plautum Asin. 5, 2, 20 seqq. Quid, quod scire non potuit parasitus, senem simulare Chremetem apud Nausistratam? Et illa ipsa proxima Demipho, te adpello — loqui argumento sunt, praecedentia dixisse mulierem, ut ipsius Demiphonis judicio vincat, nihil hoc facto mariti esse indignius. Nam de dictis versu 19. appellat deos, et verba Haeccine erant — vilitas jaciuntur in adulterum. 22. Frustra Bentl., dum non agnoscit metrum asynartetum, posuit codicis Reg. lectionem hanc: nam me cum isto dist. loqui. 23. V. illae non legitur. Bentl. secundum Donatum ad Eun. 3, 5, 34: Haec illae erant itiones cr. et mans. diut. Lemni? Sed dictum haecine itiones, ut haeccine vilitas, illudque ipsum versus sibi poscit. Conferendus, monente Bentlejo, Andr. 1, 1, 99. 24. Sic plane B et C Beroll., nisi quod et ibi et in Guelf. Helmstad. aliisque nonnullis libris pro vilitas perperam legitur utilitas. Ascens. quoque: quae minuebat nostr. fr. utilitas. V.: qu. nostr. fr. min. vil.? Bentl. secundum Bembinum: qu. nostr. minuit fructus vil., quam apparet esse correctionem metrici minus circumspecti. 25. meritum Bentl. secundum Bembinum. V.: meritam.

Sed eam, quae sit ignoscenda... P. Verba fiunt mortuo.
D. Nam neque negligentia tua neque odio id fecit tuo;
Vinolentus fere abhinc annos quindecim mulierculam
Eam compressit, unde haec nata est, neque postilla unquam attigit.
Ea mortem obiit, e medio abiit, qui fuit in re hac scrupulus.
Quamobrem te oro, ut alia facta tua sunt, aequo animo hoc feras.
N. Quid ego aequo animo? Cupio misera in hac re jam defungier;
Sed qui sperem? Aetate porro minus peccaturum putem?
Jam tum erat senex, senectus si verecundos facit.
An mea forma atque aetas mage nunc expetunda est, Demipho?
Quid mi hic adfers, quamobrem expectem aut sperem, porro non fore?
P. Exsequias Chremeti, quibus est commodum, ire hem! tempus est.
(Sic dabo! Age nunc, Phormionem, qui volet, lacessito:
Faxo eum tali mactatum, atque hic est, infortunio.
Redeat sane in gratiam: jam supplici satis est mihi;
Haec habet, ei quod, dum vivat, usque ad aurem obganniat.)
N. At merito hoc meo, credo. Quid ego nunc conmemorem, Demipho,

26. Sic libri plurimi, in his Helmstad. Ascens.: sed quae sit ignosc. Bentl. ex Bembino: Sed ea quin sit ign. (negare non poteris, seu: nemo negaverit.) Sed quorsum ista ἀποσιώπησις in sedata senis oratione? Verba fiunt mortuo, Νεκρῷ λέγεις εἰς οὖς. Proverbium de opera perdita. 30. qui f. in re h. scrup. Cf. 5, 9, 73. sequ. 31. Cod. Petrensis: tua sunt facta. Bentl.: tua s. f., aequo an. et hoc f. A Berol.: ut alia f. sunt, aequo an. haec f. 33. Ita Bentl. secundum cod. Regium Lindenbrogii. V.: Sed quid sperem? 34. Male Bentl.: Non jam tum — facit? 35. Ita B Berol., Bentl., nisi quod habent magis. V.: nunc magis. C Berol. expectanda pro expetunda, ut opinor. V.: expetenda. 36. Sic Bemb. Victorian. Guelf. Donat. Faërn. Bentl. B Berol. Frib.; Q. mihi affers, omisso nunc. A Berol.: Q. nunc mi affers. C: Q. nunc id fers. V.: Q. mihi nunc aff. 37. Ita Faërn. et Bentl. ex libris probatioribus, quibuscum faciunt A et C Beroll. et Guelf. V.: ire jam t. est. 39. Frib. Ascens.: F. tali sit mactatus etc., qui versus est asynart., qualis 22. Bentl. ex suo Regio: F. eum tali. V. F. tali eum. 41. V.: Habet haec. Sed primum de se Phormio, deinde dicit de muliere. Ergo rectius est Haec habet, quo facilius intelligitur, novam orationem institui. Bentl.: Habet h., ei. B et C Beroll.: obganniat. V.: oggänniat. 42. Ita Bentl. secundum Bembinum et suorum aliquot. V.: At meo merito, credo.

Singulatim, qualis ego in hunc fuerim? D. Novi aeque omnia
Tecum. N. Merito hoc meo videtur factum? D. Minume gentium;
Verum quando jam adcusando fieri infectum non potest,
Ignosce. Orat, confitetur, purgat: quid vis amplius?
P. Enimvero, priusquam haec dat veniam, mihi prospiciam et Phaedriae.
Heus, Nausistrata, priusquam huic respondes temere, audi. N. Quid est?
P. Ego minas triginta ab illo per fallaciam abstuli;
Eas dedi tuo gnato; is pro sua amica lenoni dedit.
C. Hem, quid ais? N. Adeon' indignum hoc tibi videtur, filius,
Homo adolescens, si habet unam amicam, tu uxores duas?
Nil pudere? quo ore illum objurgabis? Responde mihi.
D. Faciet, ut voles. N. Imo, ut meam jam scias sententiam,
Neque ego ignosco, neque promitto quidquam, neque respondeo,
Priusquam gnatum videro: ejus judicio permitto omnia;
Quod is jubebit, faciam. D. Mulier sapiens es, Nausistrata. i. t.
N. Satin' tibi est, Chreme? C. Imo vero pulchre discedo et probe,
Et praeter spem. N. Tu nomen dic tibi quod est. P. Min'? Phormio,
Vostrae familiae hercle amicus et tuo summus Phaedriae. t. t. c.
N. Phormio, at ego ecastor posthac tibi, quod potero et quae voles,
Faciamque et dicam. P. Benigne dicis. N. Pol meritum est tuum.
P. Vin' primum hodie facere, quod ego gaudeam, Nausistrata,
Et quod tuo viro oculi doleant? N. Cupio. P. Me ad coenam voca.
N. Pol voco vero. D. Eamus intro hinc. C. Fiat. Sed ubi est Phaedria,
Judex noster? P. Jam hic faxo aderit. CANTOR. Vos valete et plaudite.

56. videro Faërniani atque Bentlejani, item A Berol. et Ascens. V.: video. 58. Friget probe, postquam dictum est pulchre, quod illo est fortius. Legi non inepte posset Imo vero pulchre discedo, et prope Praeter spem, et quidem prope desperatis rebus. 59. V.: Et pr. sp. N. Tu tuum nomen dic quod est. Bentl. ex cod. Reg., numeris autem invenustis: Et praeter spem. N. Tu tibi nomen dic quod est. Tibi, ut Min'?

# P. TERENTI

# HECYRA.

ACTA LUDIS MEGALENS. SEX. JULIO CAES., CN. CORNELIO DOLABELLA AEDIL. CUR. NON EST PERACTA. MODOS FECIT FLACCUS CLAUDI TIBIIS PARIBUS. TOTA GRAECA MENANDRU EST. ACTA PRIMO SINE PROLOGO. DATA SECUNDO CN. OCTAVIO, T. MANLIO COSS. L. AEMILI PAULI LUDIS FUNERALIBUS. NON EST PLACITA. TERTIO RELATA EST Q. FULVIO, L. MARCIO, AEDILIBUS CURULIBUS. EGIT L. AMBIVIUS TURPIO. PLACUIT.

**Ludis Romanis Reg. et ceteri MSS. codd. Lindenbrogii, item nostri omnes et Frib.**

## PERSONAE.

PHILOTIS, meretrix.
SYRA, anus.
PARMENO, servus.
LACHES, senex.
SOSTRATA, matrona.
PHIDIPPUS, senex.
PAMPHILUS, adolescens.
MYRRHINA, matrona.
SOSIA, servus.
BACCHIS, meretrix.

## PERSONAE MUTAE.

PHILUMENA.
SCIRTUS, puer.

## C. SULPITII APOLLINARIS
### PERIOCHA IN HECYRAM.

---

Uxorem duxit Pamphilus Philumenam, i. s.
Cui quondam ignorans virgini vitium obtulit,
Cujusque, quem per vim detraxit, annulum
Dederat amicae Bacchidi meretriculae,
Dein est profectus in Imbrum, nuptam haud attigit.
Hanc mater utero gravidam, ne id sciat socrus,
Ut aegram ad sese transfert. Revenit Pamphilus;
Deprendit partum; celat; uxorem tamen
Recipere non volt. Pater incusat Bacchidis
Amorem. Dum se purgat Bacchis, annulum
Mater vitiatae forte agnoscit Myrrhina:
Uxorem recipit Pamphilus cum filio.

---

M. ANT. MURETI

# ARGUMENTUM.

Pamphilus, Lachetis e Sostrata uxore filius, Bacchidem meretricem deperibat. Is cum aliquando noctu ad eam temulentus iret: in Philumenam, Phidippi et Myrrhinae filiam, incidit, eamque in via per vim compressit, atque ita effugit, ut neque ipse eam, neque puella ipsum cognoscere potuerit. In illa autem lucta etiam anulum ei detraxit, eumque Bacchidi dono dedit. Paulo post pater eum, tum ut a meretricio amore averteret, tum ut praesidium suae senectuti pararet, ad uxorem ducendam perpulit. Contigit, ut ea ipsa uxor ei daretur, quam ipse coustupraverat; gaudente admodum puellae matre, quae, quia sola conscia erat filiam e stupro gravidam esse, quamprimum eam collocare properabat: ut, si forte post aliquot menses pareret, nuptiis, quemadmodum saepe fit, obtegeretur stuprum. Cecidit res longe aliter, ac putabatur: etenim Pamphilus, qui invitissimus adjecisset animum ad rem uxoriam, quique avellere se derepente a Bacchidis amore non posset, ita dormit cum uxore, ut eam ne attigerit quidem. Bacchis, quod ea viva nunquam se uxorem ducturum saepe ei promiserat Pamphilus, nonnullam sibi ab eo factam injuriam putans, multo ei minus quam solebat placida et obsequens esse coepit. Eo factum est, ut Pamphilus ei se paulatim subduxerit, quamque prius spernebat uxorem, ejus mirificum quendam amorem animo conceperit. Interea quiddam accidit, ut iter Pamphilo in Imbrum esset. Profecto eo Philumena, quae intumescere sibi uterum sentiret, cum aliorum, tum socrus inprimis suae conspectum refugiebat; tandem, cum in eo esset, ut celare vix posse amplius videretur, sumta occasione, per sacrificandi speciem ad matrem se, unam omnium rerum consciam, confert. Post dies compluscu🙂los mittit Sostrata, qui eam arcesserent. Respondetur,

*aegrotam esse. It, ut eam saltem viseret. Non admittitur. Laches accusare uxorem et dicere, haec omnia illius culpa contingere. Illa contra excusare se et culpam deprecari: nullius se rei consciam esse, cur sua consuetudo nurui odiosa esse debeat. Interea rediit Pamphilus, atque ita sors tulit, ut quo die ipse Athenas appulit, eo ipso Philumena partu levaretur. Cum igitur, videndi cupidus (aegrotare enim acceperat, et ita amabat, ut qui vehementissime), subito ad eam ingressus esset, peperisse deprehendit. Ibi eum Myrrhina exeuntem prosecuta, lacrumans, obtestari coepit, quando ea res nihil ipsi nocitura esset, ne reciperet quidem uxorem, si ita videretur, sed tamen ne famam illius proderet. Ita se facturum recipit. Cum igitur neque vellet uxorem recipere, neque rursum veram afferret caussam: suspicati sunt senes, eum Bacchidis adhuc amore impeditum, ea de causa ab uxore abhorrere. Arcessitam itaque Bacchidem objurgat Phidippus. Ea, cum se illi purgasset, jubetur ad mulieres ingredi et eis quoque illam suspicionem adimere. Ingreditur, anulum habens in digito, quem olim Philumenae ereptum sibi dederat Pamphilus. Is anulus effecit, ut, vitiatam esse ab ipso Pamphilo Philumenam, cognosceretur. Laetus Pamphilus et uxorem et filium recipit.*

---

# PROLOGUS.

---

Hecyra est huic nomen fabulae. Haec cum data I. 1.
Est nova: novum intervenit vitium et calamitas,
Ut neque spectari neque cognosci potuerit:

Prologi prioris versiculo primo in vulgatis libris additur est, quod ad sequentem versum refert Guyetus; et recte: vid. not. ad Adelph. 5, 4, 52. Fuit tamen, cum legendum existimarem: — data est, Novae novum int. v. et cal. Guyet. et Bentl.: fabulai; sed desidero exempla certa hujus formae genitivorum et dativorum apud Terentium, quae forma jam tunc abhorruisse videtur a sermone quotidiano. Vim interpunctionis ostendimus in nota ad Andr. 2, 2, 8. 2. Donat.: Vit. et calam. Bene secundum augures. Vitium enim est, si tonet tantum; vitium et calamitas, si tonet et grandinet simul [, et etiam fulminet.] 5. Guyet.: Spectari ad scenae apparatum, qui oculis percipitur, agnosci ad intellectum rerum, quae aguntur in scena, referendum.

Ita populus studio stupidus in funambulo
Animum occuparat. Nunc haec plane est pro nova;
Etsi is, qui scripsit, hanc eam ob rem noluit
Iterum referre, ut iterum posset vendere.
Alias cognostis ejus: quaeso hanc noscite.

## ALTER PROLOGUS.

Orator ad vos venio, ornatu prologi;
Sinite exorator sim: eodem ut jure uti senem
Liceat, quo jure sum usus adolescentior,
Novas qui exactas feci ut inveterascerent,
Ne cum poëta scriptura evanesceret.
In his, quas primum Caecili didici novas,
Partim sum earum exactus, partim vix steti.
Quia scibam, dubiam fortunam esse scenicam,
Spe incerta certum mihi laborem sustuli:
Easdem agere coepi, ut ab eodem alias discerem
Novas, studiose ne illum ab studio abducerem.

6. Libri: Et is, qui scripsit hanc, ob eam rem noluit etc. Donat.: „Id est: ob eam causam; quasi dicat, non iterum relata est sine causa. Cur ergo non post funambulum relata est, ubi ille cessarat? in quo maluit avarum poëtam populo introducere, quam suo operi diffidentem." Et P. Nannius Misc. 2, 13. Lamp. Gruter. 1, pp. 1253. sequ.: „Solent," inquit, „poëtae suas fabulas divendere histrionibus. (vid. alter. prolog. 49.) Quum ergo Terentius ob funambuli studium auditorio destitutus esset, noluit post ludos petauristae desertam fabulam denuo introduci, Quod ne factum videatur desperatione, qua denuo se explosum iri putaret: fingitur alia caussa, nimirum relationi isti non diffidentiam, sed avaritiam poëtae obstitisse: nam si tum peracta fuisset, pro nova iterum vendi non potuisset. Quodsi expectaret alios ludos, eamque de integro ederet, novam illi pecuniam sperare licere" etc. Mira profecto commendatio poëtae ab avaritia. Imo liberalis potius is videri voluerit simul et justus erga dominum gregis, cui denuo emendam offerre fabulam non actam, quis aequus in se admisisset? Igitur Terentius domino gregis iterum quidem agendam dedit Hecyram, sed gratis, utpote pridem venditam comoediam, sed non peractam; legendumque est Etsi is, qui scripsit, hanc eam ob rem noluit Iterum referre, ut iterum posset vendere; hanc eam ob rem pro eo quod est eam ob hanc rem, quam dicturus sum, hyperbato vere Terentiano, cum vulgo et minus eleganter et rudiore numero legatur Et is, qui scripsit hanc, | ob eam rem noluit etc.

Prol. posterior. v. 2. ita legitur in Beroll. Guelf. Frib. Ascens. Faërno Bentl. etc. Ἀμέτρως vulgati libri: ut sim. 9. sustuli, recepi in me, tanquam onus.

Perfeci, ut spectarentur. Ubi sunt cognitae,
Placitae sunt. Ita poëtam restitui in locum
Prope jam remotum injuria advorsarium
[Ab studio atque ab labore atque arte ab musica].
Quodsi scripturam sprevissem in praesentia, et
In deterrendo voluissem operam sumere,
Ut in otio esset, potius quam in negotio:
Deterruissem facile, ne alias scriberet.
Nunc, quid petam; mea causa aequo animo attendite.
Hecyram ad vos refero, quam mihi per silentium
Nunquam agere licitum est: ita eam oppressit calamitas.
Eam calamitatem vostra intelligentia
Sedabit, si erit adjutrix nostrae industriae.
Cum primum eam agere coepi: pugilum gloria,
Funambuli eodem accessit expectatio.
Comitum conventus, studium, clamor mulierum
Fecere, ut ante tempus exirem foras.
Vetere in nova coepi uti consuetudine,
In experiundo ut essem. Refero denuo:
Primo actu placeo: cum interea rumor venit,
Datum iri gladiatores. Populus convolat;

14. Verba uncis inclusa putidae sunt ταυτολογίαι, sublecta illa quidem partim in praegressis (9. 11.), partim in sequentibus (38), additaque ab iis, quibus remotum per se recte dici non videretur; cum loco intelligendum sit in eo verbo ἀπὸ κοινοῦ, quemadmodum loco movere, loco pellere et similia dicuntur. Quorum explicatorum alius adscripsit ab studio, alius ab labore, alius denique ab arte musica, accedensque versificator et copulas infersit, et metri causa dedit arte ab musica, quod in suis reperit Bentl., cum Berolinenses et Frib. adhuc servent priorem scripturam ab arte musica. 15. scripturam, fabulam Caecilii vel exactam, vel mediocri plausu exceptam. Bentl.: scriptorem, quo referantur verba deterrere, in otio esse, scribere. Sed scripturam dictum pro scripturam ejus, seu poëtae, Caecilii, de quo narratur; nec quidquam mutandum est. In praesentia. Donat.: Statim ut a populo ejiciebatur. 25. Frustra Bentl.: accedens, ut haec cum sequentibus in unam sententiam conjungantur; id quod fieri non est necesse. 26. Comitum conventus. Donat.: „Utrum eos comites dicit, qui sunt pugilum assectatores, an servos, qui dominos sequuntur?“ Prior explicatio magis placet; tamen vel sic inusitate dictum est comitum conventus. Quod pariter sentiens Bentl. tentabat Comiti (comitii) conventus. Equidem malim Hominum conventus. Hominum, virorum, quibus opponuntur mulieres. Similiter 32: Populus convolat. Mire autem Frib.: militum pro mulierum. 28. Idem liber: Veteri. 30. Suspicionem commovet acutum prima syllaba verbum interea. Fort.: interim, cum praesertim sequatur interea.

Tumultuantur, clamant, pugnant de loco.
Ego meum non potui interea tutari locum.
Nunc turba non est, otium et silentium est;
Agendi tempus mihi datum est; vobis datur
Potestas condecorandi ludos scenicos.
Nolite sinere, per vos artem musicam
Recidere ad paucos. Facite, ut vostra auctoritas
Auctoritati adjutrix meae fautrixque sit.
Si nunquam avare statui pretium arti meae,
Et eum esse quaestum in animum induxi maxumum,
Quam maxume servire vostris commodis:
Sinite impetrare me, qui in tutelam meam
Studium suum et se in vostram commisit fidem,
Ne eum circumventum inique iniqui inrideant.
Mea causa causam accipite et date silentium:
Ut lubeat scribere alias mihique ut discere
Novas expediat posthac, pretio emtas meo.

# ACTUS I.

## SCENA I.

### PHILOTIS, SYRA.

P. Per pol quam paucis reperias meretricibus — I. 1.
Fidelis evenire amatores, Syra.
Vel Pamphilus hic jurabat quoties Bacchidi

33. Κακομέτρως legitur: Ego interea meum non p. t. l. 34. Ita Bemb., Donat. Faërni, Bentl. V.: N. turba nulla est. 36. condecorandi, aliquid ad ludorum scenicorum decus atque gloriam conferendi aequitate vestra et plausu. 39. V.: Meae auct. fautrix adjutrixque sit, quo pacto et in unam syllabam contrahitur Meae, et praeterea eliditur, quod fieri non debet, praesertim verbo gravi. Atqui Eugraph.: meae auctoritati adjutrix fautrixque sit. 40 — 42. Hi versus etiam in prologo Heautontimorumeni leguntur, quos utrum ipse poëta huc transcripserit, an nescio quis male sedulus in margine positos inseruerit, non ausim dicere; nisi quod illinc non facile abesse possunt, hinc possunt. 47. Ita Bentl. V.: aliis.

Fabulae versu 1. Donat.: „Quam paucos. Quidam non paucos, sed paucis legunt. Sic enim Apollodorus [secundum Bentleji emendationem, qui probat paucis]: Ὀλίγαις ἐραστὴς γέγονε ἑταίραισιν, Σύρα, βέβαιος." V. paucos. Per pol quam pro Pol perquam, κατὰ τμῆσιν, ut monet idem scholiastes. 2. Praeter rem Bentl.: evenisse.

Quam sancte, ut quivis facile posset credere,
Nunquam illa viva ducturum uxorem domum.
Hem, duxit? S. Ergo te propterea sedulo
Et moneo, et hortor, ne te cujusquam misereas,
Quin spolies, mutiles, laceres, quemquem nacta sis.
P. Utin' eximium neminem habeam? S. Neminem:
Nam nemo illorum quisquam, scito, ad te venit,
Quin ita paret sese, abs te ut blanditiis suis
Quam minumo pretio suam voluptatem expleat.
Hiscine tu, amabo, non contra insidiabere?
P. Pol tamen eandem injurium est esse omnibus.
S. Injurium autem est ulcisci adversarios,
Aut qua via te captent, eadem ipsos capi?
Eheu, me miseram! cur non aut istaec mihi
Aetas et forma est, aut tibi haec sententia?

## ACTUS I. SCENA II.

### PARMENO, PHILOTIS, SYRA.

Pa. Senex si quaeret me, modo isse dicito
Ad portum, percontatum adventum Pamphili.
Audin', quid dicam, Scirte? si quaeret me, uti
Tum dicas; si non quaeret, nullus dixeris,
Alias ut uti possim causa hac integra.
Sed videon' ego Philotium? unde haec advenit?
Philotis, salve multum. Ph. O salve, Parmeno.
S. Salve mecastor, Parmeno. Pa. Et tu edepol, Syra.
Dic mihi, Philotis, ubi te oblectasti diu?
Ph. Minume equidem me oblectavi, quae cum milite
Corinthum hinc sum profecta inhumanissimo.
Biennium ibi perpetuum misera illum tuli.

7. Ita plerique libri, etiam Beroll. Guelf. Frib. Bentl. V. te non legitur. Bemb. Faërn.: ne cujusquam misereas. 8. quemquem 2 Bentlejani et Gledonius p. 1908. Putsch. Helmstad.: quemcunque, quae est explicatio. Bemb. A Berol. etc.: quemque, et sic Faërn. aliique. 11. Ἄμετρος quidam secundum Bemb.: se. 14. Libri et minus usitato et metro horridiore: Tamen pol. 16. Plerique codd., in quibus B et C Beroll. et Helmstad.: captent illi (A Berol.: ipsi); unde Bentl.: A. q. v. captent te illi, verbo via μονοσυλλάβως pronuntiato, quod durum. C Berol. non habet te. Sed illi procul dubio est glossema. 17. Frib. Heu, pro Heu heu, nisi fallor, sicut similia similibus fraudi esse solent in libris.

A. I. SC. II. 7. B Berol.: salve, Parm. 9. Ἄμετρος legitur tam diu. Tam est glossema. 10. A Berol.: quidem.

Pa. Edepol te desiderium Athenarum arbitror,
Philotium, cepisse saepe et te tuum
Consilium contemsisse. Ph. Non dici potest,
Quam cupida eram huc redeundi, abeundi a milite,
Vosque hic videndi, antiqua ut consuetudine
Agitarem inter vos libere convivium.
Nam illi haud licebat, nisi praefinito, loqui,
Quae illi placerent. Pa. Haud opinor commode
Finem statuisse orationi militem.
Ph. Sed quid hoc negoti est, modo quae narravit mihi
Hic intus Bacchis? quod ego nunquam credidi
Fore, ut ille hac viva posset animum inducere,
Uxorem habere. Pa. Habere autem? Ph. Eho, tu, an
non habet?
Pa. Habet; sed firmae vereor ut sint nuptiae.
Ph. Ita di deaeque faxint, si in rem est Bacchidis.
Sed qui istuc credam ita esse? Dic mihi, Parmeno.
Pa. Non est opus prolato: hoc percontarier
Desiste. Ph. Nempe ea causa, ut ne id fiat palam?
Ita me di amabunt, haud propterea te rogo, hoc
Ut proferam, sed tacita ut mecum gaudeam.
Pa. Nunquam tam dices commode, ut tergum meum
Tuam in fidem committam. Ph. Ah, novi, Parmeno.

19. nisi — plac. Ut neque, quantum velles, neque, quod velles, diceres. Donat. 21. Helmstad.: militem tuae. Frib.: orat. tue. Glossema. 22. Guyeti 3 codd. et Guelf.: modo quod n. m. Helmstad.: modo quod hec n. m. Quam scripturam notans haud dubie Donatus: „Quae," inquit, „legendum est: ut sit qualia et quanta." Ceterum quae pro quod dictum πρὸς τὸ σημαινόμενον. 26. V.: sed firmae hae v. ut s. n., durissima quidem synaloephe. E Berol.: sed firmae ver. ut non sint n. Adscriptum a glossatore est pronomen. 28. Bentl.: Sed, qui i. cr. ita esse, dic mihi, P. 29. hoc, propter hoc. 30. Nempe — palam? Vulgo haec affirmate. 31. Sic Donat. Bentl. Plerique libri, in his Beroll. Guelf. Frib. Ascens.: I. me dii bene ament. Bemb. et Donat. Faërni: I. me dii ament. Ἀμέτρως recentiores: I. me di bene amabunt. C Berol.: I. dii me bene amabunt. Frib.: dij deeque. An igitur sic legendum est:

*Ita me di deaeque amabunt, haut hoc te rogo,*
*Ut proferam, sed* etc.

hoc, propter hoc, cujus glossema fuerit vulgatum propterea. 32. Κακομέτρως legitur: Ut hoc prof., sed ut tac. mec. gaud. 34. V.: Ah, noli, Parmeno, h. e.: noli tergum tuum in fidem meam committere hoc narrando. At narrari id cupit mulier; ergo genuinum esse nequit noli. Atqui Donat.: Artificiose se fingit audire nolle etc. Reperit is igitur in suis exemplaribus nolo, nolo amplius dicere, tibique hoc suadere. Quod

Quasi non tu malis mala narrare hoc mihi,
Quam ego, quae percontor, scire. Pa. Vera haec praedicat:
Et vitium mi illud maxumum est. Si mihi fidem
Das, te tacituram dicam. Ph. Ad ingenium redis.
Fidem do: loquere. Pa. Ausculta. Ph. Istic sum. Pa. Hanc
Bacchidem
Amabat, ut cum maxume, tum Pamphilus:
Cum pater, uxorem ut ducat, orare occipit
Et haec, communia omnium quae sunt patrum,
*Senem sese esse, dicere, illum autem unicum:*
*Praesidium velle se senectuti suae.*
Primo ille se negare; sed postquam acrius
Pater instat, fecit, animi ut incertus foret,
Pudorin' anne amori obsequeretur magis.
Tundendo atque odio denique effecit senex,
Despondit gnatam ei vicini hujus proxumi.
Usque illud visum est Pamphilo ne utiquam grave,
Donec jam in ipsis nuptiis, postquam videt
Paratas, nec moram ullam, quin ducat, dari:
Ibi demum ita aegre tulit, ut ipsam Bacchidem,
Si adesset, credo ibi ejus conmiseresceret.
Ubicumque datum erat spatium solitudinis,
Ut conloqui mecum una posset: *Parmeno,*
*Perii! quid ego egi? in quod me conjeci malum?*
*Non potero ferre hoc, Parmeno. Perii miser!*
Ph. At te di deaeque perdant cum isto odio, Laches!
Pa. Ad pauca ut redeam, uxorem deducit domum.
Nocte illa prima virginem non attigit;
Quae consecuta est nox eam, nihilo magis.
Ph. Quid ais? cum virgine una adolescens cubuerit

paulo melius. Sed verum haud dubie novi, quod est tepide nec sine εἰρωνείᾳ concedentis approbantisque, ut Phorm. 4, 4, 13. Scriptum forte nobi pro novi sic videtur degenerasse. Nam b et v litterae propter soni similitudinem, b autem et l propter figurae, passim commutatae inter se deprehenduntur in codd. Cf. 2, 1, 10. 43. Multi codd., in his A et B Beroll. Guelf. Helmstad. Frib.: esse unicum, quos temere sequitur Bentl. 58. Sic Bentl. ex suis; neque aliter B et C Beroll., nisi quod habent haec. Ascens. quoque: ferre hoc. V.: hoc ferre, quod minus numerosum. 59. Sic Beroll., nisi quod in A legitur: Atque di. Vulgati libri nullis numeris: At te di d. perduint c. istoc od., L. Perduint etiam Donat. Frib.: At te di d. omnes perduint c. istoc od. hodie, L. Bentl.: At te di deaeque cum tuo istoc od., L. Sed unde istud tuo? 62. eam, eam primam noctem scilicet. Donat. 63. cubuerit, ita cubuerit, ut sese illac abst. pot.?

Plus potuit, sese illac abstinere ut potuerit?
Non verisimile dicis, neque verum arbitror.
Pa. Credo ita videri tibi, nam nemo ad te venit,
Nisi cupiens; ille invitus illam duxerat.
Ph. Quid deinde fit? Pa. Diebus sane pauculis
Post Pamphilus me solum seducit foras,
Narratque, ut virgo ab se integra etiam tum siet;
Seque ante, quam eam uxorem duxisset domum,
Sperasse eas tolerare posse nuptias;
*Sed quam decrerim me non posse diutius*
*Habere, eam ludibrio haberi, Parmeno,*
*Quin integram itidem reddam, ut accepi a suis,*
*Neque honestum mihi neque utile ipsi virgini est.*
Ph. Pium ac pudicum ingenium narras Pamphili.
Pa. *Hoc ego proferre incommodum mi esse arbitror;*
*Reddi patri autem, cui tu nil dicas viti,*
*Superbum est. Sed eam spero, ubi hoc cognoverit,*
*Non posse se mecum esse, abituram denique.*
Ph. Quid? interea ibatne ad Bacchidem? Pa. Quotidie;
Sed, ut fit, postquam hunc alienum ab sese videt,
Maligna multum et mage procax facta illico est.
Ph. Non edepol mirum. Pa. Atqui ea res multo maxume
Disjunxit illum ab illa. Postquam et ipse se,
Et illam, et hanc, quae domi erat, cognovit satis,
Ad exemplum earum mores ambarum aestumans
(Haec, ita uti liberali esse ingenio decet,
Pudens, modesta, incommoda atque injurias
Viri omnis ferre et tegere contumelias):
Hic animus partim uxoris misericordia
Devictus, partim victus hujus injuriis,

65. neque, ut Bentl., etiam A et C Beroll. Guelf. Ascens. V.: nec. 67. Ita Guyet. V.: cupiens tui. Sed te potius intelligendum ἀπὸ κοινοῦ. Cf. Horat. Epist. 1, 6, 10. etc. 69. Helmstad. Frib.: solum me. 77. Frib. Ascens.: P. et pud. 80. Libri minus ἐμμέτρως: illam. 82. V.: Quid interea? quasi generatim quaerat mulier, quid interea factum fuerit, cum de sola Bacchide scire ejus intersit. Quid? τί δέ; 84. Soloece libri: multo. Nam non ferendum est hyperbaton multo magis maligna et pr. f. i. e. Bentl.: Mal. magis et mag. pr. f. i. e. 86. Reg. codex Guyeti Dijunxit, quod ipsi placet, tanquam rarius. 88. V. numeris durissimis: Ad ex amb. mores earum existumans. Saepe confusa aestimare et existimare. 89. Haec, hera minor. Notus pronominis ejus usus in familiaribus et vicinis. Bentl.: lib. atque ingenuae decet. 92. Hic, ibi, tum. Male libri inde a versu 86.: — illa: postquam — existumans. Haec — contumelias. Hic etc. 93. Ita Donat. Guelf.

Paulatim elapsus Bacchidi, atque huc transtulit
Amorem, postquam par ingenium nactus est.
Interea in Imbro moritur cognatus senex
Horumce; ad hos redibat lege hereditas:
Eo amantem invitum Pamphilum extrudit pater.
Reliquit hic cum matre uxorem: nam senex
Rus abdidit se, huc raro in urbem conmeat.
Ph. Quid adhuc habent infirmitatis nuptiae?
Pa. Nunc audies. Primum dies complusculos
Bene convenibat sane inter eas; interim
Miris modis odisse adolescens Sostratam,
Neque lites ullae inter eas, postulatio
Nunquam. Ph. Quid igitur? Pa. Si quando ad eam accesserat
Confabulatum: fugere e conspectu illico,
Videre nolle. Denique, ubi non quit pati:
Simulat se ad matrem arcessi ad rem divinam. Ubi
Dies illi est compluris: arcessi *haec* jubet.

et recentiores edd. Major pars codicum MSS., in his ceteri nostri praeter B Berol., in quo rasum est hoc loco, item Frib. Ascens. Muret. Bentl. injuria. Sed minus placet homoeoteleuton. 96. Imbrus insula, sita in mari Aegeo, non minus quam vicinae Lemnus et Samothrace, celebris fuit Cabirorum mysteriis, et Mercurio inprimis sacra. Cf. interpp. ad Plin. Hist. nat. 4, 12, Pausan. Boeot. c. 25. etc. 97. Ita Beroll., nisi quod omnes habent Horum, ut Donat. Frib., et A: ad eos. Bemb.: ad hos ea red. l. h. et alii 2: rediit; quos libros secutus Bentl. edidit: Horunce; ad hos ea rediit l. h. V.: H.: ea ad hos redibat l. h. 99. Ita Bentlejani Beroll. Ascens. Bentl. V.: Relinquit. 100. Plerique codd., in his Beroll. et Guelf.: sese; unde Bentl.: Rus abdit sese. 102. Primum Beroll. Frib. Ascens. V.: Primo. Male autem acuitur verbi posterior syllaba: quare non invitus legerim in dies, cum praesertim m littera finalis non semel offecerit huic praepositioni. Bentl.: Primo hos dies. 104. V.: M. m. odisse coepit Sostr. Sed Cledonius p. 1915. Putsch.: Miris modis odisse ajunt adolescentem Sostratam, quem locum Bentl. laudans adolescens scribendum esse suspicatur pro coepit, quod sapit glossema. Cf., ipso monente, 4, 5, 39. Eam suspicionem augent codd. A Beroll. et Helmstad., quorum ille: Miris modis Philomena od. c. S., hic: Miris Philomena modis od. c. S., quae explicatio esse videtur verbi adolescens. Sane dicendum erat, quis odisse anum coepisset. 108. pati, καρτερεῖν, durare in domo socrus. Guyet. 109. sequ.:

— — — *divinam: abiit.* (Bentl.: abit.)
*Ubi illic dies est compluris, arcessi jubet,*

verbi illic priore syllaba correpta et τῷ dies contracto in μονοσύλλαβον, quod durissimum. Nimirum glossema est abiit. Illi pro illic passim veteres. Haec additum perspicuitatis causa.

Dixére causam nescio quam. Iterum jubet;
Nemo remisit. Postquam accersit saepius:
Aegram esse simulant mulierem. Nostra illico
It visere ad eam; admisit nemo. Hoc ubi senex
Rescivit: heri ea causa rure huc advenit,
Patrem continuo convenit Philumenae.
Quid egerint inter se, nondum etiam scio;
Nisi sane curae est, quorsum eventurum hoc siet.
Habes omnem rem: pergam, quo coepi hoc iter.
PH. Et quidem ego: nam constitui cum quodam hospite,
Me esse illum conventuram. PA. Di vortant bene,
Quod agas. PH. Vale. PA. Et tu bene vale, Philotium.

# ACTUS II.

## SCENA I.

### LACHES, SOSTRATA.

L. Proh deum fidem, quod genus hoc est? ecquae haec est conjuratio,
Ut omnes mulieres eadem aeque studeant nolintque omnia,
Neque declinatam quidquam ab aliarum ingenio ullam reperias?
Itaque adeo uno socrus omnes nurus animo oderunt, viris

1. t. ... as. t. d. i. d.

111. Ita Bentl. V.: caus. tum nesc. C Berol.: tunc, caus. 112. accersit Bentl. secundum codd. aliquot, in quibus invenit accessivit. A et C Berol.: accersivit, B: accerserunt. Frib.: accersint. Ipsum arcessit legebatur in duobus Britanni codd. V.: arcessunt.

A. II. SC. I, 1. V.: Pr. d. atque hominum fidem, quod hoc genus est, quae haec est conj.? quae verba qui in modum iambici tetram. redigi posse putant, operam et oleum perdunt. A mala manu adscriptum est atque hominum, sicut Andr. 1, 5. 2. Hoc primum. Deinde B Berol. Helmstad. Frib.: et quae, h. e. ecquae, qua scriptura restituta intelligitur, rectum esse Ut sequente versu, neque ponendum Utne, quod, a Bentlejo substitutum pro ἀμέτρῳ Utin Bembini et Victoriani, habet Guelf.; sed legendum uno tenore: ecquae haec est conjuratio, ut omnes mulieres eadem aeque studeant etc.? 4. Hic versus vulgo sic se habet, vocabulo viris relato ad sequentem: Itaque adeo uno animo omnes socrus oderunt nurus. Pedem deficientem non ferens Bentl. et ambigua haec nec bene ex se nexa existimans deletum it versum sanissimum, et sequente scribit pro arbitrio Viris advorsari aeque st. est.

Esse advorsas aeque studium est; consimilis pertinacia est,
In eodemque omnes mihi videntur ludo doctae ad malitiam. i. t.
Ei ludo, si ullus est, magistram hanc esse satis certo scio.
S. Me miseram, quae nunc, quamobrem adcuser, nescio. L. Hem, i. s.
Tu nescis? Non. S. Ita me di bene ament, mi Laches,
Itaque una inter nos agere aetatem liceat... L. Di mala prohibeant! i. t.
S. Meque abs te inmerito esse adcusatam, postmodo resciscces. L. Scio!
*Te inmerito?* An quidquam pro istis factis dignum te dici potest,
Quae me et te et familiam dedecoras, filio luctum paras,
Tum autem ex amicis inimici, ut sint nobis adfines facis,
Qui illum decrerunt dignum, suos cui liberos committerent.
Tu sola exorere, quae perturbes haec tua inprudentia.
S. Egone? L. Tu, inquam, mulier, quae me omnino lapidem, haud hominem, putas. as. t. d. i. d.
An, quia ruri crebro soleo esse, nescire arbitramini,
Quo quisque pacto hic vitam vostrorum exigat? i. s.
Multo melius, hic quae fiunt, quam illic, ubi sum adsidue, scio. as. t. d. i. d.
Ideo quia, uti vos domi eritis mihi, proinde ego ero fama foris.
Jampridem equidem audivi, cepisse odium tui Philumenam
(Minumeque adeo mirum, et, ni id fecisset, mage mirum foret); t. t. c.
Sed non credidi adeo, ut etiam totam hanc odisset domum.

5. Ita Guelf. V: similis, quae est interpretatio verbi rarioris, quod asynarteto convenit. 7. Bentl.: si ulla sit. 9. V. Non Sostratae tribuitur. Quo offensus Bentl. delevit voculam, posuitque Tu nescias, quae antecedenti versui adjungit, ut item ille sit iamb. tetram., hic autem iamb. dim. Sed his omnibus machinis jam potest careri. 13. Ita Bentl. Zeun. etc. Faërn. ex Bembino: fam. omnem ded., quod ἄμετρον. 16. Bentl. ex 5 codd.: imprudentia. Sic etiam A Berol. et Frib. V.: impudentia. 17. haud hom. bis Donatus, neque vulgatum non hom. admittit versus asynartetus. A Berol. et Frib. Ah egone. B: A exorrere egone, quod et in alio vet. libro invenit Palmer. Lamp. Gruter. 4. p. 731. Bentl., iambicum tetram. effingens: Egon'? L. Tu, inquam, utroque pronomine deproperato. 20. Muret. Bentl.: illi, ut versus fiat troch. tetram. cat. 21. Ἀμέτρως legitur: ut vos mihi domi eritis. Bentl. secundum unum cod.: domi mihi eritis. Sed ne hic quidem versus est merus trochaïcus.

Quod si scissem: illa hic maneret potius, tu hinc isses foras.
At vide, quam inmerito aegritudo haec oritur mi abs te, Sostrata.
Rus habitatum abii, concedens vobis et re serviens,
Meo labori haud parcens praeter aequum atque aetatem meam:
Sumtus vostros otiumque ut nostra res posset pati.
Non te pro his curasse rebus, ne quid aegre esset mihi?
S. Non mea opera neque pol culpa evenit. L. Imo maxume. i. t.
Sola hic fuisti: in te omnis haeret culpa sola, Sostrata.
Quae hic erant, curares, cum ego vos solvi curis ceteris. t. t. c.
Cum puella anum suscepisse inimicitias non pudet?
Illius dices culpa factum. S. Haud equidem dico, mi Laches.
L. Gaudeo, ita me di ament, gnati causa; nam de te quidem
Satis scio peccando fieri detrimenti nil potest.
S. Qui scis, an ea causa, mi vir, me odisse adsimulaverit,
Ut cum matre plus una esset? L. Quid ais? non signi hoc sat est,
Quod heri nemo voluit visentem ad eam te intro admittere?
S. Enim lassam oppido tum esse aibant: eo ad eam non admissa sum. i. t.
L. Tuos esse illi ad morbum mores mage quam ullam aliam rem arbitror;
Et merito adeo: nam vostrarum nulla est, quin gnatum velit t. t. c.
Ducere uxorem; et, quae vobis placita conditio, est, datur;

28. Hoc loco versum ponit Guyetus, qui versus vulgo numeratur 39. Sic aptius haec cohaerent. 29. otiumque. Vitam urbanam. Vel quod nihil acquiritis. Ut in Adelphis (1, 1, 17): Hanc ego clementem vitam urbanam atque otium Secutus sum. Donat. 33. A Berol.: a curis. Bentl.: curis solvi cet. 36. Guyet.: Id est, gaudeo, quod talem uxorem habeat filius, quam nec inimica socrus accusare possit. Nam de te quidem, id est, nam quod ad te attinet, peccando detrimenti nihil fieri potest. Subintell. tibi; i. e. jam talis es, ut peccando pejor fieri non possis. Gallice dicitur: tu n'es pas en age d'amender. 39. Sic vett., in his C. Berol., Faërn. Bentl. V.: una plus. 42. V.: T. esse illi mores morbum magis etc. Sed A Berol.: Te e. illi mores ad morbum mag. quam ad ullam etc. Durissime Bentl. secundum Bembinum: T. esse ego illi etc. 44. Fort.: uxorem, et, quae v. p. est c., dari. Frib.: plac. cond. est. V.: plac. est cond. Guelf.: cond. et lex.

Ubi duxere impulsu vostro, vostro impulsu easdem exigunt.

## ACTUS II. SCENA II.

### PHIDIPPUS, LACHES, SOSTRATA.

P. Etsi scio ego, Philumena, meum jus esse, ut te cogam, i. t. c.
Quae ego imperem, facere: ego tamen patrio animo victus faciam,
Ut tibi concedam, neque tuae lubidini advorsabor.
L. (Atque eccum Phidippum optume video: hinc jam scibo, quid siet.) i. t.
Phidippe, etsi ego meis me omnibus scio esse adprime obsequentem; i. t. c.
Sed non adeo, ut mea facilitas corrumpat illorum animos.
Quod tu si idem faceres, mage in rem vostram et nostram id esset.
Nunc video in illarum esse te potestate. Ph. Heja vero!
L. Adii te heri de filia. Ut veni, itidem incertum amisti.
Haud ita decet, si hanc esse vis perpetuam adfinitatem,
Celare te iras. Si quid est peccatum a nobis: profer.
Aut ea refellendo, aut purgando vobis corrigemus,
Te judice ipso. Sin ea est retinendi causa apud vos,
Quia aegra est, te mi injuriam facere arbitror, Phidippe,
Si metuis, satis ut meae domi curetur diligenter.
At, ita me di ament, haud tibi hoc concedo, etsi illi pater es,
Ut tu illam salvam mage velis. Id adeo gnati causa,

A. II. SC. II, 3. Donat.: „Libido est quaelibet voluntas temere suscepta. — est enim non aequum, domo mariti abesse nuptam. Etsi enim pro voluntate posuit libidinem, tamen subaccusavit hoc nomine.“ Minus recte Guyet.: Libidini est voluntati. Sallust, Catilinario bello (7): Magisque in decoris armis et militaribus equis quam in scortis libidinem habebant. 5. Bentl., non ferens ἀνακόλουθον: et ego meis. 7. Bentlejani codd. et A Berol.: in rem vostr. et nostr., quod merito placuit critico Britanno, tanquam civilius vulgato in rem nostram et vestr. 10. V.: si perp. vis esse affin. hanc. Bentl. praeter necessitatem: si perpetem hanc vis esse adfin. 12. Frustra idem, metrum causatus, quod ferri potest in vulgata lectione, posuit: A. ea ref. tibi aut purg. corr. Non semper in hujusmodi versibus incisionem fieri post pedem quartum, indicio sunt Phorm. 4, 6, 26; 5, 1, 5; 5, 3, 11 etc. 17. V.: — velis, quam ego. Recte glossema κακόμετρον expunctum est a Bentlejo.

Quem ego intellexi illam haud minus quem se ipsum magni facere;
Neque adeo clam me est, quin eum graviter laturum credam,
Hoc si rescierit. Eo domum studeo hanc priusquam ille huc redeat.
PH. Laches, et diligentiam vostram et benignitatem
Novi, et, quae dicis, omnia esse, ut dicis, animum induco;
Et te hoc mihi cupio credere: illam ad vos redire studeo,
Si facere possim ullo modo. L. Quae res te id facere prohibet?
Eho, numquidnam adcusat virum? P. Minume: nam postquam attendi
Magis et vi coepi cogere ut rediret: sancte adjurat,
*Non posse apud vos Pamphilo se absente perdurare.*
Aliud fortasse aliis viti est; ego sum animo leni natus:
Non possum advorsari meis. L. Hem, Sostrata! S. Heu me miseram!
L. Certumne est istuc? P. Nunc quidem, ut videtur. Sed numquid vis?
Nam est, quod me transire ad forum jam oportet. L. Eo tecum una.

## ACTUS II. SCENA III.

### SOSTRATA.

Edepol nae nos sumus inique aeque omnes invisae viris t. t. c.
Propter paucas, quae omnes faciunt dignae ut videamur malo.
Nam, ita me di ament, quod me adcusat vir nunc, sum extra noxiam;

18. Ita liber vetus Lindenbrogii, 5 Bentleji, nostri praeter Guelf., Ascens., Bentl. Bemb. etc.: magnificare, quo verbo hic noster alibi non utitur. Alterum tamen pro glossemate habet Guyetus. Metro quidem non erat quod timeret Bentl.: vide 4, 5, 12. et Plautum non uno loco. 19. Inepte libri: N. a. cl. me est, quam esse eum gr. lat. cr. Bentl.: N. a. cl. te est, quam esse eum lat. grav. cr. N. ad. clam me est, neque tam sum nescius. Cf. 3, 6, 10, Andr. 1, 5, 52 etc., 20. V.: stud. haec pr. ille ut red. Vett. quaedam edd.: hanc (B Berol.: hoc); Bentleji MSS. Beroll. Guelf. Frib. Asceus.: huc red. Sequor Bentlejum. 30. Guelf.: nunc quidem ita vid.

A. II. SC. III, 1. Ita Bemb. Guelf. Faërn. Bentl. V.: sumus mulieres inique, inserto glossemate ἀμέτρῳ. Male omissum inique in Bentleji plurimis MSS. et nostris praeter Guelf., item in Frib. Ascens. etc., quod facinus puto esse metricorum male feriatorum.

Sed non facile est expurgatu: ita animum induxerunt, socrus
Omnis esse iniquas. Haud pol me quidem: nam nunquam secus
Habui illam, ac si ex me esset nata; nec, qui hoc mi eveniat, scio,
Nisi pol filium multimodis jam expeto ut redeat domum.

---

# ACTUS III.

## SCENA I.

### PAMPHILUS, PARMENO, MYRRHINA.

PAM. Nemini acerba ego plura credo esse ex amore homini unquam oblata, t. t.
Quam mihi. Heu me infelicem! hancne ego vitam parsi perdere? t. t. c.
Haccine causa ego eram tantopere cupidus redeundi domum?
Cui quanto fuerat praestabilius ubivis gentium agere aetatem, i. t. h.
Quam huc redire atque, haec ita esse, miserum me resciscere! t. t. c.
Nam nos omnes, quibus est alicunde aliquis objectus labos,

5. Donat.: „Haut p. me qu. Subaudiendum Scio esse, aut Novi esse, aut tale quid, secundum ἔλλειψιν, quae familiaris est his, qui secum loquuntur." 7. multimodis Bemb. Faërn. Bentl. Ἀμέτρως legitur multis modis. Expeto pro vulgato Expecto debetur Bentlejo.

A. III. SC. I, 2. Minus ἐμμέτρως libri: hancine. 4. Bentl.: Ah, quanto etc., et Ah praecedenti versui apposuit, ut hic scilicet fiat troch. tetram. Sed hoc studium metra exaequandi minime est δραματικὸν, neque hoc tantum loco Terentius usurpavit iambicum tetram. hypercat.: vid. not. ad Heaut. 5, 5, 1. 6. Τὸ σολοικοφανὲς fugiens Bentl. posuit scripturam unius codicum regiorum hanc Nam omnibus nobis, quibus etc. Ante etiam Guyetus conjecerat legendum esse Omnibus nam, quibus etc. Superscriptum in C Berol.: pro omnibus, et nos omissum in eo codice. Frib.: Nam nobis omnes. Seorsim accipienda verba Nam nos omnes pro eo, quod est Nam quod ad nos omnes attinet. Plaut. Rud. 4, 3, 23. Vidulum istum, cujusnam est, novi hominem ego jampridem. Et ita saepius Latini, Graecorum more, de quo vidd. grammatici. Donat.: Nam nos omnes, quibus est. Constat, hanc σύλληψιν esse: retulit enim lucro est non ad nos omnes, sed ad quibus est, alicunde etc.

Omne quod est interea tempus, priusquam id rescitum est, lucro est.
Par. At sic, citius qui te expedias his aerumnis, reperias.
Si non rediisses: haec irae factae essent multo ampliores; t. t.
Sed nunc adventum tuum ambas, Pamphile, scio reverituras;
Rem cognosces, iram expedies, rursum in gratiam restitues.
Levia sunt haec, quae pergravia tu esse in animum induxti tuum. as. t. d. i. d.
Pam. Quid consolare me? an quisquam usquam gentium est aeque miser? i. t.
Priusquam hanc uxorem duxi, habebam alibi animum amori deditum.
Jam in hac re, ut taceam, cuivis facile scitu est, quam fuerim miser;
Tamen nunquam ausus sum recusare eam, quam mi obtrudit pater.
Vix me illim abstraxi atque inpeditum in eo expedivi animum meum,
Vixque huc contuli: hem, nova res orta est, porro ab hac quae me abstrahat: as. t. d. i. d.
Tam matrem ex ea re me aut uxorem in culpa inventurum arbitror; i. t.
Quod cum ita invenero, quid restat, nisi porro ut fiam miser?
Nam matris ferre injurias me, Parmeno, pietas jubet;
Tum uxori obnoxius sum: ita olim suo me ingenio pertulit,
Tot meas injurias quae nunquam in ullo patefecit loco.
Sed magnum nescio quid necesse est evenisse, Parmeno,
Unde ira inter eas intercessit, quae tam permansit diu.
Par. Aut quidem hercle parvum, si vere veram rationem exsequi. as. t. d. i. d.

9. Ita Bentl. ex uno cod. V. nullis numeris: Si non redisses, hae irae. 12. Bentl. aliique, merum trochaïcum putantes hunc versum, omisere verbum haec. 17. [illegible] libri: illinc. Vide Mureti V. L. 12, 21, Scioppii Suspect. Lectt. 2, 21. et lexica. Bentl.: hinc; sed rectius illim et huc inter se opponuntur. Idem recte: in eo, cum libri vulgati habeant in ea. 18. V.: contuleram, turbata consecutione temporum verbalium. 19. Mendose libri: Tum matrem. Bentl.: Tum ea aut matrem. 20. V.: ita esse inven. Ascens.: esse ita inv. Adscriptum esse ab aliquo interprete; cum non eliditur propter ictum. 22. Putide libri: pertulit. Flor. 1, 10: (Porsenam) tanta admiratione perculit. 23. Tres Bentlejani Nunqu. ullo, neque aliter Frib. A Berol.: Nunqu. illo. C Berol. Guelf. Helmstad.: in nullo. Bentl.: nunquam nullo. 26. V.: Haut quidem, sicut h littera male addi solet a librariis. Rectissime Bentl. ex

Non maxumae, quae maxumae sunt interdum irae, injuriae i. t.
Faciunt; nam saepe est, quibus in rebus alius ne iratus quidem est,
Cum de eadem causa est iracundus factus inimicissumus.
Pueri inter se quam pro levibus noxiis iras gerunt! t. t. c.
Quapropter? Quia enim, qui eos gubernat animus, infirmum gerunt. i. t.
Itidem mulieres sunt ferme, ut pueri, levi sententia. as. t. d. i. d.
Fortasse unum aliquod verbum inter eas iram hanc concitaverit. i. t.
PAM. Abi, Parmeno, intro ac me venisse nuntia. PAR. Hem, quid hoc est? Tace!
Trepidari sentio, cursari rursum prorsum. PAM. Agedum, ad foris
Accedo propius. PAR. Hem, sensistin'? PAM. Noli fabularier.
Proh Jupiter, clamorem audivi! PAR. Tute loqueris, me vetas.
M. Tace, obsecro, mea gnata! PAM. Matris vox visa est Philumenae.
Nullus sum! PAR. Quidum? PAM. Perii! PAR. Quamobrem? PAM. Nescio quod magnum malum
Profecto, Parmeno, me celant. PAR. Uxorem *enim* Philumenam,

uno cod. Faërni: Aut qu. Porro libri: si vis vero veram rat. exs. Vere a sententia, sis requiritur a metro. Plaut.: Sis herum sospitari, Sis amanti subvenire. Cf. lexica v. Sis. Bentl. nimio conatu: si vis veram verba ad rat. exigi. Veram rat., veram causam, veritatem. 27. V.: N. maxumas — injurias. Correxit Bentl. 28, 29. Ordo est: nam saepe est, cum de eadem causa, quibus in rebus (hoc dictum πρὸς τὸ σημαινόμενον pro ob quam causam) alius ne ir. qu. est, irac. est fact. inimic. 30. V.: sese, verbo Pueri, quod gravissimum est, male exaudito. 32. Ita Faërn. Libri durissimis, vel potius nullis, numeris: It. illae mul. Glossema. 33. V.: hanc conciverit. Alias legi concitaverit, notatur in margine codicis C. Berol. Helmstad.: concrevit. Ascens.: iras has. Bentl. secundum Donatum, qui infinitivum reperisse hic videtur, et Gronovium Observatt. 3, 9, pag. 505: concivisse, ere. 34. V.: Tace legitur sub Pamphili persona. Sed non est, quod is tacere velit servum, qui narrare incipit rem novam et attentione haud indignam. Quare sequor Palmerium Lamp. Gruter. 4. p. 759. 35, 36. V.: PAM. Tace: Trep. — prorsum. PAR. Aged. ad f. Accede prop. hem, sens. Accede Bemb. C. Berol. Bentl. 37. audivi Bemb. Victorian. Bentl. V.: audio, quo versus corrumpitur. 40. Sic libri vett. praeter Bentleji unum, in quo legebatur celat. V.: celas. 40. V.: Uxorem Phil., pravo acuto vocabulo Uxorem. Litterae — em simili compendio τοῦ

Pavitare nescio quid, dixerunt; id si forte est, nescio.
PAM. Interii! cur id mihi non dixti? PAR. Quia non poteram una omnia.
PAM. Quid morbi est? PAR. Nescio. PAM. Quid? nemon' medicum adduxit? PAR. Nescio.
PAM. Cesso hinc ire intro, ut hoc quamprimum, quidquid est, certo sciam?
Quonam modo, Philumena mea, nunc te offendam adfectam? i. t. c.
Nam si periclum in te ullum inest, periisse me una haud dubium est.

## ACTUS III. SCENA II.

### PARMENO.

Non usus facto est mihi nunc hunc intro sequi; i. s.
Nam invisos omnis nos esse illis sentio.
Heri ipsam nemo voluit intro admittere.
Si forte morbus amplior factus siet
(Quod sane nolim, maxume causa mei):
Servom illico introisse dicent Sostratae;
Aliquid tulisse comminiscentur mali
Capiti atque aetati illorum, morbus qui auxerit;
Veniet hera in crimen, ego vero in magnum malum.

## ACTUS III. SCENA III.

### SOSTRATA, PARMENO.

S. Nescio quid jamdudum audio hic tumultuari misera: i. t. c.
Male metuo, ne Philumenae mage morbus adgravescat;

enim videntur offecisse, quod verbum non caret sua elegantia. Alioqui legi posset conjugem. Sed praestat alteram illam rationem sequi.

A. III. SC. II, 1. mihi. A et C Beroll.: me. 3. V.: Heri nemo vol. Sostratam intro adm. Sed heri posteriorem syllabam rectius producit. Quanquam alibi, Guyeto teste, legitur here. At C Berol.: Sostr. ipsam. Genuinum est Heri ipsam nemo vol. i. a. Ipsam, heram. Minus etiam placet hoc loco Sostratam propterea quod statim sequitur Sostratae. 5. Libri: max. heri causa mei. Utrius autem heri, majorisne an minoris? Scilicet in mei nescio quis ineptus intelligendum existimavit heri, idque adscripsit. Sostratae et sibi timet servulus, sed maxime, ut par est, sibimet ipsi. 8. auxerit vet. codex Palmerii Lamp. Gruter. 4. p. 869. V.: auctus sit, quod haud dubie est glossema. 9. Libri duriore numero: Hera in crim. ven.

Quod te, Aesculapi, et te, Salus, ne quid sit hujus, oro.
Nunc ad eam visam. PAR. Heus, Sostrata! S. Hem! PAR. Iterum istinc excludére.
S. Ehém, Parmeno, tune hic eras? Perii, quid faciam misera?
Non visam uxorem Pamphili, cum in proxumo hic sit aegra?
PAR. Num visas? Ne mittas quidem visendi causa quemquam:
Nam qui amat, cui odio ipsus est, bis facere stulte duco:
Laborem inanem ipsus capit, et illi molestiam adfert.
Tum filius tuus introiit videre, ut venit, quid agat:
S. Quid ais? an venit Pamphilus? PAR. Venit. S. Dis gratiam habeo.
Hem, istoc verbo animus mihi redit et cura ex corde excessit.
PAR. Jam ea te causa maxume nunc huc introire nolo:
Nam si remittent quidpiam Philumenae dolores:
Omnem rem narrabit, scio, continuo sola soli,
Quae inter vos intervenerint, unde ortum est initium irae.
Atque eccum video ipsum egredi. Quam est tristis!

A. III. SC. III, 4. Hem non liquescit propter interpunctionem. 7. V.: Non visas, nec etc. Guyet. et Bentl.: Non visas? ne etc. et ne quidem hic secundum Faërni et suos libros, quod rectissimum. Sed non visas? est visere jubentis, cum id facere Sostratam nolit servus. Saepius confusa non, num, nun: nam sic quoque scribitur pro utroque illorum in libris vett. Positum autem praesens pro futuro, quemadmodum Viso dicitur pro Visam etc. 9. inanem. Guelf.: in artem, pro inertem, ut videtur. 10. Sic fere meliores MSS. et edd. V.: T. autem fil., quae vix in metri modulum rediges. 12. V.: rediit, quod κακόμετρον, utpote cujus prima syllaba acuatur. C Berol. redit. Lege redit pro rediit, qua contractione nihil usitatius apud poëtas. Vid. not. ad Phorm. 1, 2, 5. 13. V.: Jam ea de causa. C Berol.: J. te et ea de causa. Frib.: J. ea te te c. Ascens.: ita ea te c. Recte, qui dederunt J. ea te causa: nam te pronomine opus est, ne ipse Parmeno videatur nolle ingredi domum Phidippi. 14. Ita plerique codd. Guyeti, Donat., Rufin. in libro de Metris, Ascens. etc. Bentl. ex aliis libris: Philumenam. Nostri quoque omnes MSS. et Frib.: philomenam, quod minus placet propter homoeoteleuton. 16. Ita Bentl. secundum Donatum, qui sic: „Quae inter vos int. Melius sic, quam si diceret Quae illi feceris." V.: intervenerit, quod metri quidem causa ferendum est, siquidem et saepe pro longis sunt –at –et –it syllabae verborum finales, et breves quoque fert genus hoc versuum iambicorum in caesura, quae fit post pedem quartum. 17. V.: Qu. trist. est. Helmstad. Bentl.: Qu. tr.

## ACTUS III. SCENA IV.

### SOSTRATA, PARMENO, PAMPHILUS.

S. O mi gnate! i. t. c.
PAM. Mea mater, salve. S. Gaudeo, venisse salvom. Salvan' Philumena est? PAM. Meliuscula est. S. Utinam istuc ita di faxint!
Quid tu igitur lacrumas, aut quid es tam tristis? PAM. Recte, mater.
S. Quid fuit tumulti? dic mihi. An dolor repente invasit?
PAM. Ita factum. S. Quid morbi est? PAM. Febris. S. Quotidiana? PAM. Ita ajunt.
I sodes intro; consequar jam te, mea mater. S. Fiat.
PAM. Tu pueris curre, Parmeno, obviam atque eis onera adjuta.
PAR. Quid? non sciunt ipsi viam, domum qua redeant? PAM. Cessas?

## ACTUS III. SCENA V.

### PAMPHILUS.

Nequeo mearum rerum initium ullum invenire idoneum, t. t. c.
Unde exordiar narrare, quae nec opinanti accidunt,
Partim quae perspexi his oculis, partim quae accepi auribus:
Qua me propter exanimatum citius eduxi foras.
Nam modo intro ut me corripui timidus, alio suspicans
Morbo me visurum adfectam, ac sensi esse, uxorem, hei mihi!
Postquam me adspexere ancillae advenisse: illico simul omnes t. t.
Laetae exclamant *Venit!* id quod me derepente adspexerant. as. t. d. i. d.

A. III. SC. IV, 9. B Berol. Helmst. Frib.: nesciunt. Bemb.: vaniant. B Berol.; PAM. Cessas? PAR. Minime.

A. III. SC. V, 1. A Berol.: principium, quo recepto in ordinem versus foret asynartetus ex eorum genere, qui constant trochaïco et iambico dimetris. 4. Frib. Ascens.: ocius, hiante versu. 5. Ita Bentl. secundum suos. Nostri praeter Guelf., item priscae edd. et quaedam aliae non male; N. modo intro me ut. V.: N. modo me intro ut corr. 7. simul non habent Bentleji Reg. in charta scriptus et Guelf. 8. Ita Bentleji MSS. A et C Berol. Frib., idque requirit versus asynartetus, quem non agnoscens Bentl. expunxit me, quo caret cod. G. Fabricii et B Berol. V.: repente.

Sed continuo voltum earum sensi inmutari omnium, t. t. c.
Quia tam incommode illis fors obtulerat adventum meum.
Una illarum interea propere praecucurrit, nuntians
Me venisse; ego ejus videndi cupidus recta consequor.
Postquam intro adveni, extemplo ejus morbum cognovi miser:
Nam neque, ut celari posset, tempus spatium ullum dabat;
Neque voce alia, ac res monebat, ipsa poterat conqueri.
Postquam adspexi, *O facinus indignum!* inquam et corripui illico:
Me inde lacrumans, incredibili re atque atroci percitus.
Mater consequitur, jam ut limen exirem; ad genua accidit,
Misere inlacrumans. Miseritum est. Profecto hoc sic est, ut puto:
Omnibus nobis ut res dant sese, ita magni atque humiles sumus.
Hanc habere orationem mecum principio institit:
*O mi Pamphile, abs te quamobrem haec abierit, causam vides:*
*Nam vitium est oblatum virgini olim ab nescio quo inprobo;*
*Nunc huc confugit, te atque alios partum ut celaret suum.*
Sed cum orata ejus reminiscor, nequeo quin lacrumem miser. i. t.
*Quaeque fors fortuna est*, inquit, *nobis quae te hodie obtulit*, t. t. c.
*Per eam te obsecramus ambae, si jus, si fas est, uti*
*Advorsa ejus per te tecta tacitaque apud omnis sient.*
*Si unquam erga te animo esse amico sensisti eam, mi Pamphile,*

10. Bentleji 2 veterrimi non illis, sed illuc. B Berol.: illuc. 13. Ita Bembin. Victor. Faërn. Bentl. V., nullis numeris: P. introii, ext. 17. Palmer. Lamp. Gruter. 4, p. 869: — illico, Ardens, lacrumans: „nam me," inquit, „abest non modo a scriptis, sed etiam excuso Argentinensi ex officina Gruningeri praeclare: id enim est magis e lingua lat. Ardens addidi e Moguntinensi, et id manifestum est verbis interpretis." Donat. vulgo: „Et corr. ill.] Ardens scilicet dolore." Sed videtur sane scribendum esse: Et. corr. ill. ardens.] Scil. dolore. Fort.: illico Ard. inde me, incred. Satis lacrimarum est hoc loco. 19. V.: Lacrumans misera. C Berol.: illacrimans. Donat.: „Lacr. mis.] Miserabiliter se habens." Fort.: Satagens misere, cui melius convenit explicatio Donati. 21. Guelf. Helmstad. vett. edd.: a princ. 25. Guelf.: comminiscor. Syllaba re- in remin. producenda est hoc loco, sicut passim. 27. Sic quidam codd. manu exarati, in his Beroll. et Guelf., Frib. Ascens. Faërn. Bentl. V.: obtestamur. 29. Frustra Bentl.: Si u. te erga an. e. am. sensti etc.

*Sine labore hanc gratiam te ut sibi des pro illa nunc rogat;*
*Ceterum de reducenda id facias, quod in rem sit tuam.* as. t. d. i. d.
*Parturire eam neque gravidam esse ex te solus conscius* t.t.c.
*(Nam ajunt tecum post duobus concubuisse mensibus;*
*Tum, postquam ad te venit, mensis agitur hic jam septimus).*
*Quod te scire, ipsa indicat res. Nunc, si potis est, Pamphile,*
*Maxume volo doque operam, ut clam partus eveniat patrem,* as. t. d. i. d.
*Atque adeo omnis. Sed si fieri non potest, quin sentiant:*
*Dicam, abortivum esse. Scio, nemini aliter suspectum fore,*
*Quin, quod verisimili est, ex te recte eum natum putent.* t. t. c.
*Continuo exponetur. Hic tibi nihil est quidquam incommodi,*
*Et illi miserae indigne factam injuriam contexeris.* i. t.
Pollicitus sum et servare certum est in eo, quod dixi, fidem;
Nam de reducenda, id vero ne utiquam honestum esse arbitror, t. t. c.
Nec faciam, etsi amor me graviter consuetudoque ejus tenet.
Lacrumo, quae posthac futura est vita, cum in mentem venit,
Solitudoque. O fortuna, ut nunquam es perpetuo data!
Sed jam prior amor me ad hanc rem exercitatum reddidit;
Quem ego tum consilio missum feci; item hunc operam dabo.

30. Sine lab., haud gravate. 31, 43. Fort.: reducendo. 32. Guelf.: de te. B et C Beroll. Helmstad. et vett. edd.: consc. es. Glossema. 33. Ita Bemb. Faërn. Sed Bentl. ex suis (neque aliter Beroll. Guelf. et vett. edd.): conc. eam. 35. Quod. Eam non ex te parturire. Frib. Ascens.: Q. te nosse. Ipsa ind. r. Quia contristatus corripuisti te foras. Donat. 36. Frib.: volo dare op. Fort.: dari. 37. Ita pars codicum, in his A et C Beroll. B et edd.: fieri id. Bentl., alios libros secutus: id fieri. Fieri prima syllaba producta legendum est, quam habet ancipitem. 38. Ita Frib. V. pravis, vel potius nullis, numeris: Dic. abortum esse. A Berol. non habet esse. 43. ne utiquam B Berol. Helmstad. Bentl. V. et hic et alibi, minus quidem recte: neutiquam. 44. Ita Bentl. ex suis, item A Berol. V.: me amor. 46. Male Guelf.: Sollicitudoque. Data Bentl., cum vulgo legatur bona. Donat.: „Ut n. perpetuo es bona. Legitur et data: nam et sic pro bona intelligitur necessario.“ Praeter necessitatem Bentl.: perpetua. A et C Beroll. Ascens. nunqu. es perp. bona. V.: perp. es. 48. V.: feci, idem nunc huic op. dabo. Nonnulli codd. cum cons. B Berol.: itidem nunc. A Berol.: huic nunc. MS. Reg. Lindenbrog.:

Adest cum pueris Parmeno; hunc minume est opus i. s.
In hac re adesse: nam olim soli credidi,
Ea me abstinuisse in principio, cum data est.
Vereor, si clamorem ejus hic crebro audiat,
Ne parturire intelligat: aliquo mihi est
Hinc ablegandus, dum parit Philumena.

## ACTUS III. SCENA VI.

### PARMENO, SOSIA, PAMPHILUS.

PAR. Ain' tu, tibi hoc incommodum evenisse iter? i. s.
S. Non hercle verbis, Parmeno, dici potest
Tantum, quam re ipsa navigare incommodum est.
PAR. Itane est? S. O fortunate, nescis quid mali
Praeterieris, qui nunquam es ingressus mare!
Nam alias ut mittam miserias, unam hanc vide:
Dies triginta, aut plus eo, in navi fui,
Cum interea semper mortem expectabam miser:
Ita usque advorsa tempestate usi sumus.
PAR. Odiosum. S. Haud clam me est. Denique hercle
aufugerim
Potius quam redeam, si eo mihi redeundum sciam.
PAR. Olim quidem te causae inpellebant leves,
Quod nunc minitare facere, ut faceres, Sosia.
Sed Pamphilum ipsum video stare ante ostium.
Ite intro; eo hunc adibo, si quid me velit.
Here, etiam tu hic stas? PAM. Equidem te expecto.
PAR. Quid est?
PAM. In arcem transcurso opus est. PAR. Cui homini?
PAM. Tibi.
PAR. In arcem? quid eo? PAM. Callidemidem hospitem

item nunc. Donat.: idem nunc op. huic d. Ineptum est huic, cum amori Philumenae operam dare nolit Pamphilus. Scriptum forte nunc pro hunc, quemadmodum h et n litteras commutari inter se constat. Hunc operam dabo dictum ellipsi vere Terentiana pro eo, quod est operam dabo ut hunc missum faciam. Bentl.: Quo ego eum cons. miss. feci, eodem huic op. d. 49. Ita Guyet. Immodulatum est, quod vulgo legitur, hoc: Adest Parm. cum pueris.

A. III. SC. VI, 4. Posidippus, monente Lindenbrogio: Ὁ μὴ πεπλευκὼς οὐδὲν ἑώρακεν κακόν. 11. sciam Beroll. Guelf. Frib. Ascens. Bentl. V.: siet. 16. Ἀμέτρως legitur: H., et tu nunc hic st.? PAM. Et quidem te etc. Nunc vagatur in libris, quod recte Bentl. expunxit. Ceterum minus bene scripsit: et quidem te expectans. Equidem Beroll. Donat. Guyet.

Myconium, qui mecum una vectust, conveni.
(Par. Perii! vovisse hunc dicam, si salvos domum
Rediisset unquam, ut me ambulando rumperet.)
Pam. Quid cessas? Par. Quid vis dicam? an conveniam modo?
Pam. Imo, quod constitui, hodie conventurum eum,
Non posse: ne me frustra illi expectet. Vola.
Par. At non novi hominis faciem. Pam. At faciam, ut noveris:
Magnus, rubicundus, crispus, crassus, caesius,
Cadaverosa facie. Par. (Di illum perduint!)
Quid, si non veniet? maneamne usque ad vesperum?
Pam. Maneto. Curre! Par. Non queo: ita defessus sum.
Pam. Ille abiit. Quid agam infelix? Prorsus nescio,
Quo pacto hoc celem, quod me oravit Myrrhina,
Suae gnatae partum: nam me miseret mulieris.
Quod potero, faciam; tamen ut pietatem colam:
Nam me parenti potius quam amori obsequi
Oportet. Attat, eccum Phidippum et patrem
Video. Horsum pergunt. Quid dicam hisce, incertus sum.

## ACTUS III. SCENA VII.

### LACHES, PHIDIPPUS, PAMPHILUS.

L. Dixtin' dudum, illam dixisse, *se expectare filium?* t. t. e.
Ph. Factum. L. Venisse ajunt. Redeat. Pa. Quid causae dicam patri, as. t. d. i. d. c.

20. Vovisse hunc dicam etc. More periclitantium in mari, ut monent scholiastae. Cf. 7. seqq. 21. rumperet. Non. Marcellus: defatigaret. Malim occideret. Martial. 12, 14: Quid te frena juvant temeraria? Saepius illis, Prisce, datum est, equitem rumpere quam leporem. Guyet. 23. Legitur contra metrum: me hodie. Nam quis Bentlejo obtemperet, versum ita dimetienti: Imo quod | const.? 24. Sic Faërn. Bentl. Libri itidem corrupto metro: illic. 26. Fort.: Magnust, vel sequente versu facie est, cum praesertim in Beroll. Guelf. aliisque plurimis libris legatur facies. Ridicule autem pugnantia dicit: nam neque idem rubicundus atque cadaverosa facie esse potest, et Myconii calvi habebantur, non crispi; quae tamen non animadvertit servus hebetior. Est autem Myconus insula ex Cycladibus. 27. Frustra Bentl.: Lentiginosa facie. 33. C Berol.: piet. matris colam. Glossema.

A. III. SC. VII, 2. Libri ὁμοιοτελεύτως: Quam causam dicam. Bentl.: Causae quid dicam. Sed non opus est verbis transpositis, si versum non pro mero trochaïco habeamus, sed pro asynarteto.

Quamobrem non reducam, nescio. L. Quem ego hic audivi loqui? as: t. d. i. d.
Pa. Certum obfirmare est viam me, quam decrevi persequi. t. t. c.
L. Ipsus est, de quo hic agebam tecum. Pa. Salve, mi pater.
L. Gnate mi, salve. Ph. Bene factum, te advenisse, Pamphile,
Et adeo, quod maxumum est, salvom atque validum. Pa. Creditur.
L. Advenis modo? Pa. Admodum. L. Cedo, quid reliquit Phania
Consobrinus noster? Pa. Sane hercle homo voluptati obsequens
Fuit, dum vixit; et qui sic sunt, haud multum heredem juvant; i. t.
Sibi vero hanc laudem relinquunt: *vixit, dum vixit, bene.*
L. Tum tu igitur nihil attulisti huc una plus sententia?
Pa. Quidquid est id, quod reliquit: profuit. L. Imo obfuit: t. t. c.
Nam illum vivom et salvom vellem. Ph. Inpune optare istuc licet:
Ille reviviscet jam nunquam: et tamen, utrum malis, scio.
L. Heri Philumenam ad se arcessi hic jussit. (Dic jussisse te.) i. t.
Ph. (Noli fodere.) Jussi. L. Sed eam jam remittet. Ph. Scilicet. t. t. c.
Pa. Omnem rem scio, ut sit gesta: adveniens modo audivi omnia. as. t. d. i. d.
L. At istos invidos di perdant, qui haec lubenter nuntiant! i. t.

3. Quem non liquescit propter ictum. 4. viam, quod attinet ad viam. Nisi legendum sit viâ, h. e. in via. Cic. ad Attic. 1, 11. circa med.: voluntas obstinatior et in hac iracundia obfirmatior. 5. hic 4 MSS. Guyeti, Guelf. Helmstad. vett. edd. aliaeque nonnullae. V.: hoc. Frib.: aiebam. 7. Sic nostri MSS., aliique vett., quos recte exprimit Bentl. V.: Atque adeo. 10. Guelf.: heredes. 12. Guyeti codd. 2 MSS.: Tun igitur. Ipse malit: Tute ig. In Apollodori septenario videri fuisse ουδὲν μιᾶς γνώμης πλέον. 13. profuit extrema syllaba longa pronuntiandum est, vel propter interpunctionem. Cf. not. ad 3, 3, 16. Κακομέτρως Bentl.: Immo vero obfuit. 14. Inpune, secure; sine metu, ne eveniat. 15. utrum. illum mortuum permanere, an reviviscere. Donat. 17. C. Berol. Helmstad. vett. edd.: N. fodere fatus. Glossema. 18. Sic libri vett., etiam nostri praeter Helmstadiensem. Frustra Bentl., dum purum putum trochaïcum sectatur, ex uno Regiorum codd.: adven. audivi modo. Proprie autem vett.: adven. aud. o. modo.

PA. Ego me scio cavisse, ne ulla merito contumelia t. t. c.
Fieri a vobis posset; idque si nunc memorare hic velim,
Quam fideli animo et benigno in illam et clementi fui,
Vere possum; nisi te ex ipsa haec mage velim resciscere:
Namque eo pacto maxume apud te meo erit ingenio fides,
Cum illa, quae in me nunc iniqua est, aequa de me dixerit.
Neque mea culpa hoc discidium evenisse, id testor deos;
Sed quando esse indignam sese deputat, matri meae,
Quae concedat, ejusque mores toleret sua modestia,
Neque alio pacto potest componi inter eas gratia:
Segreganda aut mater a me est, Phidippe, aut Philumena;
Nunc me pietas matris potius commodum suadet sequi.
L. Pamphile, haud invito ad aures sermo mi accessit tuus,
Cum res postputasse te omnis prae parente intelligo.
Verum vide, ne inpulsus ira prave insistas, Pamphile.
PA. Quibus iris nunc inpulsus in illam iniquos sim, i. a.
Quae nunquam erga me quidquam commerita est, pater,—
Quod nollem, et saepe meritam, quod vellem, scio?
Amoque et laudo et vehementer desidero:
Nam fuisse erga me miro ingenio expertus sum,
Illique exopto, ut reliquam vitam exigat
Cum eo viro, me qui sit fortunatior:
Quandoquidem illam a me distrahit necessitas.
PH. Tibi id in manu est, ne fiat. L. Si sanus satis:
Jube eam redire. PA. Non est consilium, pater:
Matris servibo commodis. L. Quo abis? Mane.
Mane, inquam. Quo abis? PH. Quae haec est pertinacia?
L. Dixin', Phidippe, hanc rem aegre laturum esse eum?
Quamobrem te orabam, filiam ut remitteres.

23. nisi, sed. Ita vet. cod. Lindenbrogii. V.: ni. 25. Sic plures et meliores libri, in his A et C Beroll., Bentl. V.: quae nunc in me in. est. 28. Quae Bemb. a manu altera, Guyet., J. F. Gronov. Observatt. 3, 8. pag. 500, Bentl., qui dedit: Quae conc., quaeque ejus mores. V.: Cui conc., cujusque mores. Ejusque δισυλλάβως legendum, sicut passim apud Comicos. 35. Ἀμέτρως legitur: Q. ir. impulsus nunc in ill. iniquos siem? Guelf.: Q. si iris. B Berol.: pulsus n. in ill. in. sum? A et C Beroll. et vett. edd.: sim. Bentl.: Quid ego ira inp. n. in ill. in. sim? 38. Versus parum modulatus. Helmstad.: Amo. Fort.: Amo veh., laudoque et des. 43. V.: Si sanus sies, Jube etc. Vet. cod. Lindenbrog. A et C Beroll.: Si san. satis sies. B Berol. Helmstad. et vett. edd.: si san. es satis. Apparet, supposititiam esse copulam, quae intelligenda, ut alibi sexcenties. Vid. not. ad Eun. 5, 11, 15. 44. Ita Guyet. Durius libri: illam. 48. Sic Bemb. Bentl., quod elegantius vulgato ut fil.

Ph. Non credidi edepol, adeo inhumanum fore.
Itan' is nunc sibi me supplicaturum putat?
Si est, ut velit reducere uxorem: licet.
Sin alio est animo: renumeret dotem huc; eat.
L. Ecce autem tu quoque proterve iracundus es.
Ph. Percontumax redisti huc nobis, Pamphile.
L. Decedet ira haec, etsi merito iratus est.
Ph. Quia cessit vobis paululum pecuniae,
Sublati animi sunt. L. Etiam mecum litigas?
Ph. Deliberet, renuntietque hodie mihi,
Velitne, an non: ut alii, si huic non est, siet.
L. Phidippe, ades; audi paucis. Abiit. Quid mea?
Postremo inter se transigant ipsi, ut lubet.
Quando nec gnatus neque hic mihi quidquam obtemperant,
Quae dico, parvipendunt: porto hoc jurgium ad
Uxorem, cujus haec fiunt consilio omnia,
Atque in eam hoc omne, quod mihi aegre est, evomam.

## ACTUS III. SCENA VIII.

### MYRRHINA, PHIDIPPUS.

M. Perii! quid agam? quo me vortam? quid viro meo respondebo t. t.
Misera? nam audivisse vocem pueri visus est vagientis:
Ita conripuit derepente tacitus sese ad filiam. t. t. c.
Quod si recierit peperisse, id qua causa clam me habuisse t. t.
Dicam, non edepol scio. t. d. c.
Sed ostium concrepuit: credo ipsum exire ad me. Nulla sum! i. t.
P. Uxor ubi me ad filiam ire sensit: se duxit foras. t. t. c.
Atque eccam video. Quid ais, Myrrhina? Heus, tibi dico! M. Mihine, mi vir? i. t. h.

50. Ita Bentl. secundum duos codd. V.: Ita nunc is sibi me s. p.? Fort.: Itan'? num is s. me s. p.? 55. Sic A Berol. et plures melioresque libri, quos sequitur Bentl. V.: Deced. jam ira haec. 56. Legitur nullo numero: Q. paululum vobis accessit pec. Paulo melius Bentl. secundum aliquot libros, quibuscum faciunt B et C Beroll.: paulum. Sed haud dubie legendum est: Quia cessit v. paululum pec. Quia cessit degeneravit in quiaacessit, deinde in quiaaccessit, quo facto transposita verba sunt a metricis. 59. Ita Bemb. Bentl. V.: non sit, siet.

A. III. SC. VIII, 6. Sic probatiores libri, in his A et B Beroll. V.: ad me ex. 7. Bentl. eduxi, ut 3, 5, 4. 8. Q. agis? Helmstad. Frib. De metro vid. not. ad Heaut. 5, 3, 1.

P. Vir ego tuus sim? tun' virum me aut hominem deputas adeo esse? t. t.
Nam si utrumvis horum, mulier, unquam tibi visus forem: t. t. c.
Non ludibrio sic tuis factis habitus essem. M. Quibus? P. At rogitas? t. t.
Peperit filia? Hem, taces? ex quo? M. Istuc patrem rogare est aequom? as. t. d. i. d. h.
Perii, ex quo censes, nisi ex illo, cui data est nuptum, obsecro? as. t. d. i. d.
P. Credo, neque adeo arbitrari patris est aliter; sed demiror, t. t.
Quid sit, quamobrem tantopere omnis nos celare hunc volueris t. t. c.
Partum; praesertim cum et recte et tempore suo pepererit.
Adeon' pervicaci esse animo, ut puerum praeoptares perire, t. t.
Ex quo firmiorem inter nos fore amicitiam posthac scires,
Potius quam advorsum animi tui lubidinem esset cum illo nupta?
Ego etiam illorum esse culpam hanc credidi, quae te est penes. t. t. c.
M. Misera sum! P. Utinam sciam, ita esse istuc! Sed nunc mi in mentem venit,
De hac re quod locuta es olim, cum illum generum cepimus;
Nam negabas, nuptam posse filiam te tuam pati
Cum eo, qui meretricem amaret, qui pernoctaret foris.
(M. Quamvis causam hunc suspicari quam ipsam veram mavolo.)
P. Multo prius quam tu scivi, illum habere amicam, Myrrhina;
Verum id vitium nunquam decrevi esse ego adolescentiae:
Nam id omnibus innatum. At pol jam aderit, se quoque etiam cum oderit. i. t.

9. sim Bemb. Faërn. Muret. Bentl. V.: sum. Bentl.: tu. 11. Helmstad.: a,u rog.? 12. Bentl., trochaicum tetram. effecturus: tacen'? Sed vid. not. ad Adelph. 4, 5, 8. B Berol. non habet vocabulum filia. Idem autem liber et C veteresque edd.: rogitare. 15. V. hunc non legitur; sed Beroll. Frib. Ascens.: tantop. hunc omnes. Bentl.: Q. s., q. t. omnis nos celari vol. Frib.: nos celare volueritis. 20. Ita Bentl. ex tribus libris, quibuscum sentiunt B et C Beroll. et Ascens. 22. Ita Bentl. secundum Donatum ad 4, 5, 89. V.: Ex hac re. 24. B Berol. Frib.: et qui. 25. Guelf.: veram magis volo. 26. Sic multi codd., in quibus A et C Beroll., Ascens. Bentl. V.: amicam habere. 28. Ita Bentl. Ἀμέτρως legitur innatum est. Beroll. Helmstad. aliique plurimi MSS. et vett. edd.: ade-

Sed ut olim te ostendisti, eadem esse nihil cessavisti usque adhuc,
Ut filiam ab eo abduceres, neu, quod ego egissem, esset ratum.
Id nunc res indicium haec facit, quo pacto factum volueris.
M. Adeon' me esse pervicacem censes, cui mater siem, t. t. c.
Ut eo essem animo, si ex usu esset nostro hoc matrimonium?
P. Tun' prospicere aut judicare, nostram in rem quod sit, potes?
Audisti ex aliquo fortasse, qui vidisse eum diceret
Exeuntem aut introeuntem ad amicam. Quid tum postea?
Si modeste ac raro hoc fecit, nonne ea dissimulare nos
Magis humanum est, quam dare operam id scire, qui nos oderit?
Nam si is ab ea sese posset derepente avellere,
Quicum tot fuisset annos, non eum hominem ducerem,
Nec virum satis firmum gnatae. M. Mitte adolescentem, obsecro,
Et quae me peccasse ais. Abi, solum solus conveni:
Roga, velitne, an non, uxorem? Si est, ut dicat, velle se:
Redde: Sin est autem, ut nolit: recte consului meae.
P. Si quidem ipse non volt, et tu sensisti esse in eo, Myrrhina, as. t. d. i. d.
Peccatum: aderam, cujus consilio ea par fuerat prospici. t. t. c.
Quamobrem incendor ira, te esse ausam facere haec injussu meo. as. t. d. i d.
Interdico, ne extulisse extra aedis puerum usquam velis. t. t. c.
Sed ego stultior, meis dictis parere hanc qui postulem:
Ibo intro atque edicam servis, ne quoquam efferri sinant.
M. Nullam pol credo mulierem me miseriorem vivere: i. t.
Nam ut hic laturus hoc sit, si ipsam rem, ut siet, resciverit,
Non edepol clam me est, cum hoc, quod levius, tam animo iracundo tulit;
Nec, qua via sententia ejus possit mutari, scio.

rit tempus. Se, se ipsum, nedum omnes amicas. 29. Bentl.: ostend., nil cess. eadem esse u. a. 31. Frib.: fecit. 32. Idem liber: ei, cui. Donat.: Cui. Deest Ei, vel Circa eam. 39. Ascens.: N. si ipse posset. 40. Quicum pro vulgato Quacum plerique codd. Guyeti, item Beroll, Guelf. Ascens. fuisset Guelf., quod lenius vulgato consuesset. dicerem vet. cod. Lindenbrogii, Beroll., Ascens. 44. Sic Bentlejani Beroll. et vett. edd. V.: ego cons. m. 45. Libri frustra asperato versu: ille ipse. 47. Ita vett. Bentl. delevit esse. V.: ira, esse aus. fac. haec te i. m. 52. V.: quod levius est. Frib.: q. l. sit. Addita copula est a glossatore.

Hoc mi unum ex plurimis miseriis reliquum fuerat malum,
Si puerum ut tollam, cogit, cui nos qui sit nescimus pater.
Nam cum compressa est gnata, forma in tenebris nosci non quita est;
Neque detractum ei tum quidquam est, qui post posset nosci, qui siet;
Ipse eripuit vi, in digito quem habuit, virgini abiens anulum.
Simul vereor Pamphilum, ne orata nostra nequeat diutius
Celare, cum sciet, alienum puerum tolli pro suo.

---

# ACTUS IV.

## SCENA I.

### SOSTRATA, PAMPHILUS.

S. Non clam me est, gnate mi, tibi me esse suspectam, uxorem tuam
Propter meos mores hinc abisse, etsi ea dissimulas sedulo;
Verum ita me di ament, itaque obtingant ex te, quae exopto mihi, ut
Nunquam sciens commerui, merito ut caperet odium illam mei.
Teque ante quod me amare rebar, ei re firmasti fidem:
Nam mi intus tuus pater narravit modo, quo pacto me habueris
Praepositam amori tuo. Nunc tibi me certum est contra gratiam

56. Ita Bentl. V.: cujus nos. 58. Sic idem, V. nullis numeris: N. d. ei est qu., qui post possit noscier, q. s. Legitur tum in Berolinensibus et edd. vett. B Berol.: nosti, pro nosci. 59. Pravo libri numero: eripuit. 60. Helmstad.: verebor. Frib.: queat. An legendum est: Simul verebor Pamph., ut queat nostra orata diut., verbo queat contracto in monosyllabum? Futurum poni loco praesentis non est inauditum; quemadmodum amabo pro amo dicitur in precibus, et βουλήσομαι pro βούλομαι frequenter apud Graecos. Plautus Mil. 593: dicendum hoc militi censebo pro censeo. Pseud. 676: hoc sic erit pro est, et similiter Trin. 885: Hem, istuc erit. Horat. Sat. 2, 2, 53: Sordidus a tenui victu distabit pro distat etc.

A. IV. Sc. I, 3. Bemb. etc.: exoptem. 4. Ita Bentl. aliique. Beroll. vett. edd. etc.: illa. B Berol. Helmstad. Frib. Ascens.: illi a. m. 5. Sic idem ex cod. suo antiquissimo. Donatus quoque: Ordo, inquit, et sensus hic est, Et quod ante rebar etc. V.: T. a. quam me etc.

Referre, ut apud me praemium esse positum pietati scias.
Mi Pamphile, hoc et vobis et meae commodum famae arbitror:
Ego rus abituram hinc cum tuo me esse certo decrevi patre,
Ne mea praesentia obstet, neu causa ulla restet reliqua,
Quin tua Philumena ad te redeat. Pa. Quaeso, quid istuc consili est?
Illius stultitia victa ex urbe tu rus habitatum migres?
Non facies; neque sinam, ut, qui nobis, mater, maledictum velit,
Mea pertinacia esse dicat factum, haud tua modestia.
Tum, tuas amicas te et cognatas deserere et festos dies
Mea causa, nolo. S. Nil pol mi istaec res voluptatis ferunt.
Dum aetatis tempus tulit, perfuncta satis sum; satias jam tenet
Studiorum istorum. Haec mihi nunc cura est maxuma, ut ne cui meae
Longinquitas aetatis obstet, mortemve expectet meam.
Hic video me esse invisam immerito: tempus est concedere.
Sic optume, ut ego opinor, omnes causas praecidam omnibus;
Et me hac suspicione exsolvam, et illis morem gessero.
Sine me, obsecro, hoc effugere, volgus quod male audit mulierum.
Pa. Quam fortunatus ceteris sim rebus, absque una hac fuat,
Hanc matrem habens talem, illam autem uxorem! S. Obsecro, mi Pamphile,
Non tute incommodam rem, ut quaeque est, in animum induces pati?
Si cetera ita sunt, ut vis, itaque, ut esse ego illa existumo,
Mi gnate: da mi hanc veniam: redduc illam. Pa. Vae misero mihi!
S. Et mihi quidem: nam haec res non minus me male habet, quam te, gnate mi.

15. Fort.: Illae, pro Illius, ut apud Lucretium. Helmstad.: Ut illius. 17. Bentl. ex suis, quibuscum convenit nostris A et C (B: Nil pol jam mihi ist. r. v. f.): Nil pol iam ist. mihi r. v. f., elisa prima syllaba in volupt., quod minus placet; et sequitur jam. 20. Fort.: mortem ut ex. A Berol. Frib.: mortem ne. Vulgus librorum, in his Beroll. Guelf. et priscae edd.: exoptet. 25. Sim Bentl., et ex Donato hac. V.: sum, et absque una haec foret, quod ne latinum quidem. 27. Ita Bemb. Bentl. V.: inducas. 28. Recte posuerunt illa (cetera) pro illam.

## ACTUS IV. SCENA II.

### LACHES, SOSTRATA, PAMPHILUS.

L. Quem cum istoc sermonem habueris, procul hic stans accepi, uxor. i. t. c.
Istuc sapere est, qui, ubicunque opus sit, flectere animum possis. t. t.
Quod faciundum sit fortasse post, nunc idem hoc si feceris: as. t. d. i. d.
Fors fuat pol. Abi rus ergo hinc: ibi ego te et tu me feres. t. t. c.
S. Spero ecastor. L. I ergo intro et compone, quae tecum simul
Ferantur. Dixi. S. Ita ut jubes, faciam. P. Pater.... i. s.
L. Quid vis, Pamphile? P. Hinc abire matrem? Minime. L. Quid ita istuc vis? t. t.
P. Quia de uxore incertus sum etiam, quid sim facturus. L. Quid est? t. t. c.
Quid vis facere, nisi reducere? P. Equidem cupio et vix contineor; t. t.
Sed non minuam meum consilium. Ex usu quod est, id persequar. as. t. d. i. d.
Credo, ea gratia concordes mage, si non reddueam, fore.
L. Nescias; nequeas; verum tua refert nihil, utrum illaec fecerint;

A. IV. SC. II. 1. hic Bentl. ex 3 codicibus, ut pridem legi voluerant Palmer. Lamp. Gruter. 4. p. 827. et Guyetus. V.: hinc. Dein Bentl. scripsit adstans, ut versus similis fieret sequenti. Sed vid. not. ad 3, 1, 4. 2. Liber Basil. apud Palmerium l. l.: ubique opus sit, quod ille defendere conatur. 3. Ita B Berol., nisi quod sic ibi legitur pro sit. Ceterum sic distinguitur in libris: — feceris. S. Fors fuat pol. Quae non cohaerent. Imo dicit Laches, si nunc Sostrata faciat, quod tamen post faciendum fortasse sit, fieri posse, ut id fuat seu sit fors, h. e. fors bona, ut id felix faustumque sit. Bentl.: Q. sit fac. fort. post, idem hoc nunc si feceris. S. Fors fuat pol. 5. Ita C Berol. et vett. edd. A Berol.: comp. tecum quae simul fer. 7. B Berol. et Frib.: istuc ita. In C codice non legitur vis. 9. contineor, ut Bentl., etiam B Berol. et Donat. Alii: contineo. 11. Bentl., metrum non assecutus, delevit non, ut versus fieret troch. tetram. cat. 12. Ita 4 codd. Regii, quos versavit Guyet., Beroll. Guelf. Frib. Ascens. V. nequeas non legitur, neque id habent scholiastae vett.; quod tamen minime est inelegans. Oblitterarunt procul dubio metrici parum cauti. Nescias δισυλλάβως pronuntiandum est. nequeas, nequeas scire pro aetate tua. Illaec Philarg. ad Virg. Georg. 3, 105, ut monet Bentl. V.: illac.

Quando haec abierit. Odiosa haec est aetas adolescentulis:
E medio aequom excedere est. Postremo nos jam fabula, t. t. c.
Sumus, Pamphile: *Senex atque anus.*
Sed video Phidippum egredi per tempus: accedamus. i. t. c.

## ACTUS IV. SCENA III.

### PHIDIPPUS, LACHES, PAMPHILUS.

PH. Tibi quoque iratus edepol sum, Philumena, i. s.
Graviter quidem: nam hercle abs te factum est turpiter.
Etsi tibi causa est de hac re: mater te inpulit;
Huic vero nulla est. L. Opportune te mihi,
Phidippe, in ipso tempore ostendis. PH. Quid est?
(PA. Quid respondebo his, aut quo pacto hoc aperiam?)
L. Dic filiae, rus concessuram hinc Sostratam:
Ne revereatur, minus jam quo redeat domum. PH. Ah,
Nullam de his rebus culpam commeruit tua:
A Myrrhina sunt haec mea exorta omnia..
(PA. Mutatio fit.) PH. Ea nos perturbat, Lache.
(PA. Dum ne reducam, turbent porro, quam velint.)
PH. Ego, Pamphile, esse inter nos, si fieri potest,
Adfinitatem hanc sane perpetuam volo.
Sin est, ut aliter tua siet sententia:
Accipias puerum. (PA. Sensit peperisse. Occidi!)
L. Puerum? quem puerum? PH. Natus est nobis nepos:
Nam abducta a vobis praegnas fuerat filia,
Nec fuisse praegnatem unquam ante hunc scivi diem.
L. Bene, ita me di ament, nuntias! Et gaudeo
Natum illum, et illam salvam. Sed quid mulieris
Uxorem habes, aut quibus moratam moribus?
Nosne hoc celatos tamdiu? Nequeo satis,

13. aberit Bemb. Bentl. Alterum quadrat ad versum asynartetum. 14. fabula Guyet. Bentl., idque Donatus videtur invenisse. V. fabulae. Locum hunc illustrat Muret. V. L. 18, 18.

A. IV. SC. III, 6. haec op. MS. quidam Guyeti, ipso probante. 10. Libri numeris durissimis: A M. haec sunt mea uxore ex. o. Intelligendum uxore, quemadmodum in tua praegresso versu uxor, quod revera ibi habent Guelf. Frib. Ascens.: uxore mea, migrante glossemate, ut solet fieri. 11. Ita Bentl., cum vulgo haec Phidippo tribuantur omnia. Lache Bemb. Priscian. Bentl. V.: Laches. Cf. 42. 12. Bentl.: turbet, velit, Myrrhina. quam, quantum. Donat. 18, 19. praegnas et praegnatem Bemb. Vatican. Helmstad. Bentl. V.: praegnans, praegnantem. Frib.: hanc diem. 21. Ita Guelf. Guyet. Bentl. V.: N. illum et tibi illam s. Veteres: N. illum tibi et i. s.

Quam hoc mihi videtur prave factum, proloqui.
Ph. Non tibi factum illud minus placet quam mihi, Lache.
(Pa. Etiamsi dudum fuerat ambiguum hoc mihi:
Nunc non est, cum eam sequitur alienus puer).
L. Nulla tibi, Pamphile, hic jam consultatio est.
(Pa. Perii!) L. Hunc videre saepe optabamus diem,
Cum ex te esset aliquis, qui te adpellaret patrem,
Evenit: habeo gratiam dis. Pa. Nullus sum!
L. Reduc uxorem ac noli advorsari mihi.
Pa. Pater, si ex me illa liberos vellet sibi,
Aut se esse mecum nuptam: satis certo scio,
Non clam me haberet, quod celasse intelligo.
Nunc, cum ejus alienum a me esse animum sentiam,
Neque conventurum inter nos posthac arbitrer,
Quamobrem reducam? L. Mater quod suasit sua,
Adolescens mulier fecit. Mirandumne id est?
Censen', te reperire ullam posse mulierem,
Quae careat culpa? an, quia non delinquunt viri?
Ph. Vosmet videte jam, Lache, et tu Pamphile,
Remissan' opus sit vobis, redductan' domum.
Neutra in re vobis difficultas a me erit.
Uxor quid faciat, in manu non est mea.
Sed quid faciemus puero? L. Ridicule rogas.
Quidquid futurum, huic scilicet reddas suum,
Ut alamus nostrum. (Pa. Quem ipse neglexit pater,
Ego alam?) L. Quid dixti? Eho, non alemus, Pamphile?
Prodemus quaeso potius? quae haec amentia est?
Enimvero prorsus jam tacere non queo:

24. videtur pro videatur, graece. 25. Donat.: „Sub εἰρωνείᾳ est dictum: hoc enim ait: Tantundem tibi placet hoc factum, quam mihi. (H. e. Non magis mihi placet, quam tibi. Non magis id probo, quam tu.)“ Quam explicatiouem ineptam judicans Bentl. audacter posuit: N. tibi illud factum (sic libri) minus dolet quam mihi, Lache. Bene tamen Lache pro vulgato Laches. 26. Etsi jam dudum B Berol. Helmstad. et priscae edd. C Berol.: Si dudum f. a. h. m. 27. Ita Bentl. ex 2 codd., quibuscum sentit C Berol. V.: consequitur. Frib.: eam jam cons. Sequitur placebat etiam Guyeto. 29. saepe. Helmstad.: semper. 33. Ita Bemb. Donat. Faërn. Bentl. V.: si illa ex me. 37. Libri fere soloece et ἀμέτρως: esse arbitror. Non legebatur esse in uno Bentleji. Quem ipsum sequor. Arbitrer pridem placuerat Bergio et Mureto. 43. Sic libri quidam, quos sequitur Bentl. V.: Rem op. s. v. an reducta d. A Berol. non habet an. Idem et C: reductan. 44. Male hic versus ponitur post sequentem. 47. V.: Q. fut. est, huic suum redd. scilicet. Non habetur est in Friburgensi. 49. Codd. duro numero: eho, an non.

Nam cogis, ea, quae nolo, ut praesente hoc loquar.
Ignarum censes tuarum lacrumarum esse me?
Aut, quid sit id, quod sollicitere ad hunc modum?
Primum, hanc ubi dixti causam, te propter tuam
Matrem non posse habere hanc uxorem domi,
Pollicita est ea, se concessuram ex aedibus.
Nunc, postquam ademtam hanc quoque tibi causam vides:
Puer quia clam te est natus, nactus alteram es.
Erras, tui animi si me esse ignarum putas.
Aliquando tandem huc animum ut adjungas tuum.
Quam longum spatium amandi amicam tibi dedi!
Sumtus, quos fecisti in eam, quam animo aequo tuli!
Egi atque oravi tecum, uxorem ut duceres:
Tempus dixi esse. Impulsu duxisti meo.
Quae tum, obsecutus mihi, fecisti ut decuerat;
Nunc animum rursum ad meretricem induxti tuum:
[Cui tu obsecutus, facis huic adeo injuriam.]
Nam in eandem vitam te revolutum denuo
Video esse. PA. Mene? L. Te ipsum; et facis injuriam:
Confingis falsas causas ad discordiam,
Ut cum illa vivas, testem hanc cum abs te amoveris.
Sensitque adeo uxor: nam ei causa alia quae fuit,
Quamobrem abs te abiret? (PH. Plane hic divinat: nam id est.)
PA. Dabo jusjurandum, nihil esse istorum, tibi. L. Ah,
Reduc uxorem, aut, quamobrem non sit opus, cedo.
PA. Non est nunc tempus. L. Puerum accipias: nam is quidem
In culpa non est; post de matre videro.
(PA. Omnibus modis miser sum, nec, quid agam, scio:
Tot nunc me rebus miserum concludit pater.
Abibo hinc, praesens quando promoveo parum:

54. Sic Bentl. ex suis melioribus, neque aliter B et C Beroll. Helmstad. et edd. vett. V.: quid sit id. Neutrum pronomen habet A Berol. Sollicitare idem liber et C et Frib. 61. Ut adjungas. Deest fac. Donat. Bentl. secundum veteres Lindenbrogii et suos omnes: ut adducas. Sic etiam Helmstad. et Ascens. Frib.: inducas. 66. Legendum fortasse est: Quae cum, o. m., fecisti, ut d. Cum indicativo junctum mirati esse videntur librarii et magistri. 67. Uncinis inclusa recte Guyetus ὀβελίζει, quae, sublecta versibus 66 et 69, sine sententiae detrimento expungentur. 70. Sic meliores libri, judice Bentlejo. V.: Cum fingis, quod et ipsum ferri potest, et placuit Erasmo, Bergio, Mureto, Guyeto. 75. Minus bene legitur opus sit. 79. Ita Frib. V.: Tot me nunc.

Nam puerum, credo, injussu non tollet meo,
Praesertim in ea re cum sit mi adjutrix socrus.)
L. Fugis, hem, nec quidquam certi respondes mihi? —
Num tibi videtur esse apud sese? Sine.
Puerum, Phidippe, mihi cedo: ego alam. Ph. Maxume.
Non mirum fecit uxor, si hoc aegre tulit:
Amarae mulieres sunt, non facile haec ferunt.
Propterea haec ira est: nam ipsa narravit mihi.
Id ego hoc praesente tibi nolueram dicere,
Neque ei credebam primo; nunc vero palam est:
Nam omnino abhorrere animum huic video a nuptiis.
L. Quid ergo agam, Phidippe? quid das consili?
Ph. Quid agas? Meretricem hanc primum adeundam censeo:
Oremus; accusemus gravius; denique
Minitemur, si cum illo habuerit rem postea.
L. Faciam, ut mones. Eho, curre, puer, ad Bacchidem hanc
Vicinam nostram; huc evoca verbis meis.
At te oro porro, in hac re adjutor sis mihi. Ph. Ah,
Jamdudum dixi, idemque nunc dico, Lache,
Manere adfinitatem inter nos hanc volo,
Si ullo modo est ut possit; quod spero fore.
Sed visne, adesse me una, dum istam convenis?
L. Imo abi vero: aliquam puero nutricem para.

## ACTUS IV. SCENA IV.

### BACCHIS, LACHES.

(B. Non hoc de nihilo est, quod Laches me nunc conventam esse expetit. i. t.

81. Sic idem liber et Donatus. V.: N. p. injussu, credo. Potiore jam loco posita vox gravis injussu. 86. uxor, Philumena. Male libri: uxor mea; id quod sensere Guyetus et Bentl. 89. Guelf.: Ideo hoc. nolueram A et C Beroll. et plures melioresque libri, quos sequitur Bentl. V.: nolebam. 90. ei Guyet. Libri numero horridiore: illi. 95. Helmstad.: isto. 96. Ita Bentl. secundum 3 codd. V.: puer, curre. Fortasse legendum est: ehō, puere, sicut Eun. 4, 1, 10. 98. At Bemb. Bentl. V.: Et, quasi haec puero dicerentur. 100. Libri: hanc inter nos. Sed cum nos encliticum sit hoc loco, satius est legi: intér nos hanc. Fuse hunc locum tractavimus in nota ad Andr. 667. ed. majoris nostrae. 103. Ita Guyet. metri gratia. A et C Beroll. et Ascens.: Imo abi; aliquam etc. Et sic fere vett. Haud invitus legerim: Imo vero aliquam p. n. p. Abi adscriptum videri potest ab interprete.

Nec pol me multum fallit, quin, quod suspicor, sit, quod velit.)
L. (Videndum est, ne minus propter iram hinc impetrem, quam possiem,
Aut ne quid faciam plus, quod post, me minus fecisse, satius sit.
Adgrediar.) Bacchis, salve. i. d. c.
B. Salve, Lache. L. Edepol credo, te nonnil mirari, Bacchis, i. t. c.
Quid sit, quapropter te huc foras puerum evocare jussi.
B. Ego pol quoque etiam timida sum, cum venit in mentem, quae sim:
Ne nomen quaesti mi obsiet: nam mores facile tutor.
L. Si vera dicis, nil tibi est a me pericli, mulier:
Nam jam aetate ea sum, ut non siet peccato mi ignosci aequum;
Quo mage res omnis cautius, ne temere faciam, adcuro.
Nunc si id facis facturave es, bonas quod par est facere,
Inscitum offerre injuriam tibi me est inmerenti.

A. IV. SC. IV, 3. hinc, a Bacchide. Sic Bentl., qui comparat Adelph. 3, 3, 7. V.: hanc. 5 — 7. Ita haec secundum Bembinum ordinant Faërn. et Bentl. Etiam in Guelf. verba Quid sit — jussi unius versus ambitu comprehenduntur. In vulgatis libris pro tribus duo versus, sed ἀμέτρως, leguntur, quorum prior finitur vocabulis edepol te. 8. Ita Faërn. Guyet. Bentl. Itidem ἀμέτρως legitur cum ven. mihi in mentem. 9. Hic quoque Faërnum et Bentlejum secutus sum. Bemb.: quaesti. Idem liber Vatican. Victorian. 3 Bentlejani et B Berol. non habent verba apud te: nam vulgati quidem libri sic: Ne n. mihi quaestus obstet apud te: nam etc. 10. Sic plerique libri, in his Beroll. et Guelf., Faërn. Bentl. V.: nil tibi per. est a me. 13. Bemb. Faërn.: Nam si id facis. Ceteri: Nam si id nunc facis. Sed Nam vim nullam habet; verum est Nunc, h. e. Igitur: siquidem haec est Lachetis oratio: Si vera dicis, nihil tibi a me timendum est: nam senex sum, nec temere quidquam facio: igitur si aequa erga me eris, inscitum sit, me tibi offerre injuriam. Ipsum illud Nam codicis Bemb. fuisse putem Nunc, quod illi simile in scriptis aevi medii plurimis; fierique potest, ut nunc adscriptum τῷ nam, tanquam emendatum oblitterando (nam sic solent librarii, vitiosa nunquam delentes), vulgatam nobis lectionem pepererit. 14. Libri ὑπερμέτρως, vel potius ἀμέτρως: Inscitum offerre injuriam tibi me immerenti, iniquum est. Iniquum est glossema verbi inscitum. Donat.: „Inscitum. Inelegans, non bonum. Et bene non (male legitur; non bene) dixit Durum, aut quid tale, sed Inscitum, quo verbo maxime mulieres [et meretrices] utuntur. Scitum enim dicunt, quod placet; inscitum, quod displicet; ut: Perecastor scitus puer est natus Pamphilo. (Andr.

B. Est magnam, ecastor, gratiam de istac re quod tibi habeam:
Nam qui post factam injuriam se expurget, mihi prosit parum. i. t.
Sed quid istuc est? L. Meum receptas filium ad te Pamphilum. B. Ah!
L. Sine, dicam. Uxorem hanc priusquam duxit, vostrum amorem pertuli.
Mane: nondum etiam dixi id, quod volui. Hic nunc habet uxorem; as. t. d.
Quaere alium tibi firmiorem, dum tempus consulendi est.
Nam neque ille hoc animo erit, nec pol tu eadem istac, aetatem.
B. Quis id ait? L. Socrus. B. Men'? L. Te ipsam; et filiam abduxit suam, t. t. c.
Puerumque ob eam rem clam voluit, natus qui est, extinguere.
B. Aliud scirem, qui firmare meam apud vos possem fidem,
Sanctius quam jusjurandum, id pollicerer tibi, Lache,
Me segregatum habuisse, uxorem ut duxit, a me Pamphilum. i. t.

3, 2, 6.)" Verbi iniquum nullum est vestigium neque apud illum, neque apud Eugraphium. Minus recte Faërn. et Bentl. secundum Bemb. et alium quendam codic.: Inscit. off. injur. tibi inmerenti, iniquum est. 15. Ita Guyet. et Bentl. Libri et inusitate et κακομέτρως, siquidem in hisce versibus iambicis apud Terentium quidem extrema syllaba pedis quarti non est anceps: Est magna ecastor gratia de istac re quam tibi hab. 16. Helmstad. Frib.: expurgat. Guyet. metri gratia: mihi prosit parum. V.: parum mihi prosit. 18. Frustra Bentl.: Sine dum: uxorem etc., ut scilicet versus fieret trochaïcus, qualem esse existimabat praecedentem. 19. Haud melius idem vir doctissimus: te volui, cum etiam hunc versum haberet pro mero trochaïco. 20. V.: amicum firmiorem. Recte deletum est glossema ἄμετρον secundum Faërni libros. Sed quod scribendum putarunt ex Bembino et Victor.: dum tibi tempus c. est, temere corruperunt metrum asynartetum. 21. V.: N. n. i. h. a. erit aetatem, neque pol tu eadem istac aetate. Non legitur aetatem in scriptis Lindenbrogii et Bentleji, item Frib. Ascens., neque erat quod id tueri conaretur Bentl. Recte Guyetus: istaec aetatem. Donat.: „Aetatem pro Tam diu quam longa est aetas." Cf. Parei lexic. Plaut. h. v. Sententia est, non semper eosdem fore Pamphilum et Bacchidem, illum animo sive amore in Bacchidem, hanc ipsam forma, qua illum amore suo irretierit. 24. V.: Aliud si scirem. Glossema ἄμετρον; nam duos iambicos (24 et 26.) uno trochaïco interpellari in eadem sententia non placet. Bentl.: Alid si scirem; verum neque formam eam alibi Terentius usurpavit, neque ferendus est anapaestus Alid si. 26. Metro iambico mulier haec dicit, quo

L. Lepida es. Sed scin', quid volo potius sodes facias? B. Quid vis? as. t. d. i. d. c.
Cedo. L. Eas ad mulieres huc intro, atque istuc jusjurandum idem i. t.
Polliceare illis. Exple iis animum, teque hoc crimine expedi.
B. Faciam; quod pol, si esset alia ex hoc quaestu, haud faceret, scio, t. t. c.
Ut de tali causa nuptae mulieri se ostenderet;
Sed nolo esse falsa fama gnatum suspectum tuum,
Nec leviorem vobis, quibus est minume aequom, viderier
Immerito: nam meritus de me est, quod queam, illi ut commodem.
L. Facilem benevolumque lingua tua jam tibi me reddidit.
Nam non sunt solae arbitratae haec; ego quoque etiam credidi.
Nunc, cum ego te esse praeter nostram opinionem comperi;
Fac eadem ut sis porro; nostra utére amicitia, ut voles.
Aliter si facias... Sed reprimam me, ne aegre quidquam ex me audias; as. t. d. i. d.
Verum te hoc moneo unum: qualis sim amicus, aut quid possiem,
Potius quam inimicus, periclum facias.

## ACTUS IV. SCENA V.

### PHIDIPPUS, LACHES, BACCHIS.

P. Nil apud me tibi t. t. c
Defieri patiar, quin, quod est, benigne praebeatur; i. t. c.
Sed tu cum satura atque ebria es, puer ut satur sit, facito.
L. Noster socer, video, venit; puero nutricem adducit.
Phidippe, Bacchis dejerat persancte... P. Haeccine ea est? L. Haec est.
P. Neque hae pol deos metuunt, neque has respicere deos opinor,

gravius exaudiantur. Perperam Bentl. delevit Me. 27. Finitur vulgo versus vocabulo Cedo, quem merum trochaïcum arbitrati Muretus et Bentl. excudi jusserunt: Quid? cedo. 36. haec pro vulgato hae, quod displicet propter τὸ ὁμοιοτέλευτον, 2 codd. Bentleji et B Berol. a manu altera. C Berol.: hee, pro hec, ut puto. 39. Hic quoque Bentl. non agnoscens metrum asynartetum temere expunxit facias.

A. IV. SC. V, 2. Ita Bentl. secundum codicem Collegii Corporis Christi. Ejusdem Bentleji Reg. chartac.: quin, quod sit, omisso verbo opus. Ἀμέτρως legitur: quin, quod opus sit. 5. Libri pravo numero: ebria eris. Correxit Bentl. 6. Et sermone et metro invenusto legitur Nec pol istae met. deos. Hae, ut has

B. Ancillas dedo; quolibet cruciatu per me exquire.
Haec res hic agitur: Pamphilo me facere oportet, uxor
Ut redeat. Quod si perficio: non poenitet me famae,
as. t. d. i. d. ci.
Solam fecisse id, quod aliae meretrices facere fugitant.
L. Phidippe, nostras mulieres suspectas fuisse falso i. f. c.
Nobis in re ista invenimus; porro hanc nunc experiamur.
Nam si compererit crimini tua falso credidisse:
Missam iram faciet. Sin eam autem ob rem est iratus gnatus,
Quod peperit uxor clam: id leve est, cito ab eo haec ira
abscedet.
Profecto in hac re nil mali est, quod sit discidio dignum.
P. Velim quidem hercle. L. Exquire: adest. Quod satis
sit, faciet ipsa.
P. Quid mi istaec narras? an quia non tu ipse audisti dudum,
De hac re animus meus ut sit, Laches? Illis modo ex-
plete animum.
L. Quaeso edepol, Bacchis, quod mihi es pollicita tute,
ut serves.
B. Ob eam rem vis ergo intro eam? L. I atque exple iis
animum, ut credant.

8, 9. Libri:
— — *Pamphilo me facere ut redeat uxor*
*Oportet: quod si perficio, n. p. me f.*
Jambicum Bentl. effingens posuit quod si effecero. Nos malebamus transpositione verborum uti. 12. ista. V.: ipsa. Saepius haec confusa. hanc, hanc rem, quam dicturus est, placationem Myrrhinae et Pamphili. 13. Legitur ὑπερμέτρως: N. si c. cr. tua se falso uxor cred. Faërn. et Bentl., quosdam libros secuti, omisere falso, tanquam supervacuum, quia in ipso verbo crimen significatio insit falsitatis; verum, id ita esse, non probaverunt. Beroll. et vett. edd.: tua (hoc verbo caret A Berol.) se ux. falso cr. Magnum signum malae fidei, quod incerta sedes est vocabuli uxor. Se intelligitur, sicut passim. 14. V.: sin autem est ob eam rem ir. gn. Bentl.: sin item, quod et metro et sententiae commodius esse existimabat. 18. Sic Donatus altero in loco, ubi haec laudat. Ascens.: an qu. non tute aud. dudum. Tute etiam Beroll. Frib. aliique vett. V.: dudum aud. Bentl.: quiane non tute ipse d. aud., ne posterior syllaba verbi quia producenda esset; quod tamen fit apud Phaedrum Fab. 1, 5, 7, et Ausonium Commemorat. professorum Burdigal. carm. 8. Cf. Wasii Senar. cap. 16, et nos ad Plaut. Amph. 475, Bacch. 759, Merc. 388. ed. majoris. Tute ipse ταυτολογικόν, nec dubium nobis est, quin tute insertum fuerit a metricis. 19. Sic meliores libri, quos sequitur Bentl. V.: exple, Guyetus, hianti versui succurrens, dedit exple modo ill. an. 20. tute, tu ipsa, tua sponte. Male edd.: q. m. es pollicita, tute ut s.

B. Ego, etsi scio pol, his meum fore conspectum hodie invisum:
Nam nupta *et* meretrici hostis est, a viro ubi segregata est.
L. At haec amica erit, ubi, quamobrem adveneris, resciscet.
P. Item has amicas fore tibi promitto, rem ubi cognorint:
Nam illas errore et te simul suspicione exsolves.
B. Perii, pudet Philumenae! — Sequimini me intro huc ambae.
L. Quid est, quod malim, quam quod huic intelligo evenire,
Ut gratiam ineat sine suo dispendio et mihi prosit?
Nam si est, ut haec nunc Pamphilum vere ab se segregarit,
Scit sibi nobilitatem ex eo et rem natam, ut gloriam, esse;
Refertque gratiam, unaque nos sibi opera amicos jungit.

---

23. Putide libri: Nam nupta meretrici hostis est, a viro ubi segregata est, quasi nupta mulier meretricem odisse tum demum soleat, cum vel ipsa vel meretrix segregata sit a viro. Jam ea est sententia, nuptam hostem esse seu manere meretricis etiam tum, cum vir rem habere cum meretrice desierit. Trajectum more Terentiano et mirati librarii videntur delevisse: nam ordo verborum hic est: Nam nupta est hostis meretrici et (etiam) ubi segregata est a viro. 24. Male libri: At hae (vel haec secundum Bembinum aliosque libros) amicae erunt etc., siquidem Laches de una Sostrata promittit, Phidippus autem de uxore et filia. Jam et versus melioribus pedibus incedit. 25. V.: At easdem amicas etc. Helmstad.: At eas am. fieri prom. Idem liber et B Berol.: cognoverint nullam. Cognorint recte Bentl. dedit metri gratia. Ceterum hunc versum, qui non legebatur in Bembino Petrensi et codice Coll. Corp. Christi, B Berol. habet post narras versu 18, C vero Berol. eundem cum sequente et hoc loco ostendit, et supra post 17. Erroris ejus causa versuum 24 et 25. similitudo. 26. Guelf.: Nam eas — evolves. Frib.: acte. 27. Sequ. Donat.: „Ancillis dicit, quae sunt κωφὰ πρόσωπα.“ Guyet.: Meretrices paulo cultiores etiamnum Romae ut minimum secum pedisequas duas trahunt. 28. Frustra libri: quod mihi malim. 29. Bentl. pro arbitrio: Ut gr. ineam sine meo disp. et mihi prosim? 31. V.: et gloriam, quod ταυτολογικόν. ut, eodem modo, quo gloriam seu nobilitatem, et natam esse pro nascituram, tanquam in re, quae jam evenerit: adeo videtur seni certa. Guyet.: Ex celebritate nominis amatores conciliantur, unde res meretricibus crescit. Bentl.: Scit se nob. ex ea re nactam et glor. esse. Nactam unus Regiorum Bentleji. Fuit, cum audaciore conjectura expediendum esse locum existimarem hac: Scit, sibi nobilitatem ex ea re natam plurimam esse. Necdum poenitet suspicionis. Scriptum fuerit plorimam, quemadmodum o et u litterae inter se commutentur nonnunquam in codicibus, ploriam, et p verso neglectoque apice: gloriam. 32. Refertque cod. Acad. Bentleji C Berol. et Helmstad. V.: Re-

# ACTUS V.

## SCENA I.

### PARMENO.

Edepol nae meam herus esse operam deputat parvi preti, t. t. o.
Qui ob rem nullam misit, frustra ubi totum desedi diem,
Myconium hospitem dum expecto in arce Callidemidem.
Itaque ineptus hodie dum illic sedeo, ut quisquam venerat,
Accedebam: *Adolescens, dic dum, quaeso, tun' es Myconius?* —
*Non sum.* — *At Callidemides?* — *Non.* — *Hospitem ecquem Pamphilum*
*Hic habes?* Omnes negabant, neque eum quemquam esse arbitror.
Denique hercle jam pudebat: abii. Sed quid Bacchidem
Ab nostro adfine exeuntem video? quid huic hic est rei?
as. t. d. i. d.

## ACTUS V. SCENA II.

### BACCHIS, PARMENO.

B. Parmeno, opportune te offers: propere curre ad Pamphilum. t. t. c.
P. Quid eo? B. Dic me orare, ut veniat. P. Ad te? B. Imo ad Philumenam.
P. Quid rei est? B. Tua quod nil refert, percontari desinas.
P. Nil aliud dicam? B. Etiam: cognosse anulum illum Myrrhinam
Gnatae suae fuisse, quem ipsus olim mihi dederat. P. Scio.
Tantumne est? B. Tantum. Aderit continuo, hoc ubi ex te audiverit.

feretque gr. ei, unaque n. s. o. am. junget, quod et ipsum ferri potest, modo expungatur ἄμετρον ei, quod additum est ab aliquo interprete. Atqui id non habet Ascensiana. Tum legendum est gratjam, sicut Stelljo apud Maronem, vindenjator apud Horatium etc. Pessime Bentl.: Refert gra | tiam eii nos sibi o. a. jungit.

A. V. SC. I, 4. quisquam 2 Bentlejani et A Berol. V.: quisque. Recte alterum Bentl. arcessivit, utpote et sententiae aptius et metro.

A. V. SC. II, 6. Frib.: hoc ubi. V.: audierit, metro quidem nullo. Correxere Guyet. et Bentl.

Sed cessas. P. Minume equidem: namque hodie mihi potestas haud data est: i. t.
Ita cursitando atque ambulando totum hunc contrivi diem.

## ACTUS V. SCENA III.

### BACCHIS.

Quantam obtuli adventu meo laetitiam Pamphilo hodie! i. t. c.
Quot commodas res attuli, quot autem ademi curas!
Gnatum ei restituo, qui paene harum ipsiusque opera periit;
Uxorem, quam nunquam est ratus posthac se habiturum, reddo;
Qua re suspectus suo patri et Phidippo fuit, exsolvi.
Hic adeo his rebus anulus fuit initium inveniundis:
Nam memini, abhinc menses decem fere ad me nocte prima
Confugere anhelantem domum sine comite vini plenum
Cum hoc anulo. Extimui illico. *Mi Pamphile,* inquam, *amabo,*
*Quid exanimatus, obsecro, aut unde anulum istum nactus?*
*Dic mi.* Ille alias res agere se simulare. Postquam video:
Nescio quid suspicarier. Mage coepi instare, ut dicat.
Homo se fatetur vi in via nescio quam compressisse;
Dicitque, sese illi anulum, dum luctat, detraxisse.
Eum cognovit Myrrhina haec in digito modo me habentem;
Rogat, unde sit; narro omnia haec: inde est cognitio facta,

7. Codd. hiante versu: nam. Iambicus autem hic est, non trochaicus, ut videtur Bentlejo, ita haec dimetienti: Séd cessás etc., cum prontuntiandum sit Sed céssas. Haud nolim Min. quidem. 8. Sic vett. edd., in his Frib. et Ascens., neque vulgatum cursando convenit iambico.

A. V. SC. III, 10. Libri immisso glossemate κακομέτρῳ: Q. exan. es. A Berol.: Q. es exan. C: Q. es (fortasse pro ex) animatus. Dele vagantem copulam, quae intelligenda est, ut passim. Bentl.: exanimatus's, nactu's. Sed nusquam sic libri vett. 13. vi non legitur in C Berol. Guelf. Frib. Ascens. Virginem istud vulgatum olim abest etiam ab A Berolinensi. 14. Frib.: Dixitque. Luctatur e nostris Helmstad. et eaedem edd. 2 vett. 15. B Berol. Helmstad. Frib.: in dig. intus me habentem. C Berol.: in dig. vero me intus hab. Bentl.: habente, quia non Bacchis agnita sit a Myrrhina, sed annulus. Sed habentem dictum est pro habentem esse, conjugatione periphrastica, qua et Plautus et alii scriptores nonnunquam utuntur. Sic igitur haec ordinanda: Myrrhina haec cognovit modo, me habentem (esse) eum in digito. Ellipsis verbi substantivi non infrequens est apud scriptores. Istud habente, utrum referendum sit ad digito an ad me, nescias.

Philumenam esse ab eo compressam et filium inde hunc natum.
Haec tot me propter gaudia illi contigisse laetor,
Etsi hoc meretrices aliae nolunt: neque enim est in rem nostram,
Ut quisquam amator nuptiis laetetur. Verum ecastor
Nunquam animum quaesti gratia ad malas adducam partis.
Ego, dum illo licitum est, usa sum benigno et lepido et comi:
Incommode mihi nuptiis evenit (factum fateor);
At pol me fecisse arbitror, ne id merito mi eveniret.
Multa ex quo fuerint commoda, ejus incommoda aequom est ferre.

## ACTUS V. SCENA IV.

### PAMPHILUS, PARMENO, BACCHIS.

PAM. Vide, mi Parmeno, etiam, sodes, ut mi haec certa et clara attuleris:
Ne me in breve conjicias tempus gaudio hoc falso frui.
PAR. Visum est. PAM. Certen'? PAR. Certe. PAM. Deus sum, si hoc ita est! PAR. Verum reperies.
PAM. Manedum, sodes: timeo, ne aliud credam, atque aliud nunties.
PAR. Maneo. PAM. Sic dixisse opinor te, invenisse Myrrhinam,
Bacchidem suum anulum habere... PAR. Factum. PAM. Eum, quem olim ei dedi.

18. V.: propter me, cum me sit ὀρθοτονούμενον. Virg. Aen. 4, 320:

*Te propter* Libycae gentes Nomadumque tyranni
Odere; infensi Tyrii; *te propter* eundem
Extinctus pudor.

19. Dure Bentl.: E. h. mer. non volunt aliae: neque enim in rem est nostram. 21. Guyet. secundum vett. MSS.: inducam. Alibi, inquit, noster (4, 3, 67): animum ad meretricem induxit suum (induxti tuum). Gallice: je ne prendray jamais un mauvais party par avarice. 23. Beroll. et vett. edd.: de nuptiis.

A. V. SC. IV, 2. gaudio hoc falso frui graeco more dictum pro eo, quod est ad fruendum hoc gaudio falso (adverb.), ὡς ἀπολαύειν τούτου τοῦ χάρματος εἰς κενόν. Bentl.: Ne me in b. pellicias temp. g. h. f. f. Nobis non licet esse tam audacibus. 5. Ita cod. Mead. apud Bentlejum. Ipse Bentl.: sic te dixe opinor. V.: sic te dixisse op., sed non placet hoc loco versus iamb. 6. Ita Bentl. secundum 2 codd. V.: anulum suum, deteriore loco posita voce anulum.

Eaque hoc te mihi nuntiare jussit. Itane est factum?
PAR. Ita, inquam. t.t.
PAM. Quis me fortunatior, venustatisque adeo plenior?
as. t. d. i. d.
Egone pro hoc te nuntio qui donem? qui? qui? Nescio. t. t. c.
PAR. At ego scio. PAM. Qui? PAR. Nihilo enim. c. d.
Nam neque in nuntio neque me in ipso tibi c. t.
Quid boni sit, scio. c. d.
PAM. Egon', qui ab Orco mortuum me reducem in lucem feceris, i. t.
Sinam sine munere a me abire? Ah, nimium me ingratum putas!
Sed Bacchidem eccam video stare ante ostium. i. s.
Me expectat, credo. Adibo. B. Salve, Pamphile.
PAM. O Bacchis, o mea Bacchis, servatrix mea!
B. Bene factum, et volupe est. PAM. Factis ut credam, facis,
Antiquamque adeo tuam venustatem obtines,
Ut voluptati obitus, sermo, tuus, quocunque adveneris, t. t. c.
Semper sit. B. At tu ecastor morem antiquum atque ingenium obtines, i. t.
Ut unus omnium homo te vivat nunquam quisquam blandior.

8. Ita Frib. V.: Quis me est fort. 9. Bentl. ex 2 codicibus, quibuscum facit C Berol.: Eg. pro hoc te nuntio. Dein legitur soloece quid donem? quid? quid? nescio. A Berol.: Adeone pro hoc te nuntio quid d.? qui? quid? nescio. Et similiter B Berol.: qui quid nescio. C: nunc quid don.? quid nesc. Et superscriptum: qui, quomodo. Helmstad. et Frib.: nuntio quid donem nesc. Ascens.: nuncio quid donem? quid: nescio. 10. V.: PAM. Quid? PAR. Nihil enim, quod itidem soloecum. 11, 12. Manifesti cretici, et optimi quidem, quales facere hic noster solet. Cf. Andr. 4, 1, 2. seqq. V.: *Nam neque in nuntio, nec in me ipso tibi boni quid sit scio.* qui versus pessimus est trochaïcus. 18. Bene factum, Bene facis, Benigne, etc. formulae sunt gratias agendi apud Comicos. Ut credam, tibi volupe esse, cum hoc mihi contigit. 20. Libri: Ut vol. obitus, sermo, adventus tuus, quocunque adveneris. Versus insolitae mensurae, si habeatur pro trochaico, durior in re grata, si quis iambicum putet cum Bentlejo. Et illa „adventus tuus, quocunque adveneris," quam venusta sunt, quam Terentianae plena elegantiae! Quid multa? adventus est interpretamentum verbi obitus: nam quis audiat Donatum, vel quisquis ille est, qui haec ita distinguit, ut obitum dicat, quem casus affert, adventum, quem voluntas et destinatus locus? Bentl.: sermo, adfatus tuus, item ταυτολογικῶς. 21. Bentl., ut A et C Berol.: sit. Iidem libri et B Berol. et vett. edd.: At tu. V.: Semper siet. B. Actu etc. 22. Ita Bentl. secundum Bembinum et alios probatos libros. V.: Ut un. hominum homo te v. nunquam q. b. Frib.: nusquam quisquam est bl.

Pam. Ha, ha, he, tun' mi istuc? B. Recte amasti, Pamphile, uxorem tuam:
Nam (nunquam ante hunc diem meis oculis eam, quod nossem, videram)
Perliberalis visa est. Pam. Dic verum. B. Ita me di ament, Pamphile.
Pam. Dic mi: harum rerum numquid dixti jam patri? B. Nil. Pam. Neque opus est
Adeo mutito: non placet, fieri hoc itom ut in comoediis,
Omnia omnes ubi resciscunt. Hic, quos fuerat par resciscere,
Sciunt; quos non autem aequom est scire, neque resciscent, neque scient.
B. Imo etiam, qui hoc occultari facilius credas, dabo: t. t. c.
Myrrhina ita Phidippo dixit, jurijurando meo
Se fidem habuisse, et propterea te sibi purgatum. Pam. Optumo est,
Speroque, hanc rem esse eventuram nobis ex sententia.
Par. Here, licetne scire ex te hodie, quid sit quod feci boni?
Aut quid istuc est, quod agitis vos? Pam. Non licet. Par. Tamen suspicor. as. t. d. i. d.
*Egon' hunc ab Orco mortuum?* quo pacto? Pam. Nescis, Parmeno, i. t.
Quantum hodie profueris mi et ex quanta me aerumna extraxeris.
Par. Imo scio, neque hoc inprudens feci. Pam. Ego istuc satis scio. Par. An t. t. c.
Temere quidquam Parmenonem praetereat, quod facto usus sit? as. t. d. i. d.

27. Legitur ἀμέτρως: placet, non fieri hoc itidem. Bentl.: placet haut fieri. 28. Ita Bemb. Bentl. Alii minus probo numero: par fuerat. 29. Frustra Bentl.: occultum iri. Plaut. Curc. 660: Quia ille ita repromisit mihi, — Sine controversia omne argentum reddere, pro redditurum. Trin. 642: ut conari facis indicium, pro te conaturum. Cf. Viger. de Idiotismis linguae graec. 5, 5, 7, Vechner. Hellenolex. 1, 2, 17. extrem. 36. me vulgo non legitur, quod tamen et alii antiqui habent, et a nobis usurpatorum B Berol. Helmstad. Frib. Ascens. Bentl.: et me ex quanta aer. extr. 37. Ἄμετρος est interpretatio, quae vulgo legitur haec: Imo vero scio. 38. Minus usitate Bentl. secundum Bembinum: Parmeno; neque intelligo, cur haec neque Pamphilo, ut fit in Bembino, neque Parmenoni, ut vulgo, sed Bacchidi tribuenda sint. Ἐμφατικῶς homo dixit Parmenonem pro se. Donat.: „Sibi ipsi hoc dicit et se nominat, ut (Virg. Aen. 2, 549): Degeneremque Neoptolemum narrare memento. Et (Phorm. 5, 10, 58): Age nunc, Phormionem, qui volet, lacessito.“ Plaut. Rud. 1145.

PAM. Sequere me intro, Parmeno. PAR. Sequor. Equidem plus hodie boni
Feci inprudens quam sciens ante hunc diem unquam.
CANTOR. Plaudite. t. t. c.

---

## *Editor ad Terentium.*

Per mihi sex menses exercite, nunc in apertum,
Afer, tendamus, forsque sit illa bona.

prioris ed.: Minume istuc faciet vester Daemenes. Livius 1, 20: Sed quia in civitate bellicosa plures Romuli quam Numae similes reges (Numa) putabat fore etc.

---

# INDEX

## eorum maxime, quae in notis continentur.

*A* significat Andriam, *Ad.* Adelphos, *E* Eunuchum, *H* Heautontimorumenon, *Hec.* Hecyram, *P* Phormionem.

A et ex confusa A 4, 1, 3, H 3, 6, 6. a et u E 5, 2, 48. a pro ah A 4, 5, 28, Ad. 1, 2, 34.
abducere et deducere inter se commutata H 2, 2, 94.
abi et similia Ad. 4, 3, 11, P 3, 6, 9.
abicere Ad 4, 8, 26. Cf. v. eicere.
abire Piraeo E 2, 2, 58.
abortivus Hec. 3, 4, 58.
abundus Ad. 4, 4, 14.
ac, at, aut et similia permixta A 4, 4, 7, 8, H 5, 7, 4, P 5, 2, 6. ac et age Ad. 4, 5, 17.
accentus unius vocabuli duplex non ferendus Ad. 3, 5, 17, P 2, 1, 20; Hec. prol. poster. 51; 3, 1, 40. acc. pravus verborum signum affectae lectionis A 3, 2, 10, 16; 3, 4, 11; 4, 5, 28; E 3, 3, 3, H 5, 6, 11, Ad. 4, 3, 15, Hec. 3, 3, 12. acc. retractus H 2, 2, 49; 3, 1, 72.
acta transacta, juris formula, A 1, 5, 23.
actum est P 5, 10, 20.
ad, erga, Ad. 3, 5, 35. ad morbum esse Hec. 2, 1, 42. ad, propter, P 5, 2, 6. ad et adde vel addo confusa P 2, 3, 63. ad et alit Ad. 3, 5, 35. at et apud H 2, 2, 87; 3, 4, 14, Ad. 3, 4, 41. ad et aut P 5, 3, 6.
aderit, aderit tempus, Hec. 3, 8, 28.
adesse, domi adesse vel praesentem esse, E 3, 2, 53.
adhibere aliquem sibi convivam E 3, 1, 17. in editione vet. Friburg.
adversus stimulum calces P 1, 2, 28.
advertere pro animadvertere H 3, 3, 9.
aequa noscere Ad 3, 5, 57.
aequi bonique (causa) facio H 4, 1, 40.
aestimare et existimare confusa Hec. 1, 2, 88.
aetatem, semper, Hec. 4, 4, 21.
age, inepte, E 2, 3, 19. age modo H 2, 2, 103.
agnoscere et cognoscere permixta A 3, 4, 6.
ah et at confusa A 5, 1, 9.
ajis E 4, 3, 12.
ais nunquam monosyllabum E 5, 8, 2.
alias et illa confusa E 4, 1, 6.
alid apud Bentlejum H 2, 2, 90, Hec. 4, 4, 24.
aliquis subaudiendum H 3, 8, 9, Ad. 4, 7, 37. Cf. v. quis.
ἄλλος βίος, ἄλλη δίαιτα, A 1, 2, 19.
alterae, alteri mulieri, P 5, 9, 35. Andriae supposit. 2.
amare, amorem, P 2, 1, 23.
amittere, dimittere, P 1, 2, 91.
an pro anne scriptum, metro pessumdato, H 5, 5, 4.
anacoluthon P 3, 1, 14.
anapaestum post dactylum vitari

in versibus iambicis et trochaicis, P 5, 2, 45, 58.
anastrophe (ubi si pro sicubi) Ad. 1, 1, 4. praepositionis Hec. 5, 5, 18.
animi se cruciare E 1, 2, 15. verba animus et nimius officere sibi nonnunquam in libris propter similitudinem H 2, 1, 5.
apisci P 3, 2, 58.
Apollodori versus Hec. 1.
aposiopesis H 4, 1, 32.
apostrophus, a quibusdam usurpatus in Forti's pro Fortis es et similibus, usu veterum, quatenus ex libris scriptis cognosci potest, non comprobatur. Vide A 4, 2, 19, E 2, 2, 41; 5, 2, 15; Ad. 2, 2, 1; Hec. 5, 3, 10.
appositio P 4, 4, 24.
Archylis et similia nomina A 1, 4, 1.
Aristotelis descriptio adolescentium H 5, 3, 3.
articulus (temporis) Ad. 2, 4, 21.
asine Ad. 5, 6, 12.
ast A 4, 5, 23.
asynarteti. Vide v. versus asynarteti.
asyndeton A 3, 3, 28, Ad. 1, 1, 48; 3, 2, 20; 5, 1, 33; 6, 7, 51; P 1, 2, 7, 76; Hec. 4, 3, 70.
at conjungens H 3, 2, 17. indignantis H 3, 5, 18.
-at, -et, -it syllabae verbales productae ante vocales E 2, 3, 9, Ad. prol. 25 (NB.), P prol. 7, Hec. 3, 3, 16.
Atlas. vide v. coeli etc.
atque et neque confusa H. 5, 1, 1.
attigere A 4, 5, 50.
au E 4, 4, 13; 5, 2, 60.
audaculus P 1, 2, 84.
aufer Ad. 5, 6, 14. auferte P 3, 6, 26.
augere παθητικῶς Hec. 3, 2, 8.
aut et haud mixta Hec. 5, 1, 26.

B et u confusa E prol. 5. Cf. v. litteras etc.
Babylo Ad. 5, 5, 17.
bacchiaci A 3, 2, 1 seqq. Cf. versus asynartetos.
bene facis et similia Hec. 5, 4, 18.
bene sane εἰρωνικῶς Ad. 4, 3, 33.
Richardus Bentlejus, D. Theologiae et regis Britannorum a bibliotheca litterator Terentiique editor celeberrimus, natus in regione Eboracensi a Chr. 1662, mortuus 1742, audacius delet non mala A 2, 5, 3, H 3, 1, 75, 76; 5, 8, 6, P prol. 12; 2, 3, 80; 3, 5, 22; 4, 6, 34; Hec. 2, 1, 4; 4, 4, 27, 59. dure syllabas corripit A 2, 6, 8; 4, 5, 6; 5, 1, 11; 5, 4, 50, E 1, 2, 82; 2, 3, 92, Ad. 2, 4, 1; 3, 2, 13; 3, 4, 48, 73; 4, 5, 6; A 5, 5, 1; P 3, 4, 10; 3, 5, 29, 30, Hec. 16 (ubi via μονοσυλλάβως pronuntiari jubet); 1, 2, 43; 3, 6, 23; 3, 7, 13; 4, 4, 24; 4, 5, 32 (NB.); etiam praeter regulam Ad. 4, 9, 7, P 4, 3, 4. euphoniae minus studiosus est A 4, 1, 59, P 5, 7, 9. ingenio abutitur E. 3, 2 7 (*Abdomini* hunc natum dicas); 4, 4, 22 (Colore *stellionino*); Hec. 3, 6, 27 (*Lentiginosa* facie). interpolat poëtam Ad. prol. 25, Hec. 2, 1, 5. lectionem vulgatam alii posthabere videtur sine causa idonea A 4, 4, 1; 5, 1, 17; E prol. 25; 3, 1, 10. libros Terentianos plane deserit A 1, 2, 19; 3, 1, 21 (metu quidem vano soloecismi); 4, 1, 16; E 4, 4, 49; 5, 6, 31; 5, 11, 51; H 2, 2, 111; 2, 3, 125; 3, 1, 102; 4, 2, 14; 5, 5, 2; Ad. 4, 3, 1 (quasi versus sit justo laxior, quam ob causam mutat etiam P 5, 9, 22); P prol. 24; 2, 3, 13 — 15; 3, 3, 7; 3, 4, 13; 3, 6, 11; 4, 3, 62; 4, 4, 29; Hec. prol. poster. 15, 25; Hec. 2; 2, 1, 7; 4, 3, 25; 4, 4, 18; 4, 5, 9; 5, 4, 2, 29. metra asynarteta non agnoscit*) A 2, 1, 2, H

*) Usum metrorum asynartetorum apud poetas scenicos Latii nemo adhuc investigavit, nisi quod illud genus, quod constat trochaïco dimetro et iambico dimetro catalectico, repertum fuit a F. V. Reizio Plaut. Milit. 4, 2, 17 seqq., ut auctor est G. Hermannus in libro

3, 6, 9; 3, 4, 4; 5, 8, 6, Ad. 2, 4, 12; 3, 2, 27; 4, 6, 62; 5, 7, 10; P 3, 4, 18; 4, 6, 14; 5, 2, 22, Hec. 2, 1, 17, 20, 21; 3, 1, 12; 3, 5, 8; 4, 2, 11; 4, 4, 39, aliisque in locis, ubi reperiuntur. metra temere exaequat A 2, 2, 16; 3, 2, 51; 4, 1, 11 seqq.; 4, 2, 5, auscultante quidem Brunckio; E 4, 4, 39; H 5, 1, 17, 78; 6, 8, 7; Ad. 4, 5, 4; 5, 6, 23; P 4, 6, 32; Hec. 2, 1, 9; 3, 1, 4 (NB.); 3, 7, 18; 3, 8, 12; 4, 2, 1; 4, 4, 26. metrorum regulas minus perspicit Hec. 2, 2, 12, 18, et accentuum non habet rationem. Hec. 5, 2, 7. metrum insolitum Comico obtrudit P 2, 2, 16. minus felix in emendando est H 3, 4, 15, 6; 3, 5, 32; Ad. 4, 4, 16; P 5, 2, 6; Hec. 5, 4, 20. nimisque subtiliter ad regulas Terentium exigit E 3, 1, 10. Quae reprehendens in viro maximo non id ago, ut de auctoritate ejus detraham; sed ut tam illustri exemplo doceam tirones, in nullius magistri verba jurandum esse, neque unum omnia videre, sed paulatim et velut per nebulam conspici venustissimam formam veritatis. Nam editorum Terentii neminem tanto, quanto Bentlejus, ingenio tantaque eruditione praeditum ad eum emendandum accessisse, hodie inter omnes constat; eaque ipsa, quae merito vituperare in eo mihi videor, majore ex parte non sunt τοῦ τυχόντος, sed ejus, qui artem pluris facit quam artificem, nec satis habens ignorantiam ac stuporem librariorum retudisse cum ipso poëta de cogitatorum ac verborum veritate elegantiaque contendit.

C et s mixta H 3, 1, 102. c et t Hec. 3, 1, 22; 3, 8, 58.
caesia H 5, 8, 18.
Calliopius A 5, 6, 17.
Johannes Calpurnius Brixiensis seculo 15. post Christum natum floruit, notus ille inprimis haud malae notae scholiis in Terentium, quorum ea, quibus Heautontimorumenos explicatur, Donati perditis substitui solent in editionibus.
cantor A 5, 6, 17.
carcer, convicium, P 5, 2, 25.
Castor pro ecastor in jurejurando A 3, 2, 6.
caudex et cautes inter se commutata H 5, 1, 4.
cedo, concedo, Ad. 3, 2, 52.
censeo. vide Ut opinor. Censen' vero? H 3, 4, 1. Censere pro Suscensere A 2, 6, 17.
χλευασμός Ad. 5, 6, 32.
choriambicus versus trimeter in trochaeum exiens Ad. 4, 5, 5.
Cicero Terentiana quaedam memoriter, ut videtur, laudans A 1, 2, 19, P 2, 3, 13—15.
cito, facile, Ad. 3, 4, 80.
clam esse Hec. 2, 2, 19.
claudere, claudicare, Ad. 4, 4, 16.
clausularum locus ubi sit, indicatur in nota ad H 5, 6, 2. Cf. Ad. 4, 5, 1; 5, 6, 31 seqq.
coeli casum Atlas prohibens H 3, 7, 41.
coeperet Ad. 3, 4, 32.
coire, consentire, E 3, 4, 1.
comedere et ebibere aliquem E 5, 11, 39.
comites Hec. prol. poster. 26. qui sint, quaeritur.
computare et comparare mixta A 4, 1, 4.
conjectura audacior editoris Hec. 4, 5, 31.
conjugatio periphrastica Hec. 5, 3, 15.
consecutionis temporum verbalium habita ratio Ad. 4, 4, 11, Hec. 3, 1, 18; 4, 1, 25.
consimilis Hec. 2, 1, 5.
constituere ἐλλειπτικῶς dictum H 5, 8, 4.
consulere in longitudinem H 5, 3, 4.

de metris Graecorum et Romanorum; cujus metri exemplum profert Mar. Victorinus pag. 2551. Putsch. hoc, quod tragicum spirat: Coeruli monarcha ponti, ratisque rectitator.

contractio. vide v. apostrophus.
copiae μεταφορικῶς A 2, 1, 22.
copula. vide v. esse.
correpta verba primis versibus, sed rarius tamen atque modestius quam Bentlejo videtur, mediis vero nunquam, A 1, 5, 64, E 1, 1, 53; 1, 2, 109; 5, 5, 51; H 1, 1, 101; 2, 3, 8; P 1, 2, 63.
correptio verborum cessans propter interpunctionem et incisionem versus E 2, 3, 9. Cf. v. elisio.
κοτταβισμός H 3, 1, 48.
crasis (redit pro rediit etc.) P 1, 2, 5, Hec. 3, 3, 12. crases frequentiores fugiendae, P 2, 2, 23.
credo. vide v. ut opinor.
cretici versus purissimi apud Terentium A 4, 1, 2 seqq., Ad. 4, 5, 2, Hec. 5, 4, 11, 12.
*crimen* per se non habere significationem falsitatis, Hec. 4, 5, 13.
cruciare. vide v. animi etc.
cui non liquescens H 3, 7, 7.
cujus monosyllabum E 1, 2, 51. ejus Ad. 1, 3, 6, P 4, 3, 14, Hec. 3, 7, 28. hujus E 5, 6, 10.
cum conjunctio indicativum adsciscens, A 3, 5, 17; 5, 1, 21; Hec. 4, 3, 66.
Cyprius mercatus Ad. 2, 4, 23.
Daceriae ordo scenarum cur usurpatus sit in hac editione Terentii, A 3, 1, 10.
dactylicus versus tetrameter A 4, 1, 1.
damno augere H 3, 5, 15.
dare res H 5, 1, 43.
decursum spatium Ad. 5, 2, 6.
defunctum esse alicubi Ad. 3, 5, 61.
demiror, nescio, secundum Donatum, P 2, 3, 5.
deputare P 2, 3, 16.
desinit, intermittit, H 2, 2, 64.
despicuus E 2, 3, 92.
detrimenti nihil de te fieri potest peccando Hec. 2, 1, 37.
deus noster. vide v. noster deus.
διασυρτικῶς dictum Ad. 3, 4, 64.
dictum et ictum confusa E 3, 1, 40. dictum factum H 5, 1, 31.
discidit a caedendo Ad. 3, 4, 6.
discribere argentum P 5, 9, 30.
διττογραφία H 2, 2, 55, Hec. 3, 5, 1; 3, 5, 17.
diu monosyllabum Ad. 4, 5, 12.
divitis, ut gratis etc., H 3, 2, 17.
Donatus Andriae Supposit. 1.
ducere aliquam domum Ad. 3, 3, 27. duc. damnatum domum P 3, 1, 20.
dum et tum confusa P 5, 6, 16.
duo bina P 5, 3, 8.
duras dare H 2, 3, 22.

E et i inter se commutata E 1, 2, 15, H 1, 1, 113; 5, 7, 6. e et o H 1, 1, 70, Ad. 4, 5, 4. Cf. v. et. e finale abjiciendum videtur in *nempe* P 2, 3, 77.
ebibere. vide v. comedere.
ectasis Ad. prol. 25.
egon' o littera producta E 1, 2, 82.
eheu perperam exaratum pro heu heu H 5, 7, 20.
eho et o confusa E 5, 11, 13. Cf. v. ohe.
ei et ejus mixta P 4, 3, 26.
eicere A 2, 3, 8. Cf. vv. abicere, reicere.
eji H 3, 8, 25; 4, 1, 29.
ejus monosyllabum. vide v. cujus.
elegans H 5, 8, 19.
elegantiae quaedam atque veneres metricae A 3, 3, 3; Ad. 3, 5, 57.
*elegantiam* et *eloquentiam* confusa E 5, 11, 45.
elisio cessans nonnunquam in verbis gravioribus, quae plene exaudienda sunt, A 1, 5, 29. ob ictus metricos, id quod inprimis docuit Bentlejus, A 1, 5, 23; 4, 6, 2; E 3, 2, 26; H 3, 1, 27; 4, 5, 14. ob interpunctionem A 1, 4, 4; 2, 6, 6; 3, 3, 18; 4, 6, 6; E 2, 2, 20; 2, 3, 27; 4, 4, 30; H 1, 1, 31; 3, 1, 52; 4, 1, 28; 4, 2, 14; 5, 1, 51; P 3, 6, 9; Hec. prol. prior. 1; Hec. 3, 3, 4; 3, 5, 48 (NB.) frequentior vitanda, P 3, 2, 21; 5, 8, 10. Cf. v. correptio.
ellipses E 1, 1, 20; H 3, 1, 102; 3, 7, 57; Ad. 3, 4, 55; 4, 2, 1;

P 1, 2, 94; 5, 9, 70. praesertim in iis, qui secum loquuntur, ut ait Donatus in scholio ad Hec. 2, 3, 5.
encliticì causa antecedens syllaba producitur H 5, 8, 2.
enim, enimvero, H 1, 1, 20. prima oratione Ad. 5, 6, 24, P 1, 2, 63; 4, 4, 13; 5, 9, 90.
ἐπίδικος, ἐπιδικαζομένη, P prol. 26.
*equidem* (cum persona 3.) et *et quidem* confusa Ad. 5, 7, 17, P 3, 4, 7.
es, est, etc. distracta in sequentem versum Ad. 3, 4, 32.
esse intelligendum A 4, 2, 19; E 2, 2, 41; 2, 3, 69; 5, 11, 15 (NB.); H 1, 3, 10; 4, 5, 16; Hec. 3, 7, 43.
*et* et *est* permixta Ad. 1, 1, 53. Cf. v. ut. *et* neglectum propter simile verbum, quod antecedit, Ad. 4, 6, 33. *et* pro *-e* scriptum, ut videtur, H 2, 2, 56.
etsi —, tamen —, H 1, 3, 13.
εὐφήμει H 3, 4, 21.
Eugraphius Andriae Supposit. 1.
Euripides fragmento Thesei P 2, 3, 13 seqq.
ex tuis virtutibus, ex ratione tuarum virtutum, Ad. 2, 2, 2.
excutere se P 4, 1, 20.
existimare. vide v. aestimare.
expeto et expecto mixta Hec. 2, 4, 7.
Facere et ferre inter se commutari solita, H 1, 1, 17. facere, fingere, scribere, P prol. 6.
facillime agere Ad. 3, 5, 55.
Gabriel Faërnus, Cremonensis, Mureti ferme aequalis, latinam linguam et poësin docuit Romae non sine laude, nec male Terentium edidit ope meliorum codicum MSS. Quem in sua editione inprimis secutus est Bentlejus, etiam in metricis; quamquam ita ut habilem magistrum discipulus longe ingeniosior doctiorque. Contra Muretus cum alibi, tum Var. Lect. 15, 17, cavillatur Faërnum, tanquam hominem purum putum Latinum, qui graece nesciat. Sed merito Faërnus defenditur in Castellionis Animadversionibus in Criticos. Ejus libellum imperfectum de versibus Comicis una cum Bentleji Schediasmate de metris Terentianis recudi curavit vir eruditissimus Fridericus Volgangus Reizius in editione Rudentis Plautinae, quae editio impressa est Lipsiae 1789. paginis octonariis 104.
fere et fero confusa, ut videtur, H 1, 2, 70.
ferre, adferre, Ad. 1, 2, 28.
fiat et fiet vel faciam quomodo dicantur, H 4, 1, 42.
fieri prima syllaba ancipiti, Hec. 3, 5, 37.
fors fuat Hec. 4, 2, 4.
fortasse. vide v. Ut opinor.
forum locus, ubi solvere solebant, Ad. 2, 6, 13. foro uti P 1, 2, 29.
fratris perperam scriptum pro patris in vetere argumento Eunuchi.
Friburgensis editionis Terentii, quae sine notatione loci et temporis impressa est, egregiae quaedam lectiones A 3, 4, 12; 4, 1, 3; H 1, 1, 49, 77; 1, 2, 12.
futurum loco praesentis E prol. 5, Hec. 3, 8, 60.
*Genere* et *ingenio* confusa Ad. 3, 1, 10.
genitivus in ai desinens apud Terentium non invenitur: vide nott. ad A 2, 6, 8, H 3, 2, 5. P 4, 2, 7, Hec. prol. prior. 1, genit. et dativus in e pro ei E 5, 2, 47, 59 (NB.); 5, 11, 5; H 1, 1, 3; 3, 5, 46; 4, 3, 2 (NB.); P 3, 4, 10. genit. in i pro is vel eis A 2, 2, 31, H 5, 8, 21. genit. in ii ab aevo Terentiano abhorrens A 2, 1, 22; 3, 2, 38. genitivus intellecto verbo causa seu gratia, more graeco, Ad. 2, 6, 6.
*Genium* et *ingenium* confusa A 1, 5, 54.
glossemata A 1, 5, 2 (atque hominum, sicut etiam Hec. 2, 1, 1), 52 (res); 2, 5, 20 (ut pro

hoc malo mihi det malum); 2, 6, 17 (est; cf. E 2, 3, 69; H 2, 2, 29; 5, 1, 66; A 3, 2, 6; P 2, 1, 19; 4, 5, 3); 5, 4, 2 (illum), 11 (narrasti); 3, 5, 1 (perdidit), 18 (sinit); 4, 1, 9 (denegare), 40 (ei; cf. H 1, 2, 12), 46 (aggrediemur, ubi vid. Guyet.); 4, 5, 6 (illic), 17 (ancilla), 23 (ego; cf. E 1, 2, 79), 50 (rem omnem; cf. E 5, 5, 28); 5, 6, 2 (obtigerit). E prol. 19 (ita; cf. 5, 1, 40; P 3, 2, 48), 109 (Parmeno); 2, 1, 6 tam; cf. Hec. 1, 2, 9; 2, 2, 19, 20, 49 (ad illam), 54 (eho); 2, 3, 59 (novi), 92 (despicatam, vel despectam); 3, 2, 53 (domi); 3, 3, 31 (illa); 3, 5, 43 (hoc; cf. H 3, 4, 10; 5, 1, 62; P 5, 10, 11); 4, 3, 12 (herae; cf. Hec. 3, 2, 5, ubi hori perperam adscriptum est); 4, 7, 19; 5, 1, 23 (est, ejus); 5, 4, 14 (suo); 5, 6, 20 (hanc, huc); 5, 9, 7 (Phaedriae). H prol. 43 (mihi; cf. P 2, 3, 51; 5, 4, 11; Hec. 4, 5, 28). H 1, 1, 19 (tibi); 1, 3, 15 (petax); 2, 1, 8 (istuc); 3, 1, 76 (quod petet); 3, 3, 7 (in convivio); 3, 4, 5 seqq.; 3, 5, 19 (etsi pro si); 3, 7, 22, 37 (pendis, vel curas); 4, 2, 19 (es; cf. Ad. 5, 7, 4; Hec. 3, 7, 43); 4, 5, 26 (sum); 5, 1, 80 (haec); 5, 5, 6 (Menedemum), 7 (seni); 5, 6, 4 (odiosa), 22 (sic erit), 17 (Id). Ad. 1, 1, 48 (par); 1, 2, 16 (esse; cf. P prol. 22; P 4, 2, 9; Hec. 1, 2, 43; 3, 1, 20), 39 (a me; cf. P 3, 5, 22); 2, 5, 10 (pote, vel potest); 2, 6, 4 (illam); 3, 5, 30 (Ille); 3, 5, 64 (ac, vel et); 4, 4, 2 (Meum); 5, 1, 26 (obtine), 65 (una); 5, 5, 1 (me quidem, et facere). P prol. 14 (si). P 1, 2, 12; 2, 2, 23 (meae); 2, 3, 41 (re); 3, 1, 9 (patris); 3, 3, 5 (tu); 3, 4, 13 (patrem); 3, 5, 7 (Dorio); 4, 6, 27 (unam); 5, 6, 2 (ea); 5, 9, 43 (cedo), 96 exsculpe). Hec. 16 (illi); 1, 2, 43 (posterius esse), 67 (tui), 104 (coepit), 109 (abiit, abit); 2, 3, 1 (mulieres); 3, 1, 32 (illae); 3, 2, 3 (Sostratam); 3, 6, 23 (me); 4, 3, 10 (uxore), 86 (mea); 4, 4, 14 (iniquum), 20 (amicum); 5, 4, 20 (adventus); 5, 4, 37 (vero). Glossematum sedes incerta esse solet in libris: vide A 4, 1, 1; E 4, 3, 12; H 3, 5, 40; Ad. prol. 5; Hec. 3, 6, 16.

gracilus E 2, 3, 22.

gratiam habeo A 4, 5, 31.

Franc. Guyetus, abbas S. Andreanus, natus Andegavi, Andium metropoli, a. 1575, mortuus a. 1655. Lutetiae Parisiorum, quo peragrata Italia aditisque Germaniae partibus meridionalibus se contulerat, ibique in contubernio Puteanorum aliorumque doctorum ac principum virorum degit, duobus satis amplis beneficiis ornatus a Valetta, qui, ab ipso institutus, cum suopte fretus ingenio, tum annitente patre, celeberrimo Johanne Lud. Valetta, Espernonii duce, intra paucos annos ex abbate archipraesul Tolosanus, Cardinalis, provinciarum praeses atque rector exercituum evasit, ut narrat Antonius Periander Rhaetus in vita Guyeti, quae hujus in Terentium commentariis praemissa est. Vide Andriae Supposit. 1.

H littera male addita E 2, 2, 19, Hec. 3, 1, 26; omissa Ad. 3, 2, 8. h et n similia in libris: vide A 4, 6, 12, E 2, 2, 54, H 3, 1, 102, Hec. 3, 5, 48.

haec feminin. numero plurali A 4, 1, 32, Hec. 4, 4, 36.

hahe A 4, 6, 15.

heja corripientis Ad. 5, 2, 14.

hem vocantis H 4, 1, 9.

hic, vicinus, familiaris, H 3, 1, 90; 5, 1, 76 etc.

hic, in hoc negotio, Ad. 3, 4, 47. ibi, tum, Hec. 1, 2, 92.

hic viciniae P 1, 2, 45.

hilum et illum confusa Ad. 3, 2, 8.

hinc, a meretrice, E 5, 6, 15. Cf. P 3, 6, 2, Hec. 4, 4, 3.
hoc, in hoc, quod ad hoc attinet, H 5, 1, 102. propter hoc, Hec. 1, 2, 29. hoc age P 3, 2, 3.
hocc Ad. 2, 3, 7.
homoeoteleuta, fugiuntur A 1, 5, 25; 2, 1, 30; 3, 2, 46; E 5, 2, 21; 11, 34; H 2, 3, 2 (studuisti, isti); 3, 7, 32; Ad. 4, 2, 13; 5, 4, 6; 5, 5, 23; P 3, 2, 30; Hec. 1, 2, 93; 3, 3, 14.
hortamenta, hortatores, H 4, 4, 2.
horum, ex his genitum, graece, H 5, 4, 8.
hui mirantis H 1, 1, 40. concedentis, sed nonnunquam εἰρωνικῶς, Ad. 2, 4, 8.
hujus δεικτικῶς Ad. 2, 1, 9. hujus, hujus rei, H 2, 2, 28. monosyllabum; vid. v. cujus.
humerum pallio onerare P 5, 7, 4.
hunc et nunc permixta Hec. 3, 5, 48.
hyperbaton Hec. prol. prior. 6.
hyphen H 1.
I coalescens cum vocali sequente H 2, 2, 139, P 3, 2, 20. liquescens Ad. 2, 4, 30 (oppressjonem); 2, 6, 10; 3, 2, 13; 4, 5, 12; 5, 1, 68; 5, 6, 16; Hec. 4, 2, 12; 5, 32 (gratjam). productum in *norimus* Ad. 2, 6, 7.
iambici tetrametri hypercatalectici H 3, 3, 1, 13, 21; 3, 5, 13, 32; 3, 6, 10; 5, 6, 2; P 2, 1, 4; 3, 4, 1; Hec. 3, 1, 4; 3, 8, 8. iambicorum tetram. catal. extremam syllabam pedis 4. non esse ancipitem in Terentio, Hec. 4, 4, 15. iambicus trim. catal. Ad. 4, 5, 6. Cf. v. versus etc.
ibi esse H 3, 1, 63; 5, 4, 2 (ad sororem). ibi, in eo homine, H 5, 8, 19. Cf. vv. illi et ubi.
ictus metricus in verbo graviore E 5, 9, 7. Cf. v. elisio.
id et inde confusa P 4, 3, 76; 4, 4, 23. id, propter id, E prol. 27. id significanter additum A 2, 5, 3; 3, 2, 49; 4, 6, 16.
ilicet. vide v. scilicet.
illae pro illius, si forte, Hec. 4, 1, 13.
illaec pro illae Hec. 4, 2, 12.
illi adverb. Ad. 5, 1, 58. in ea re Ad. 1, 2, 37.
illic et illuc confusa Ad. 4, 3, 24.
illico ex abundanti additum P 5, 2, 38.
illim E 3, 3, 18.
illum. vid. v. hilum.
imo in media sententia.
imperfectum loco praesentis A, 1, 5, 64; 3, 2, 48.
impune, secure, Hec. 5, 7, 13.
*in ortum* ex m praegresso H 5, 7, 21. in subaudiendum in *Cyprum* Ad. 2, 4, 16. (Cf. P 5, 9, 37.) in vino H 3, 3, 7.
incredibile quantum P 2, 3, 17.
indicativus pro conjunctivo, graece, A 4, 2, 20; H 5, 5, 25; Hec. 4, 3, 24.
*indutus eam vestem* et *indutus ea veste* quomodo inter se differant, E 4, 4, 41.
ineleganter dicta P 4, 6, 7.
infinitivus historicus H 2, 2, 47 sequ. in finit. in interrogationibus θαυμαστικοῖς H 5, 7, 6; pro gerundio, graece, Hec. 5, 4, 2; pro participio in *rus* Hec. 5, 4, 29.
ingerere manum H 3, 3, 3.
*institeris* et *institueris* confusa P 5, 7, 8.
intelligendum ἀπὸ κοινοῦ H 3, 1, 54; 5, 7, 15; Ad. prol. 4, Hec. prol. poster. 14, Hec. 1, 2, 6, 7.
intercludier E 1, 2, 84.
*interea* perperam exaratum pro *interii* P 5, 7, 21.
interest hoc pater ac dominus Ad. 1, 1, 50.
interpunctio saepe vitiosa in his fabulis, velut E prol. 29, E 1, 1, 12, Ad. 4, 8, 4; 4, 9, 8; 5, 5, 16; Hec. 1, 2, 82. Cf. v. elisio.
interrogatio pro enuntiato sub conditione Ad. 1, 1, 30.
ipsae, sponte sua, Ad. 4, 5, 18.
ire malam crucem P 5, 9, 37.
is ipse, ea ipsa, A 5, 4, 42.
isti, a quibus dissentio, Ad. 1, 1, 18. istoc vilius Ad. 5, 7, 24.
*ita* additum a mala manu Ad. 5, 4, 6, P 3, 2, 48. ita, ut dicis. vide v. ut opinor.
jus et vis confusa Ad. 3, 5, 44.

L. vid. v. litteras etc.
λαβδακισμὸς E 1, 2, 39, Ad. 2, 2, 20, P 1, 2, 59.
*libet* et *licet* confusa A 4, 6, 21.
libido Hec. 2, 2, 3.
librarii plana atque communia verba et eorum quotidianum ordinem sectantes E 2, 3, 9; 5, 2, 40; H 3, 1, 8. item notiores formas versuum H 1, 2, 2, eos falso ab se scripta non delere, sed adscribere emendata, E 1, 2, 15; H 3, 1, 12; Ad. 5, 1, 47; Hec. 4, 4, 15.
limis E 3, 5, 53.
litteras b et l sibi invicem officere, A 1, 5, 64.
loris, lororum notis, Ad. 2, 2, 8.
luci Ad. 5, 1, 55.
ludos facere alicui A 3, 1, 21.
lusus verborum P prol. 16.

M litterae frequentia ingrata E 5, 5, 13.
mage E 5, 2, 40.
mala, malefacta, H 3, 5, 35. *mala* scriptum fortasse pro *malaca* H 2, 2, 48.
*male* scriptum pro *mala* A 4, 5, 15; H 3, 5, 35.
malum pro convicio dictum A 5, 4, 18. malum quod (aliquod) isti dii duint P 5, 9, 83.
med. im. in medio esse A 3, 5, 33.
meretricum comitatus Hec. 4, 5, 27; merces annua H 3, 4, 15.
metra mutari cum affectibus et pro ipsis sententiarum vicibus, A 3, 4, 9; 3, 5, 10; H 3, 7, 35.
metricorum facinora Hec. 4, 2, 12; 4, 5, 18.
*metu* et *motu* confusa Ad. 4, 5, 4.
meus meorum solus sum P 4, 1, 21.
*mihi* familiariter additum P 1, 2, 90.
mina P 4, 3, 57.
mortuo verba fiunt P 5, 10, 26.
movere, se movere, E 5, 3, 3.
multimodis Hec. 2, 3, 7.
Myconii calvi Hec. 3, 6, 26.

Nam et nunc confusa, ut videri potest, Hec. 4, 4, 13.
ne tam quidem Ad. 2, 6, 14. ne utiquam H 2, 2, 116; Hec. 3, 5, 43.
nec, ne quidem, P 3, 2, 7.
necessum E 3, 6, 28, H 2, 2, 119.
nempe in interrogatione P 2, 3, 77.
neque ego, neque tu, P 3, 5, 54.
neutrum pro masculino κατ᾽ ἔμφασιν A 4, 1, 11.
nexorum poena P 3, 1, 20.
nihil et nihili, item nihilo, confusa Ad. 2, 1, 12, Hec. 5, 4, 10.
nisi quia, πλὴν ὅτι, E 4, 5, 10. nisi pro sed Hec. 3, 7, 23.
nomen loco pronominis positum ἐμφατικῶς Hec. 5, 4, 38. nominis casus cum relativi congruens H 3, 8, 2.
nominativus vel accusativus absolutus Hec. 3, 1, 6.
non, num, nunc, permixta Ad. 5, 6, 29, Hec. 5, 4, 7.
noster deus P 1, 2, 24.
novi, scio et similia quid significent in colloquiis familiaribus, A 4, 5, 50; Hec. 1, 2, 34.
nunc. vide vv. nam et non.
nusquam et usquam confusa Ad. 2, 4, 15. nusquam esse, perditum esse, ibid.

O interjectio correpta sequente vocali H 2, 2, 139; 5, 6, 9. cum eadem coalescens P 2, 3, 29; 3, 2, 12. o longum in verbo *eho* H 2, 2, 71. item posterius in *homo* Ad. 4, 2, 1. Cf. v. eho.
obnuntiare Ad. 4, 2, 8.
ohe Ad. 4, 9, 7. ohe, jam desine, P 3, 2, 29. ohe et eho confusa P 5, 10, 12.
omissus, negligens, H 5, 3, 3.
omnis priore syllaba brevi A 2, 3, 17.
oportent, oportebant, H 3, 2, 26.
optata loquere H 3, 4, 21.
ornare εἰρωνικῶς Ad. 2, 2, 2. ornatissimus P 5, 7, 13.
otium Hec. 2, 1, 29. otio P 1, 2, 37.

Pallium. vide v. humerum.
pars dicta pro loco H 1, 1, 5.
parvi pro parvi facis H 3, 7, 37.
pati, καρτερεῖν, Hec. 1, 2, 108.
paululus Ad. 4, 10, 4.
paulum et paululum confusa Ad. 5, 6, 26, 27 et saepius.
pax, interjectio, H 2.

pedetentim P 3, 6, 19.
perculit et pertulit confusa Hec. 3, 1, 22.
perfectum subjunctivi pro praesenti ejusdem modi H 3, 1, 83.
περίστασις tragica P prol. 7.
personae male digestae E 1, 2, 49; 2, 3, 54, 98; 5, 7, 15; H 5, 8, 16, 21; Ad. 3, 2, 25; 4, 6, 26; P 3, 2, 20; 5, 7, 38; Hec. 3, 1, 34; 4, 2, 4, etc.
phy (pheu?) Ad. 3, 4, 49.
places P 1, 2, 88; 2, 3, 6.
Plautinus versus a Terentio usurpatus P 5, 9, 83.
*poëtam* male exaratum pro *poëtae* P prol. 30.
Posidippi quaedam sententia Hec. 3, 6, 4.
posse, fieri posse, Ad. 3, 2, 52; 5, 6, 13.
*postea* peculiari modo usurpatum, nisi legendum sit *Postera*, Ad. 4, 6, 26.
potentialis modus H 4, 1, 50, P prol. 27.
potiri aliquid mali P 3, 4, 5. poteretur P 5, 6, 2.
praegnas Hec. 4, 3, 18 sequ.
praepositiones acutae in postrema syllaba, cum sequitur encliticum, Hec. 4, 3, 100.
praesens pro futuro Hec. 3, 3, 7.
prius, potius, E 5.
*probe* et *prope* confusa, ut cuipiam videatur, P 5, 10, 58.
producere diem Ad. 4, 3, 38.
prolixe, benigne, Ad. 5, 6, 20.
prologus prima syllaba longa P prol. 15.
proloqui, eloqui, P 5, 7, 22.
promittit, minatur H 3, 8, 7.
pronomina alia pro aliis perperam scripta a librariis A 1, 5, 2, 64; H 2, 3, 2; 3, 4, 15 (illi pro ipsi; cf. Hec. 4, 5, 12); 5, 1, 7; Ad. 1, 1, 47; P 1, 1, 11; 1, 2, 59; Hec. 4, 3, 90; Sulpitianae periochae in Eunuchum 3. diversa de eadem re in eadem oratione ineleganter usurpata H 3, 5, 36; Ad. 3, 3, 4; P 5, 4, 16. male addita E 4, 7, 27.
prorsum E 5, 11, 34.
πρὸς τὸ σημαινόμενον dictum H 3, 1, 67; Hec. 1, 2, 22; 3, 1, 28.
proterreo H 3, 1, 37.
protinam P 2, 2, 12.
publice, in republ., Ad. 3, 4, 80.
puerus, si forte, Hec. 4, 3, 96.
pytisso H 3, 1, 48.
*Quaesisti* perperam scriptum pro *quaesisse* H 5, 7, 6.
quam, quantum, Hec. 4, 3, 12.
*quam* et *quod* confusa Hec. 4, 1, 5.
quamvis, quantumvis, Ad. 2, 6, 15.
quantum potest Ad. 3, 2, 52.
quasi si Ad. 2, 6, 6.
qui et quid permixta P 3, 1, 16, Hec. 5, 4, 9 sequ. qui, aliqua ratione, P 2, 2, 50. qui, quamobrem, P 1, 2, 73. qui, quo, H 3 1, 79.
*quia* posteriore syllaba longa Hec. 4, 5, 18.
quicum, quacum, Hec. 3, 8, 40. quocum, Ad. 4, 6, 32.
quid? τί δέ; H 3, 5, 3. quid ais? mirantis H 5, 3, 17. et dissentientis Ad. 3, 2, 43. quid cum illo agas? E 4, 7, 25. quid ego? quid ille? quid istic? Ad. 5, 5, 18, H 1, 2, 18; 5, 8, 20. quid est? cur? E 5, 8, 2; H 2, 2, 80. quid eum? Ad. 3, 4, 37. quid jam? E 5, 7, 15. quid ille facias? H 2, 2, 76.
quidem monosyllabum i eliso Ad. 3, 4, 16.
quine putavit Ad. 2, 5, 9.
quippe qui H 3, 2, 28.
quis sive aliquis subaudiendum E 2, 2, 20, P 5, 9, 83.
quo et quod confusa A 4, 1, 31.
quoad P 1, 2, 98; 3, 1, 39.
quotidiano H 4, 1, 7.
R et s litterae similes H 4, 5, 19. r et v confusa H 2, 1, 8; 3, 8, 5. r frequentius vitatur Ad. 4, 4, 1.
rastrum. ad rastros redire H 5, 1, 58.
ratio vera Hec. 3, 1, 26. rationem capere H 5, 3, 5.
re- praepositio inseparabilis longa Hec. 3, 5, 25. et alibi saepius.
reapse H 3, 5, 23.
reddere, facere, A 3, 1, 21.

redictum H 5, 6, 18.
reicere P 4, 5, 5. Cf. v. eicere.
repetita eadem verba ab irato Ad. 1, 1, 38.
respicere se H 5, 1, 46.
rex, dominus, patronus, P 3, 1, 24.
rogare et rogitare mixta A 5, 4, 6, H 5, 6, 6.
rogas? non: rogas me? A 4, 6, 31.
rumpere μεταφορικῶς Hec. 3, 6, 21.

S et x confusa H 2, 2, 50; 3, 1, 27.
satin', nonne, P 5, 9, 22.
σχετλιασμός rusticus E 4, 4, 49.
scilicet et ilicet confusa Ad. 5, 1, 5.
scriptura, scriptum, fabula, Hec. prol. poster. 15.
scriptura continua in fraudem illiciens H 3, 5, 15 (*domina ergo* pro *dominae ergo*), Ad. 2, 4, 24; 5, 1, 15; P 2, 3, 63; 3, 2, 78 (*Tute* pro *Tu te*) etc.
sed coniungens H 3, 2, 8. Cf. at.
sedulo P 3, 3, 13.
servae honestioris pretium H 4, 3, 3.
si diis placet Ad. 3, 5, 30.
si et sed confusa H 1, 1, 79. si et sic A 4, 5, 13. si, etsi, H 3, 5, 19, Ad. 3, 2, 42. si intelligendum, graece, P prol. 14, Hec. 4, 4, 24.
sibilus vitatus E 5, 11, 34.
sic, οὕτως, leviter, negligenter, A 4, 5, 13. sic hoc H 3, 1, 49. sic; satis H 4, 1, 22.
simile neglectum H 5, 7, 26. similia non semper recidenda esse, P prol. 12. similia similibus officere, H 17.
sine vitio H prol. 30.
sis pro si vis sine imperativo Hec. 3, 1, 26.
sol. in sole Ad. 4, 3, 52.
soloeca A 2, 5, 5; 3, 1, 20; 3, 2, 44; 5, 6, 3; H 1, 1, 101; 1, 3, 6; 2, 1, 8; 3, 1, 83; 3, 2, 49; 3, 3, 17; 3, 4, 14; Ad. 3, 2, 19; 4, 6, 64; 5, 2, 1; P 5, 3, 9; 5, 4, 8; Hec. 1, 2, 84; 4, 3, 37; 5, 4, 9 sequ.
σολοικοφανές Hec. 3, 1, 6; 3, 3, 7.
sorbilare Ad. 4, 3, 38.
sordidatae sordida H 2, 2, 56.
sparso ore H 5, 8, 18.
spernere affinem P 4, 1, 18.
spuria in fine Andriae, post H 4, 2, 15; 5, 6, 17; 5, 8, 14; Ad. 3, 2, 15; post Ad. 3, 5, 53; post P 2, 2, 4; post P 3, 2, 4; post P 3, 6, 27; ibidem post 4, 4, 8 et 5, 7, 10; post Hec. prol. poster. 14. et post Hec. 4, 3, 67.
sterculinum P 5, 5, 41.
studere aliquid Hec. 2, 1, 2.
stultus, amore insaniens, E 5, 7, 20.
suat suo capiti P 3, 5, 6.
subagitare H 3, 3, 6.
succenturiatus P 2, 2, 53.
suspecta Hec. prol. poster. 41—43.
σύλληψις Hec. 3, 1, 6.
syncope Ad. 3, 4, 2.

Tam adolescens, si forte, P 3, 2, 13. tam, tum, tu, mixta H 5, 4, 13.
tamen et tandem confusa P 3, 2, 25.
Tarentinorum dialectus H 3, 1, 48.
Terentius ellipsium plenus: A 1, 5, 64; H 2, 3, 22. Cf. v. ellipses. liquefacere solet postremas vocabulorum syllabas: P 3, 2, 30. παρόμοιων amans: H 1, 1, 77, P prol. 19; 3, 6, 6 etc. transpositione verborum frequenter utens: E 4, 4, 20, H 1, 1, 60, Ad. 5, 5, 1, P 5, 7, 40.
Θαΐδιον E 2, 2, 35.
titulus Eunuchi mancus in vulgatis libris: vid. not. ad eum titulum seu didascaliam.
tmesis A 3, 2, 6 (Per, Castor, scitus), H 3, 2, 19, Hec. 1.
tolerabilis, tolerans, H 1, 2, 31.
tollere sibi laborem Hec. prol. poster. 9.
trajecta A 2, 3, 3, Ad. 5, 5, 1, Hec. 2, 2, 27; 3, 5, 25; 4, 3, 44.
tricae P 5, 5, 5.
tua, tuae res, tuae fortunae, A 5, 4, 18.
tuus sum dictum μεταφορικῶς E 1, 2, 116.

U liquescens H 1, 2, 20; 3, 2, 17.
ubi et ibi confusa P 3, 2, 16.
usquam. vide v. nusquam.
*ut*, ea conditione, ut etc. P 2, 1, 13. ut opinor et similia, quae sunt mediocriter appro-

bantium, Ad. 4, 6, 14. *ut* pro *et* perperam scribi, et contra, monetur in annotatione ad Ad. 5, 3, 5.
*utilitas* male exaratum pro *vilitas.*

Vah admirantis H 4, 1, 17.
vanitas, ψεῦδος, P 5, 1, 41.
*velim* minus aptum P 5, 7, 15.
venia, gratia, Ad. 5, 6, 19.
verbum gravius potiore loco positum Hec. 4, 3, 81; 5, 4, 6. verbum proprie dictum pro nomine P 2, 1, 23. verbum voluntatem seu conatum actionis significans (*Cum placo*) Ad. 1, 3, 4.
versura solvere P 5, 2, 3.
versus extrema inprimis parte levigandi: H 2, 1, 9. versus parum modulati A prol. 7, P 5, 9, 56, Hec. 3, 7, 38, 56.
versus asynarteti, qui constant ex trochaïco dimetro et iambico dimetro catalectico, E 3, 5, 12 sequ. H 1, 3, 14; 5, 6, 12; Ad. 4, 5, 4; Hec. 3, 7, 2; 4, 4, 19, 27; 4, 5, 9.
versus asynarteti, qui constant ex trochaïco et iambico dimetris, A 1, 5, 30; 2, 1, 2, 22, 27; 4, 1, 11, 58; 5, 2, 8; 5, 3, 27; 5, 4, 4; 5, 6, 12; E 2, 1, 6, 8; 2, 2, 6; 2, 3, 70 seqq.; 4, 1, 7, 11; 4, 4, 39, 56; 4, 7, 28, 31; 5, 5, 1, 10, 17; H 2, 2, 80, 97; 2, 3, 8; 3, 5, 11, 15, 17, 32; 3, 6, 9; 5, 1, 17, 77, 80; 5, 4, 1; 5, 6, 11, 13; 5, 7, 9; 5, 8, 6; Ad. 2, 1, 17, 19; 2, 2, 14; 2, 3, 7; 2, 4, 12, 15; 2, 6, 11; 3, 2, 23, 27, 35; 4, 2, 6, 14; 4, 3, 6; 4, 5, 9, 16, 23; 4, 6, 54, 62, 68, 72; 5, 6, 33; 5, 7, 3, 10; P 2, 1, 2; 3, 4, 10, 19; 3, 6, 47; 3, 6; 12, 15, 30; 4, 6, 11, 14; 5, 7, 43; 5, 10, 22 seqq. Hec. 2, 1, 4 sequ. 17, 20 seqq. 3, 1, 12, 18, 26, 32; 3, 5, 8, 31, 36; 3, 7, 3, 18; 3, 8, 13, 45, 47; 4, 2, 3, 10 seqq.; 4, 4, 39; 5, 1, 9; 5, 4, 8, 34, 38.
versus asynarteti, qui compositi sunt ex trochaïco dimetro et ejusmodi iambico, sed hypercatalecto, E 4, 1, 6, Ad. 4, 5, 8, P 3, 5, 6; 4, 6 9; Hec. 3, 8, 12.
versus asynarteti, qui constant ex bacchiaco dimetro et trochaïco dimetro catalectico, Ad. 4, 6, 4 sequ.
versus iambici senarii tertia regio praecipua: Ad. 1, 2, 19.
verus, γνήσιος, H 5, 4, 12. verum, aequum, A 4, 1, 5, H 2, 2, 95. vera vita Ad. 5, 7, 30.
vicina vocabulis officientia E 5, 2, 9; 5, 7, 10.
videre, providere, H 3, 1, 50; 3, 6, 3; P 2, 2, 11. videas te P 3, 2, 20.
vis. vide v. jus.
vitium et calamitas in augurio Hec. prol. prior. 2.
vocales breves liquescere passim apud Comicos, notatur ad A 1, 2, 3; 5, 1; E 5, 2, 9; Ad. 2, 5, 8; 3, 4, 16; 5, 1, 30; P 1, 2, 47 (neque). vocalis longa, sequente alia vocali, correpta, Graecorum more, H 2, 2, 110, 139.
vota periclitantium in mari Hec. 3, 6, 20.

Terentius Afer
Comoediae. Bothe.